UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi Augustinus Europaeus Perperam Dictus

Wavre, Philippus van

Antverpiae, 1709

urn:nbn:de:hbz:466:1-39351

Visual Library

Th. 1357.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

f. VIII
3

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CORNELII JANSENII IPRENSIS EPISCOPI *AUGUSTINUS EUROPÆUS PERPERAM DICTUS*

In ferali Famosarum suarum Pentade per

AUGUSTINUM

Verum Maximum Ecclesiæ Doctorem

(Salvâ Gratiâ Christi per se efficiente)

Triumphatus, damnatus, priusquam natus, atque Apostolico fulmine ictus,

OPERA AC STUDIO

Fr. Philippi van Wavre Ordinis Eremitarum S. Augustini Sacræ Theologiæ Licentiati & Provinciæ Flandro-Belgicæ Diffinitoris.

Longè ante reperiantur convicti esse, quàm nati.
S. August. lib. de Dono Persev. cap. 2.

Introduc teipsum in titulos tuos. (Magister Orbis Maxime)
Tu manes non alter possideat, & de titulis tuis fallat.
S. August. serm. ad Cæsar. Ecclesiæ plebem.

Accedit Digressio contra Jansenianorum Primipilum Avitum Academicum, Vincentium Palæophilum, Paulum Aurelium &c.

Collegii Paderbornensis Societatis Jesu Ao 1714.

ANTVERPIÆ,
Typis Joannis Pauli Robyns, ad insigne Bibliorum aureorum, in platea vulgò dicta de Lombaerde-Vest. 1709.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antequam essem natus huic mundo. & antequam essem renatus Deo, multa Catholica lumina vestras futuras tenebras redarguendo præverunt. S. Augustin. lib. 6. cont. Julianum cap. 8.

Didicimus singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contrà quas diligentiùs defenderetur divina Scriptura, quàm si nulla talis necessitas cogeret. S. Aug. de dono Perseverantiæ cap. 20.

REVERENDISSIMO ATQUE AMPLISSIMO DOMINO, D. STEPHANO VANDER STEGHEN,

Celeberrimæ Abbatiæ Averbodiensis Canonici Ordinis Præmonstratensis PRÆSULI MERITISSIMO, *Illustrium Brabantiæ Ordinum Assessori &c.*

REVERENDISSIME ATQUE AMPLISSIME DOMINE.

AFricanus ille Cato *Septimius Tertullianus*, vir omnium literarum genere peritus, omnium Ecclesiarum sermone celebratus, & apud Latinos omnium facilè Princeps, nisi quod consequens error detraxerit scriptis probabilibus authoritatem, cum cerneret quosdam ad ex-

orien-

orientium hæreſeon cunabula attonitos, quoſdam horrificâ ſpectri novitate perculſos, quoſdam etiam ad everſorum Catholicorum ruinam ſcandalizatos, ſcitè nos monuit: *non oportere nos mirari ſuper hæreſes iſtas: ſive quia ſunt, futuræ enim prænuntiabantur; ſive quia fidem quorumdam ſubvertunt: ad hoc enim ſunt, ut fides, habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Et rursùs: *quin potiùs memores ſimus tam Dominicarum prænuntiationum, quam Apoſtolicarum litterarum, quæ nobis & futuras hæreſes prænuntiârunt, & fugiendas præfinierunt. Et ſicut illas eſſe non expaveſcimus, ità poſſe id, propter quod fugiendæ ſunt, non miremur. Inſtruit Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ovium rapaces lupos.*

Tertull. de Præſcrip. cap. 1.

cap. 4.

Quænam ſunt illæ pelles ovium, niſi Nominis Chriſtiani extrinſeca ſuperficies? Qui lupi rapaces, niſi ſenſus & Spiritus ſubdoli ad infeſtandum Gregem Chriſti intrinſecùs deliteſcentes? Nempè ſerpens antiquus *Videns idola derelicta & per nimium credentium populum ſedes ſuas ac templa deſerta, excogitavit novam fraudem, ut ſub ipſo* CHRISTIANI NOMINIS *titulo fallat incautos. Hæreſes invenit & Schiſmata, quibus ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem. Quos retinere non poteſt in viâ veteris cæcitate, circumſcribit & decipit novi itineris errore. Rapit de ipſa Eccleſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe jam lumini, atque evaſiſſe noctem ſæculi videntur, aliàs neſcientibus tenebras rurſùs infundit, ut cum Evangelio Chriſti, & cum obſervatione ejus non ſtantes, Chriſtianos ſe vocent,*

S. Cyprian. de unitate Eccleſ.

&

& ambulantes in tenebris habere se lumen existiment, blandiente adversario atque fallente. Ità S. Cyprianus. Atque ità Diabolus, ut succinit Augustinus, *Hæreticos movit, qui sub Christiano vocabulo doctrinæ resisterent Christianæ.* Scilicet asserentes noctem pro die, interitum pro salute, perfidiam sub prætextu fidei, Anti-christum sub vocabulo Christi, ut dum verisimilia mentiuntur, veritatem subtilitate frustrentur. Ut jure Constantio Imperatori Arianorum protectori intorserit S. Hilarius: *Nunc propria tua accipe. Christianum te mentiris, Christi novus hostis es. Anti-Christum prævenis & arcanorum mysteria jam operaris.* Et iterùm: *Subrepis, nomine blandientis occidis, specie Religionis impietatem peragis. Christi fidem mendax Christi Prædicator extinguis.* Et rursùm: *Ex gestorum fructu Vestimentorum species arguitur. Vestes ovis tuæ, lupe rapax, cernimus.*

Aug. l. 18. de Civ. Dei cap. 52.

S. Hilarius ad Constant. Augustum

Quæ sunt pelles ovium, quibus lupi se contegunt, nisi divinæ Scripturæ? *Scripturas obtendunt*, inquit Tertullianus, *& hâc suâ audaciâ quosdam movent; in ipso verò congressu firmos fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Ex ipsis velut eodem arcu in animas non Charitate inflammandas, sed venenis perimendas insiliunt: Undè de Arianis Magnus Athanasius scribit: *Etiamsi dictiones Sacras ex Sacris litteris scribant, ne sustinueritis hoc genus hominum: non enim recto animo loquuntur, sed veluti indumentum ovium præferunt hæc verba; intùs verò sapiunt, quæ sunt Arij, quemadmodum Hæreseon Princeps Diabolus.* Et

Tertull. cap. 15.

S. Hilarius de iisdem scribit: *Videntur sibi de singulis præstare rationem, quià singulis assertionibus suis quædam ex divinis voluminibus testimonia subdiderunt.* Et alibi: *Memento neminem hæreticorum esse, qui non secundum scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus verbum Dei cum legit, nescit. Hinc Photinus hominem Jesum Christum cum loquitur, ignorat. Hinc & Sabellius, dum,* EGO ET PATER UNUM *sumus non intelligit, sinè Deo Patre & Filio est. Hinc & Montanus per insanas fœminas suas Paracletum alium defendit. Hinc & Manichæus & Marcion legem odit, quià occidit:* ET PRINCEPS MUNDI DIABOLUS EST. *Omnes Scripturas sinè sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt: Scripturæ enim non in legendo, sed in intelligendo, neque in prævaricatione sunt, sed in Charitate.* Rectè ergò idem Sanctus pronuntiat: *De intelligentia* (mala) *hæresis, non de Scriptura est: & sensus, non sermo, sit crimen.* Sic saluberrimum vitæ poculum in venenum vertunt, & per medicinale ferrum vulnere se suosque lethali feriunt.

S Hilarius l.4. de Trin.

Ad Constan. Augustum.

S. Hilarius l.2. de Trin.

Sunt & aliæ pelles ovium, quibus sese occulunt fidei nostræ inimici, nempè Orthodoxæ Catholicorum voces, quas furantur, ne hæretici esse videantur, & veritati simul ac mendacio bellum indicunt, Catholicè loquuntur, & hæreticè sentiunt. Addunt mellis aliquantulum, ut per id quod dulce est, lateat & bibatur ad perniciem quod amarum est. Sic Marcionitæ Catholicum quid sonabant dicentes: *Væ illi qui in hac carne non resurrexerit.*

Tertull l. de Resurr. Car.

Sic

Sic & Eusebiana factio Catholicâ profitebatur linguâ, sed corde Ariano: *Deum Verbum genitum ex Patre, Deum de Deo, Lumen de Lumine.* Nec se tamen Athanasius credidit ovinâ hâc lanâ contectis, sed respondit: *Si scripta ab Orthodoxis proficiscerentur, qualia sunt Magni illius Confessoris Osii, Maximini Galliæ, aut ejus successoris, aut Julii & Liberii Romanorum Pontificum &c. Nihil esset quod in his scriptis suspicareris: sincera enim & simplicia sunt Apostolicorum Virorum scripta. Nunc autem quia ab illis scripta sunt, qui pro patrocinio hæresis gratiam mercedis receperunt, secundùm proverbia Sermones impiorum dolosi, vigilandum est, & sobriè agendum, ne quæ ex magnificentia verborum, & veteratoria calliditate fiat impostura.*

Sic & S. Basilius non sola voce professionis fidei contentus, ad sensum Nycænorum Patrum profiteri voluit Eustatium, aliosque ad gremium Matris Ecclesiæ remeantes. *Convenit,* inquit, *ut suscipiantur, si se juxtà verba, quæ à Patribus nostris Nycææ sunt exposita, &* JUXTA INTELLECTUM, *qui sanè per verba significatur, credere confiteantur.* S. Basil. Epist. 78.

Magnâ censuêre Catholici Doctores cautione vigilandum ad discernendum, num oves essent in sua, num lupi in pelle aliena. Nam Ursacius & Valerius omnem ferè Ariminensem Synodum circumduxerunt; & Vitalis non solum Gregorium Nazianzenum, sed & Damasum Pontificem verborum phalerâ circumvenit. Quemadmodum & Marcellus Ancyræ Episcopus Julium Pontificem, Sardicensem

Synodum, ac omnem Occidentalem Ecclesiam delusit. Ità solebant *corruptis in meliùs irreligiosorum verbis & ambigua significatione, moderatis doctrinam pietatis extinguere* Ariani, ut observat S. Hilarius. Quapropter de illorum vafritie non facilè detegendâ scribit lib. de Orthodoxa fide S. Ambrosius: *Hi, quibus multa nobiscum paria sunt, facilè possunt innoxias mentes, & soli Deo deditas fraudulenta societate percutere, dum malorum suorum virus per bona nostra defendunt. Nihil enim periculosius his hæreticis esse potest, quam qui cum integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, acsi veneni guttâ meram illam ac simplicem fidem Dominicæ, atque ex indè Apostolicæ traditionis inficiant. Undè vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus, vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet: quia nihil tam cogit in mortem, quam sub obtentu fidei fidem violare. Ut enim Gypsum aquâ permixtum lac colore mentitur: ità hîc per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed* SENSUS MENTIS *est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.* Quam cautionem Apostolicæ Sedis Antistites, quo magis versipellium fraudem edocti sunt, subsequenti temporum cursu servaverunt: ut patet in Pelagianis & aliis. Hieronymus quoque acutioris naris Doctor Origenistarum Coryphæum hoc umbone stitit Joannem Hierosolymitanum: *Aut simpliciter nostra fateatur, aut apertè defendat aliena. Nolo verborum ambiguitates. Nolo mihi dici, quod & aliter possit intelligi.*

S. Hilarius l. 1. de Trin.

S. Ambros. l. de Orthod Fide cap 1.

S. Hieron. ad Pamm.

No-

DEDICATIO.

Noviſſimis quoque temporibus, dum in Cornelium Janſenium malè devoti reperti eſſent, & in Romanam Sedem irreligioſi, ejuſdem Sedis ſacrati Præſules eorum experti technas, quibus quinque famoſarum Propoſitionum damnationem ad alienos prorsùs à ſignificato verborum ſenſus detorquebant, nempè *Calvini*, *Lutheri*, &c.: Benè cautum eſſe voluerunt, ut propoſitiones in *obvio Verborum ſenſu*, ſeu *quem verba præ ſe ferunt*, Catholici omnes ejurarent, eumque ſenſum è Libro, cui titulus: *Cornelii Janſenii Auguſtinus* cum propoſitionibus exſculptum declarârunt affatim, dum ut errorem novum ſeu *Hæreſim*, non *Calvinianam*, ſed *Janſenianam* damnandam ſanxêre.

Sed ſunt & alia Ovium vellera, quibus ſe lupi contegunt, ut Dominicum ovile invadant, nimirum Apoſtolicorum, ſinceriſſimorum, ſimplicium, Sanctiſſimorumque Patrum ac Doctorum Eccleſiæ documenta, quæ hæretici, ne traditionis regulam ceu legitimum Sacræ Scripturæ interpretationis gubernaculum deſerere videantur, ſaltem aliqui utriſque velis ſe amplexari finxerunt, ut ſicut per Scripturam, ità per legitimos ejus interpretes errores ſuos conſtabilirent. Sanctorum ergò Patrum ſententiis ſcripta ſua infarcierunt. De Pelagio quid refert ejus debellator Auguſtinus? *poteſt Pelagius ſe latebris obſcuritatis hujus involvere, ut etiam iis, quæ à ſancto Ambroſio conſcripta ſunt, conſentire ſe dicat, & ea ſe quoque conſentire proclamet, ſemperque ſcripſiſſe.* *Aug. de gr. Chr. c. 47.*

Has

Has ovinas pelles detegit idem Doctor, ubi ait: *Videte latebras ambiguitatis falsitati præparare refugia, offundendo caliginem veritati; ità ut etiam nos, cum primum ea legimus, recta vel correcta propemodum gauderemus.* Ut meritò detectis jam undique lupis S. Hieronymus Victor insultet: *ecce victoria est, vos apertè dicere quod sentitis, sententias vestras prodidisse.* Julianum verò Pelagianorum facilè Principem Sanctorum Patrum testimoniis ceu vellere virulentum dogma occultasse; imò & defensasse, quis, nisi hospes in Augustino, nesciat? unde S. Doctor Julianum de S. Joannis Chrysostomi testimonio sibi blandientem clarioribus ejus verbis revicit; & cum reponeret, cur idem S. Joannes seipsum per seipsum non explanasset in uno illo objecto à se testimonio ex homilia ad Neo-phytos deprompto? respondit: *cur putamus, nisi quia disputans in Catholica Ecclesia, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione* (de peccato Originali) *nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur.*

de peccato Orginali. cap. 8.

Hieron. ad Thesip.

Aug. l. 1. cont. Iul. c. 6.

Et nonnè speciosissimo Sanctorum Athanasiii, Basilii, Gregorii, Theophili, &c. Pallio se amictos voluerunt Theodori Mopsuestiensis Episcopi defensores? Joannes namque Antiochenus Episcopus sancto Cyrillo scripsit, Athanasium, Basilium, utrumque Gregorium per latus Theodori transfodiendos, si Thedori dogmata anathemate ferirentur, eoquod similia cum illis prædicasset. Nam Theodorus isto veterum Patrum adornatus palu-

paludamento tantâ in Orientali Ecclesiâ præcellebat authoritate, ut pro damnatis & impiis Magistri dogmatibus tuendis, populus acclamaret: *Crescat fides Theodori. Sic credimus sicut Theodorus.*

Tandem in illa delapsi sumus tempora, ut propter maximi Ecclesiæ Doctoris Augustini authoritatem ipsi Ecclesiæ ferale bellum cieri videamus: nimirum quià Cornelij Jansenij liber ità Augustini testimoniis contextus est, tantôque argumentorum aggere circumvallatus, ut Augustinus ipse videatur, non Jansenius in eo differere; eò pervicaciæ deventum est, ut, licet Romana Sedes Mater ac Magistra Fidei, quinque famosas propositiones è libro isto decerptas asserat, ac in sensu ejusdem damnatas declaret, sanciatque ità ab omnibus sincerè damnandas atque ejurandas, id facere piaculum ducant Jansenij Patroni, rati hoc damnationis acinace Augustini jugulum peti, atque transadigi; imò quod amplius, Pelagium, Cælestiumque in triumphum agi. Atque ità ejulare non verentur, ut exclamasse ferunt S. Polycarpum Smyrnensis Ecclesiæ Episcopum: *O! bone Deus, in quæ tempora me reservasti, ut ista patiar!* Sic miseri Phrænetici se sanos putant, cum sint insani, & insuper Medicum cædunt: *Augustinum* obtendunt, *Augustinum* jactant, ne vel ad latum unguem à Jansenio esse segregem. Sic *firmos fatigant*, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt. Imò universum, quà patet, Orbem Litterarium provocant, ut vel S. Irenæus c. 5. c. 19.

unam propositionem in Jansenio damnabilem, & Augustini celebratissimis dogmatis dissentaneam, quis ausit evictum dare, adoream cum Sanguine uvæ meracissimo pollicentes. Alios gravissimâ Jansenij authoritate, sapientiâ, atque sanctitate in assensum trahunt, nescientes Apostoli præsagientis voces in Melitina Synodo: *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa.* Et S. Epiphanij de Dæmeritarum hæresi differentis effatum: *Per magnos quosque viros introduxit* (diabolus) *errores, ut nos atque Ecclesia Dei perpetuis molestiis, tumultibus ac bellis confunderemur*: Et de hujus hæresis authore Viro magno dicentis: *Egregius ille ac venerabilis senex, quem nos & beatæ memoriæ Papa Athanasius, imò verò Catholici omnes unicè dileximus, Apollinarius Laodicensis hujus dogmatis author & propagator extitit.* Quasi non etiam magnus fuisset Theodorus Mopsuestiensis Episcopus *totius Ecclesiæ Magister & hæreticarum cohortium debellator. Agonibus adversùs Arianos, & alios hæreticos decem millibus per omnem vitam suam decoratus.*

S. Epiph. l. 77. c. 1.

cap. 2.

Joannes Antiochenus ad S. Cyrillum.

Jansenij tamen manes non tangimus, sed manus, damnatam scilicet Pentadem Propositionum, ceu germanam operis ejus sobolem, quam Jansenij Discipuli perperam defendunt immaculatam, si ut Jansenij pensitetur. *Quinamquè sententiam suam quamvis falsam atque perversam nulla pertinaci animositate defendunt, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi*, ut ait S. P. Augustinus. Sed absolutô Magistrô Jansenij con-

S. August. Epist. 162.

condemnantur Discipuli, qui Doctrinam ejus damnatam obstinatè defendunt. Facit hoc præcox nimis Jansseniani voluminis prohibiti pervolutatio, & Augustini alienis oculis lectio, ut discernere nequeant pretiosum à vili, neque Iprensem ab Hipponensi dispescere. Sic venena bibuntur de lacunis, dum purissimi fontes prius non prælibantur.

Sic Julianus Halicarnassii in Caria Episcopus grandis Doctor atque Antistes, ex Manichæi & Valentini lectis libris fuit corruptus, ut testatur contrà Acephalos Anastasius Sinaita. Sic & Archimandrita Eutiches demutatus est. De se quoque ipso profitetur in suorum Operum Præfatione Marcus Antonius de Dominis Archi-Episcopus Spalatensis. Sic Augustini Discipuli non fiunt præcoces Jansenij lectores, vel esse desinunt curiosi lectores asserentium authoritate præ occupati, & in Augustino etiamnum peregrini.

Habet sanè, Amplissime Præsul, habet Jansseniana Hæresis (eloquium est S. S. Clementis P.P.XI.) ovina, quibus amicta est, vellera, habet, quibus simplicitatem mentiatur, vestimenta plusquam duplicia. Habet casta, habet ignita divina eloquia. Habet inhærentem Scripturis Interpretem fidelissimum, quô adornari ambit, Solem ipsum fulgidissimum Ecclesiæ Augustinum, ne quis in voce divinâ mendacium, in luce caliginem se offendere pertimescat. Habet & incomparabilis Viri, tot præconiis in astra sublimati, Jansenij Authoritatem; quem à Sancto Augustino, in quo

totus fuit, vel ab ipsa veritate tàm immaniter exorbitasse, ut præfertur, quis vel suspicari ausit? Inquiunt Jansenij asseclæ.

Adfert hæresis ista tentationem novam, *ut fides habendo tentationem haberet etiam probationem.* Haberet & exercitationem. Sed tantùm permittit Deus esse, *quantum novit expedire atque sufficere admonendæ, atque exercendæ Domui suæ.* Nam *multa ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callidâ inquietudine agitantur, ut adversùm eos defendi possint, & considerantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & instantiùs prædicantur. Ab adversario mota quæstio discendi extitit occasio.* Declarat id S. Doctor exemplis: *Numquid enim perfectè de Trinitate tractatum est, antequam oblatrarent Ariani? Numquid perfectè de pœnitentia tractatum est, antequam obsisterent Novatiani? Sic nec perfectè de Baptismo tractatum est, antequam contradicerent foris positi Rebaptizatores. Nec de ipsa unitate enucleatè dicta sunt, nisi posteàquam separatio illa urgere cœpit Fratres infirmos, ut jam illi, qui noverant hæc tractare atque dissolvere, ne perirent infirmi, sollicitati quæstionibus impiorum, Sermonibus & disputationibus suis obscura Legis in publicum deduxerunt.* Sic quoque ad novam Semi-Pelagianorum hæresim respondit Augustinus: *Didicimus enim singulas quasque hæreses intulisse proprias Ecclesiæ quæstiones, contrà quas diligentiùs defenderetur Scriptura Divina, quam si nulla talis necessitas cogeret.* Aliam Calviniana, seu Lutherana, aliam nunc Jansseniana infert Ecclesiæ quæstionem. At

Tertull. de Præscrip. c. 1.
Aug. epis. 148.
L. 17. de Civ. Dei c. 8.
In psal. 54.
L. de Dono Persev. c. 20.

At quià aliud Calviniſtæ, aliud Janſeniſtæ in Auguſtino ſibi patrocinium fingunt, novis quoque armis Auguſtinus à Janſeniano errore vindicandus, noviſque ex Auguſtini pharetra telis confodiendus venit. A mendaciſſimis Auguſtinum calumniis defenſavit Proſper, & à malis interpretamentis diluit Fulgentius. Ab impactis erroribus, qui contrà Calvinum pro Eccleſia decertarunt. A variis ad labefactandam ejus authoritatem exorbitantibus exceſſibus tuitus eſt Patrem Filius ſapientiſſimus, poſteà Eminentiſſimus Noriſius. Non ideò licet nobis in hôc certamine novô eſſe Pytagoreis, quià in eorum comparatione minimi ſumus. *Numquid aut Tertullianus Beatum Cyprianum, aut Cyprianus Lactantium, aut Lactantius Hilarium deterruit à ſcribendo? Niſi & parva fuerint, magna eminere non poſſunt*, inquit Hieronymus.

Prodeat itàque, vir Ampliſſime, tuo aurigante favore, prodeat antiquæ rursùm Fidei conditor; veterum, novarumque hæreſum Debellator Magnificus *Aurelius Auguſtinus*. Prodeat non adſcitiô adornatus paludamentô, ſed nativô Veritatis fulgore trabeatus: non erraticô turgidus Janſenij ſenſu, ſed defluô à fonte ſapientiæ intellectu fæcundus. Prodeat, inquam, Cornelij Janſenij *Auguſtinus*, ſed ab Auguſtino triumphatus antequam natus, tam ſui vindex, quam Apoſtolicæ Sedis, quæ per ejus latus à Janſeniſtarum parte invidioſiſſimè & calumnioſiſſimè conquaſſatur. Sed ubinam glorioſius victoriæ ſuæ trophæa Magnus

ille Bellator eriget, quam in Norbertinis Penatibus, ubi ejus Doctrina intemerata mansit, & inconcussa? Ubi acceptiùs sibi domicilium eriget antiquæ Fidei Conditor, quam *Averbodii*, ubi vera Charitas, & chara veritas hæreditariô quasi jure à Magno Parente transfusa ità perennat, ut nec siniſtræ suspicionis vel rumor Averbodianam familiam asperserit? Ubi tutiùs fulgidissimus ille Doctorum Phæbus rutilantissimos sapientiæ exporriget radios, quam ubi Germani Aquilæ pulli irretortâ illos acie contemplentur? Ubi uberius Vindicata ab erroris caligine Auguſtiniana veritas resplendebit, quam Averbodij, ubi nec humanæ fumus sapientiæ eam obnubere valeat, neque Janſenianæ argutiæ contenebrare? Nil enim Averbodiana Schola moratur, Magnum licet, Doctorem Cornelium Janſenium, dum Maximum Eccleſiæ Doctorem per omnia æmulari ſtudet Aurelium Auguſtinum; & dum *ad fiſtulam aquæ vivæ, & venam fontis æterni* (ſic os Auguſtini S. Paulinus delineat) os ſuum ponere lubet, his Auguſtini Diſcipulis, Janſenianæ illis lacunæ penitùs ſordeſcunt. Objectantibus verò Janſenij magnum nomen, cum Septimio reſpondent: *Ex Perſonis probamus fidem, an ex fide Perſonas?* Janſenianis verò: *Avolent paleæ levis fidei quocumque afflatu tentationum. Eò purior maſſa frumenti in horrea Domini reponitur.* Tentatos quidem hujus Scholæ Diſcipulos non ambigimus, ſed in morem auri rutilantiores probatioreſque ſemper evaſiſſe ovantes

Tertull. de præſcrip. c. 3.

ovanter ſuſpeximus. Nam quidquid molita ſit *Congregatio Taurorum*, id eſt, *ſuperborum Cornupetarum inter vaccas populorum*, id eſt, *animas ſeductiles*, factum eſt, ut Averbodienſes *excludantur*, id eſt, *appareant* qui latebant, id eſt *emineant: probati ſint argento, id eſt eloquio. Eloquia enim Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum ſeptuplum.* S. Aug. in pſ. 54.

Et hæc quidem, Ampliſſime Præſul, Familiæ tuæ Averbodienſis, cui cum fructu, & exultatione præluces, inextinguibilis Auguſtinianæ æmulatio Doctrinæ, ac cernua in Apoſtolicam Sedem veneratio, digna Deo, Religione digna, plenis, ut ominor, velis in cordis ſui domicilium damnati novi dogmatis Janſeniani Triumphatorem excipiet Auguſtinum noſtrum; imò & *ſuum*, utpotè quô Duce, Judice, ac Vindice, etiam vindicabit ſe adversùm malè-loquorum calumnias inani Janſeniſmi phalerâ infectantium, quibus omne id Janſenium redolet, quod non fragrat Moliniſmum, & vice versâ, omne ſpirat Moliniſmum, quod Janſeniſmum non exhalat. Sed hæc pleraque Præmonſtratenſium Sacri Ordinis Candori communia ſint; immaculata Auguſtini dogmata tueri, & cum Auguſtino Romana reſcripta venerari, & quæ Anathematizavit Apoſtolica Sedes, parili Spiritu Anathematizare. Propria quædam Averbodienſis Familiæ, ejuſque Archimandritarum in Ordinem noſtrum, Conventumque Dieſthenſem nullô obliteranda ævô beneficia me augurari cogunt, quam gratanti excipietur affectu

affectu *Augustinus*, quibus numquam non gratissimus hospes venit Augustinianus. Quæ Reverendissimus Prædecessor tuus SERVATIUS VAES Abbas Jubilarius (cujus memoria in benedictione est, cujusque Duplex Spiritus in Te descendit) Patribus nostris Disthensibus contulit Munificentiæ monumenta; magnifica debuccinat Ecclesiæ Fabrica: enimvero quam munificam manum ejus senserint, habuerintque, & fundamina, & Parietes, & tecta, & interiora deprædicabunt ornamenta in perpetuas æternitates. Quid ultrà? Sunt, VIR AMPLISSIME, beneficia Averbodiensium Augusta nimis, ac penitùs funerari ignara; at spero Angusta, & minima grati animi tributa Amplitudini vestræ non occurrent inaccepta, quià Augustinianô è corde deprompta, de cujus latitudine medullitùs voveo, ut Princeps Pastorum Arietem Gregis Tui Averbodiensis fortunet, dirigat, protegat, & ad immarcessibilem gloriæ coronam provehat.

RMÆ. ET AMPLISS. D. TUÆ

Minimus Cliens

FR. PHILIPPUS VAN WAVRE Aug.

Dabam Mechliniæ.
die 20. *Aprilis* 1709.

FACULTAS
ADMODUM REVERENDI P. M. PROVINCIALIS.

UT Liber, cujus Titulus *Cornelij Ianſenij Auguſtinus Europæus, &c.* Arte, & Marte ab Adm. Rev. ac Eruditiſſimo Patre PHILIPPO VAN WAVRE S. T. Licent. Quondam Studij Lovanienſis Regente, Priore, & modò Provinciæ Flandro-Belgicæ Diffinitore, & à multis annis Lanuginis Auguſtinianæ Inſtructore conceptus, & ab Adm. Rev. ac Eximio P. Magiſtro FRANCISCO PAUWENS S. T. Doctore noſtrô Nomine reviſus, ab eoque Judicatus ſit, nihil contrà bonos mores, aut ſanam Eccleſiæ Romanæ Doctrinam continêre; hinc præſentibus facultatem noſtram ejus Authori conferimus, ut Typis mandetur, & Auguſtinus Africanus ab Europæo diſcernatur. Datum Diſthij in Cœnobio noſtro D. Barbaræ Sacro, Annô 1709. die 21. Martij.

FR. BERNARDUS MATTHIÆ *Ord FF. Erem. S. P. Auguſtini Religioſus, ac Provinciæ Flandro-Belgicæ Prior Provincialis.*

APPROBATIO.

LIbrum, cui Titulus *Cornelij Jannſenij Auguſtinus Europæus &c* Ingenti ſtudiô, induſtriâ & labore à Rev. Adm. ac Eruditiſſimo Patre PHILIPPO VAN WAVRE, Provinciæ noſtræ Flandro-Belgicæ, Ordinis Eremit. S. P. Auguſtini, Diffinitore, S. Theol. in almâ Univerſitate Lovanienſi Licentiato, Profeſſore, Studiorum quondam Regente, Novitiorum Magiſtro &c. elucubratum, & compoſitum, attentè, ac maturè conſideravi, & publicâ luce dignum judicavi, utpotè aptum, qui multorum filiorum corda ad communem Patrem Romanum Pontificem convertat, & ad ſinceram, plenamque Sedis Apoſtolicæ obedientiam reducat. Ità cenſeo, & voveo die 16. Februarij 1709. Bruxellis ad S. Apolloniam.

FR. FRANCISCUS PAUWENS *in Almâ Univerſitate Lovanienſi S. T. Doctor, Profeſſor, nuper Studiorum Regens, ac Provinciæ Diffinitor.*

APPROBATIO.

Admodum Reverendi ac Eruditissimi Patris Magistri Ex-Provincialis EMMANUELIS BALLEXO *Ordinis Erem. S.P. Augustini S. Theologiæ Licentiati.*

CUm attentione singulari legere incepi librum, cui Titulus: *Cornelij Jansenij, Iprensis Episcopi, Augustinus Europæus perperàm dictus &c. Operâ ac Studiô Fratris* PHILIPPI VAN WAVRE, *Ord. &c.* Et cum magno gaudio lectionem istam finio: nam in primis nihil continet Fidei, Ecclesiæ Diffinitionibus, vel bonis moribus contrarium, sed in omnibus positivè consonum. Nam in primis apprimè secernit Augustinum Europæum perperàm dictum ab Augustino Africano, & Iprensem ab Hipponènsi, hoc est, hæreticam à Catholica de Christi gratia doctrinam, &, ut verbo dicam, Author Eruditissimus verificat Libri sui titulum. Non declinat ad dextram nec ad siniſtram, sed consistens in sana & tuta media veritatis via, devitat errorum extremitates duas. Habent hîc avitus Academicus, Palladius, Vincentius Palæologus, alijque Cornelij Jansenij Leer-damensis vindices, quod rimentur, & mirentur. Habent amplam impugnandi materiam, &, si possint expugnare (quod nec creditur, nec speratur, nec timetur) magnam Vincendi causam. Habent S. Augustini Filij, & Discipuli genuinam & avitam magni Parentis & Doctoris sui maximi de gratiâ Salvatoris Jesu Doctrinam, quam Ecclesia fecit suam. Quarè Librum hunc prælo, & Authorem ipsum ex hoc litterario prælio redeuntem Lauro dignissimum censeo. Dabam andæ die 20. Martij 1709.

FR. EMMANUEL BALLEXO *S. Theol. Licent. & Prov. Flandro-Belgicæ Ord. Eremit. S. P. Augustini Ex-Provincialis.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

LIber, cui Titulus *Cornelij Jansenij Augustinus Europæus &c.* tam profundâ Eruditione refertus est, ut veritatis amator à lectione illius non nisi difficulter queat auelli; hac potissimùm luxuriantium ingeniorum tempestate, quâ inæqualiter æstuanti Jansenianæ Pentadis procellâ incauti facilè mergantur naufragantium opinionum oceano; quem feliciter enavigat Rev. Adm. atque Erud. Pater PHILIPPUS VAN WAVRE Operis Author Doctissimus. Dabam Antverpiæ 12. Aprilis 1709.

FR. GERARDUS MELYN *Ord. FF. Erem. S. Aug. in Alma Univ. Lov. S. T. Doctor. & Conventûs Antverpiensis Prior.*

QUod Plurimorum votis jam pridem expetitum est (scilicet discernere Augustinum Hipponensem ab Iprensi) operosè, ac studiosè agit hic Liber Compositus à Reverendo Admodum ac Eruditissimo Patre PHILIPPO VAN WAVRE Ord. Erem. S. Augustini S. Theol. Licent. & Provinciæ Flandro-Belgicæ Diffinitore &c. Qui diuturnâ Lectione Augustinum sibi admodum Familiarem reddidit. Datum Lovanii die 17. Aprilis anno 1709.

FR. NICOLAUS DE TOMBEUR *S. Theol. Lic. & Professor in Universitate Lovaniensi.*

FR. PETRUS HOYDONCK *S. Theol. Lic. & Prof. ac Studij Lovaniensis Regens.*

FR. THOMAS SAN-TERRE *S. Theol. Lic. ac SS. Litterarum Professor in Univ. Lovaniensi.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

QUisquis defæcatissimam, ac saluberrimam M. Augustini Hipponensis *de gratiâ* Doctrinam, Augustino Iprensi apertissimè contrariam, clarè & solidè demonstrari desiderat, Eruditissimum Admodum R. P. PHILIPPI VAN WAVRE Ordinis FF. Eremitarum Sancti Patris Augustini S. T. Licentiati Lovanienſis, & Provinciæ Flandro-Belgicæ Diffinitoris Opus (*Cornelij Jansenij Iprensis Episcopi Augustinus Europæus perperàm dictus &c.*) Evolvat, oretque, ut eumdem Spiritum intelligentiæ accipiat, quem ille accepit, ut scriberet: & eamdem illuminationis gratiam adipiscatur, ut discat, quam ille adeptus est, ut doceret: dabam Brugis 17. Martij 1709.

FR. AUGUSTINUS SPYCKET *ejusdem Ordinis, S. T. Licentiatus Lovanienſis & in Conventu Brugenſi Prior.*

SUmmâ cum voluptate manum adhibens correctricem evolvi Opus cui Titulus: *Cornelij Ianſenij, Iprenſis Episcopi, Augustinus Europæus, perperam dictus &c.* Textus Janſenianos, quos habet author, in fonte consulens deprehendi feralem Janſenij Pentadem è Libro Janſenij cui titulus: *Augustinus* &c. legitimè excerptam, ab Augustini mente penitùs errabundam, hujusque Inclyti Doctoris argumentis funditùs convulsam ac eversam; adeòque non immeritò Petri mucrone jugulatam, fulmine vaticano prorsùs exustam, atque consumptam. vin plura? FR. PHILIPPUS VAN WAVRE S. T. L. Author Operis Eruditissimus *Turrim fortitudinis* ipsa M. Parentis Augustini de Gratiâ per se & ab intrinseco efficaci dogmata *tenens & exindè cuncta hostilium machinamenta telorum cælestis juvaminis virtute confringens non solum ipse de* Janſenianis erroribus *victoriam referens triumphavit, quin etiam posteris certandi & vincendi ordinem, si quandò victa pravitas recidivô ausu infandum caput erigere niteretur, ostendit.* S. Fulg. lib. 2. de Ver. Præd. cap. 18. dabam Antverpiæ 17. Aprilis 1709.

FR. JOANNES LIBENS *Ord. Erem. S. P. Aug. in Almâ Univers. Lovan. S. T. L. & Prof.*

APPROBATIO.

JAnſeniſmum Arnaldus *Phantaſma*, Nicolius *Hæreſim imaginariam*, Alius *Chymæram*, ſinguli ipsô libri ſui titulô, dixerunt; quippè doctrinam in 5. famoſis propoſitionibus damnatam Janſenij librô non contineri, nec ab ejus Defenſoribus ſuſtineri, ſed ab iis omnibus ècontra damnari contendentes: & hæc quidem rectè, ſi propoſitiones iſtæ ſenſu Lutheranô, aut Calvinianô in celebri *ſenſuum diſtinctione*, vel in 17. Epiſtolâ Provinciali exhibito, aut ſenſu gratiæ neceſſitantis, damnatæ forent: & conſequenter, ſi ejuſmodi ſenſus eſſet *obvius quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt*. Cum verò minimè talis ſit, ſed manifeſtè ſit alienus & Propoſitionibus iſtis affictus, illô damnatô ſalva manebat doctrina in 5. Propoſitionibus damnata; dumque dicebatur *pax, pax*, non erat pax, ſed ferale bellum, eoque feralius quò ſub maximè ſpecioſo veritatis Auguſtinianæ adeòque Catholicæ pallio, doctrina iſta damnata fovebatur ac propagabatur. Sed ecce huic graviſſimo ſcandalo auferendo valdè utilem operam navavit hujus Operis, *Cornelij Janſenij Iprenſis Epiſcopi Auguſtinus Europæus perperam dictus &c.* Eruditiſſimus Author, qui in magni ſui & Eccleſiæ Patris ac Doctoris ſcriptis eximiè verſatus, demonſtrat doctrinam 5. Propoſitionum intellectarum in *ſenſu obvio quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt*, in Janſeniano libro tradi, eam ipſam ab Auguſtino improbari, & à Janſenio aliiſque ejus defenſoribus eidem S. Patri non niſi per falſas interpretationes attribui. Dabam Mechliniæ hac 15. Aprilis 1709.

L. C. DE DECKER *Decanus Metropolitanus, judex & examinator Synodalis.*

APPROBATIO.

LEgi Librum, cui titulus: *Cornelij Janseniy Iprensis Episcopi Augustinus Europæus perperam dictus &c.* In quo Author attingit scopum suum, summâ Eruditione & soliditate convincendo, quod quinque famosæ propositiones damnatæ in libro Jansenij contineantur, & quod doctrina S. Augustini sit planè opposita Jansenij Doctrinæ. Insuper digressio Operi adjuncta patefacit & convellit effrænem defensorum Jansenij linguam de Jesu Christi Vicariis, B. Petri Successoribus, Pontificibus Romanis. Unum tantummodò timendum, ne eruditus hic Author adversarios nanciscatur, de quibus S. Augustinus lib. de naturâ & gratiâ cap. 25. *procliviores* sunt quærere potiùs quid contrà ea respondeant, quæ suo objiciuntur errori, quam intendere quam sint salubria, ut careant errore. Datum Mechliniæ 15. Aprilis 1709.

JOANNES BAPTISTA DE SMET *S. T. L. Canonicus S. Rumoldi, Præses Seminarij Archi-Episcopalis.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

APPROBATIO.

LIBER cui Titulus *Cornelij Janſenij Iprenſis Epiſc.*, *Auguſtinus Europæus &c.* Operâ & ſtudio FR. PHILIPPI VAN WAVRE Ordinis Eremitarum S. Auguſtini &c. Imprimi poterit. Actum Antverpiæ 13. Aprilis 1709.

ARNOLDUS EYBEN
Librorum Cenſor.

SUMMA PRIVILEGII REGII.

CAROLUS III. Dei gratiâ Hiſpaniarum, & Indiarum Rex Catholicus, ac potentiſſimus Belgarum & Burgundionum Princeps, Diplomate ſuo ſanxit, ne quis intrà ſexennium citrà voluntatem & conſenſum *Joannis Pauli Robyns* Typographi Antverpienſis, Librum, cui Titulus: CORNELII JANSENII IPRENSIS EPISCOPI AUGUSTINUS EUROPÆUS PERPERAM DICTUS, &c. *Authore Rev. Adm. & Erud. P.* PHILIPPO VAN WAVRE *Ord. FF. Erem. S. Aug. S. T. Lic. &c.* in Belgio imprimat, aut alibi impreſſum in has inferiores Germaniæ Ditiones importet, venalemve habeat. Quiſecùs faxit, exemplarium confiſcatione, aliâque gravi pœnâ mulctabitur, ut latiùs patet in litteris datis Bruxellis die 15. Aprilis 1709.

Signatum

LOYENS.

REVERENDO ADMODUM
ATQUE
ERUDITISSIMO PATRI
PHILIPPO VAN WAVRE

Auguſtinum Europæum cum ſuis Aſſeclis, præclariſſimè proſternenti, atque adeò Auctoritatem ſummi Pontificis acerrimè vindicanti.

Quos jactitantes audio Spiritus
(Vah inſolentes!) atque adeò in Caput
Eccleſiæ Sanctæ ſupremum, hoc
Tempore ſe tumidùm erigentes?
Fors arroganti rursùm acies Dei
Viventis auſu non metuit, tumens
Typho, Golîas exprobrare,
Poſt propriô jugulandus enſe?
Tandem at ſuperbis turgida faſtibus
Diſcant tumorem pectora ponere,
Audaxque ſcribendi in tonantem
Diſſiliat cacöethes Urbem:
Prodit Philippus, Filius inclytus
Magni Parentis: progenies Patri hæc
Haud deneganda, hoſtes paternis
Sternet humi Cataphractus armis.
Hic David hujus temporis, impete
Qui Martiali ac pectore maſculo,
Tenebrionem hujus Goliam
Temporis impetit exprobrantem,

Ac

Ac tortuosum quod caput ĕrigit,
More obstinati turgidus, in Caput
Ecclesiæ, Averruncus acer,
A jugulo generosus aufert.
Augusta, quêis hunc sternit & obruit,
Ignitus Ensis, Dogmata sunt Patris:
Hoc Ense scitè fulminando,
Pestiferum ferit hunc gigantem.
Quantùm ô Philippe! Ostendis in arduõ
Angustiarum te pugilem inclytum,
Ecclesiam ut tantô parentem
Agmine Schismatici fatigant?
Tu Patris Augusti acria dogmata,
Et quidquid illô flumine fluxerit,
Altùm imbibisti, altô recondens
Ingeniô, memorique mente.
Flos Eruditorum Grudiûm, Charis
Cuî fudit almum nectar, & impluit
Alumna menti gratiosæ
Ambrosiam superûm Minerva;
Tibi superni gratia Flaminis,
Patrisque summi candida Veritas
Sedet medullis, gloriosus
Inde tibi paritur triumphus.
Jansenianos, fervidus ardua
Tractare, lassas, ac fidei avios
Nisus retundis, nec duella
Nec metuis, metuende, Diras.

Doloſa ne quos nomina mentiens
Sub Veritatis fallat imagine,
Diffingis artes arte, & aſtus
Artificis retegis latentes.
Jam Vaticanas Viribus ingenî
Arces tuentem te nequeunt ſtygis,
Vireſque, fraudeſque, ac tumultus
Tænariæ cohibere turmæ.
Hæc perge fortis fulmina mittere,
Queîs dura cælo pectora mollias,
Sic pervicaces & rebelles
Concutis eloquiô tonante.
Fruſtrà protervus ſtet Palæophylus
Adversùm: Avitus fruſtrà Academicus,
Pauluſque nequidquam reluctans
Te pugilem ſuperare tentet.
Nunc atra Scriptis temperet hæreſis
Janſenianis: Deſinat impium,
Hoc Carcinoma ultrà in paratam
Repere perniciem Innocentûm.
Tumultuantûm turgidus impetus
Subſidat omnis. Deſine, deſine
Petri Carinæ fluctuanti,
Icariô geniô procellas,
Fatale multis excidium, dein
Movere, Quiſquis ſeu Palæophyli,
Seu larvam Aviti, ſive Pauli-
Aurelÿ geris obſtinatus.

Ab!

Ah! siste tandem, siste ferociam:
Desiste portas perfidus inferi
Ciêre: Romæ te, Philippi
Consilio potiore, dede.
Turbata postquam reddidit OEolus
Tumultuosis æquora fluctibus,
Soles serenos rursùm amamus,
OEolidûm rabiem fugantes.
Hoc Christiani nos quoque quærimus,
Votum hoc Philippi est. Discito subjici:
Erit, Philippo & Veritati
Subdere te, tibi glorioſum.

Ad Janſenij Sectatores.

EPIGRAMMA.

Insanientes dogmatis Assectæ
Janseniani; jam resipiscite
Tandem excitati, fulgurante
Atque tonante adeò Philippo.
Rixam execrantes jungite dexteras,
Sic ut Philippo consociemini,
Ac sitis Augustiniani,
Gratiæ & ingenii unione.
Damnate prorsus noxia dogmata:
Nec non Philippum, ne feriamini,
Timete: rursùs præparatum
Fulmen huic AQUILA administrat.

FR. FRED. STORMS
Augustinianus.

DISSERTATIO PRODROMA.

PARAGRAPHUS I.

QUAMQUAM S. Prosper vir esset tam facilitate eloquii Romani, quam subactâ eruditione Christianæ Gratiæ pollens; Massilienſium tamen, S. Augustini de Prædestinatione doctrinam carpentium, ausibus contraire veritus, Augustinum ipsum consulere præamavit: quia *nos*, inquiebat, *vitæ meritis antecellunt, ad Authoritatem talia sentientium non sumus pares.* Ubi tamen fulgidissimus ille Phœbus Ecclesiæ occubuit, & cælestis illius Doctrinæ radios Vincentius, & alii etiam Infulis exornati, offuscare mendacissimis calumniis non erubescerent; nil moratus eorum dignitatum culmina, & ingenia, Glorioſissimi Magistri armis indutus, ac telis pharetratus obviam venit, *in nullo recedens à tramite earum definitionum quæ in Sancti Viri disputationibus continentur:*

S. Prosper ep. ad Aug

S. Prosper præf. in Resp. ad cap. Gall.

tur: ut facilè vel tenuis diligentiæ advertat inspector, quam injustis opprobriis Catholici Prædicatoris memoria carpatur: & in quod peccatum cadant, qui, alienâ instigatione commoti, scriptorem celeberrimi Nominis, promptius habeant culpare, quàm nosse. Imò cum de Augustinianorum sensu Monumentorum conflictatio fervêret, Gallorum Episcoporum ora compressit, Cælestini Pontificis oraculo impetrato, ita scribentis:

S. Celest. ep. ad Epis. Gall. *Benè de eo omnes in communè senserant, utpote qui ubique cunctis & Amori fuit, & honori: unde resistendum talibus, quos malè crescere videmus.* Præmiserat. *Quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut inter Magistros optimos etiam à meis Prædecessoribus haberetur.* Et quamquàm Fidelissimus ille Augustini Discipulus, exuviis illius armatus, cuncta inimicorum tela confringere potis esset; ne præfidentiæ notam incurreret, qui solus contra præclarissima ingenia pro Augustino, ejusque mente depugnaret; Apostolicæ Sedis Antistitum, ceu Fidelissimorum Augustinianæ Doctrinæ Interpretum oraculis se oppidò munitum censuit, ad obstruenda ora loquentium iniqua.

S. Prosper cont. collat. c. 42. *Per hunc verum,* inquit, *intra Gallias istis ipsis, qui Sanctæ memoriæ Augustini scripta reprehendunt, maleloquentiæ est adempta libertas, quando consultantium actione susceptâ, & Librorum, qui errantibus displicebant, pietate laudatâ, quid oportêret de eorum Authoritate sentiri, Sancto manifestavit eloquio: evidenter pronuntians, quantum sibi præsumptionis istius novitas displicêret, quâ auderent quidam adversus Antiquos Magistros insolenter insurgere, & indisciplinatâ calumniâ prædicationi Veritatis obstrepere. Augustinum* inquiens, *sanctæ recordationis virum pro vitâ sua, atque pro meritis in nostrâ semper communione habuimus, &*, ut supra citavimus ex Epistola Cælestini Papæ

ad

ad Episcopos Galliæ : *Contra istam clarissimæ Laudationis tubam, contra istam Sacratissimi testimonij dignitatem audet quis-quam malignæ interpretationis murmur emittere? & perspicuæ syncerissimæque sententiæ, nubem obliquæ ambiguitatis obtendere?* inquit Prosper. *Ibid. cap. 43.*

Fuerit ergò & meritorum splendore Illustrior, & honorum culmine sublimior, & à subactâ eruditione exornatior Cornelius Jansenius Iprensis Episcopus. Fuerit talis ac tantus, ut pro avertendâ damnatâ Pentade sibi impactâ videretur ipse Hipponensis è superis in arenam evocandus. Fuerint *prima elapsi sæculi ingenia*, ut Jactat Avitus, *quæ Patronos nacta est* causa Jansenii: fuerint subtilis Solertiæ Viriqui Iprensem cum Hipponensi indissolubili nexu jungere ausi sunt: hoc est errorem cum Veritate componere. Non est quod temeritatis, aut Præfidentiæ fœditate collutuler, si Patris mei Augustini defæcatissima dogmata à Janseniano errore vindicare ausim, Janseniumque per Augustinum Triumphare annitar, non parvitate meâ confisus, sed ut olim S. Prosper, Augustini galeâ indutus, & Loricâ protectus. Non sinit enim pietas, ut damnatum à Romanis Pontificibus Augustinum cum Sacratissimis encomiis probato Augustino confœderare impunè videamus. Præsertim cum, non secus ac Prosper, ejusdem Apostolicæ Sedis robore, tam in reprobato Jansenio quam in concelebrato Augustino communiti simus. Hâc enim tutelâ tenuitatem suam contra Atlantes Augustino-Mastyges protexit acerrimus hic Assertor, & præfidentiæ singularis notam absterfit vel maximè. Quis enim ambigat eandem Innocent. X. Alexandro, VII. Clementi IX. Innoc. XII. ac Clementi XI. in repudiando Jansenio adstitisse virtutem, sa-

pientiam, atque prudentiam, quam Cæleſtino, & aliis adfuiſſe Janſeniani non ambigunt in conſecrando Auguſtino. Et rurſum, quis vertat in dubium, eodem ſynceritatis Candore à damnatoribus Janſenii Romanis Præſulibus ab erroris invidiâ, imò & rumore, Auguſtini Doctrinam fuiſſe ſartam tectam, ſignanter ab ejuſdem Cathedræ Moderatore, feliciter regnante, SS. Clemente XI. contra quem, quaſi agmine facto, Janſeniana paucitas, tam numero, quam viribus puſilla arietat? hic namque contra Criminatores ejuſdem Eccleſiæ Doctoris Inclyti, ad omnem poſteritatis memoriam Venerabilem in Auguſtinum referendam, ſublimiter ſatis edixit, dum *fulgidiſſimum Eccleſiæ Solem, Maximumque Doctorem* pronuntiavit, in nullo devius à tramite S. Cæleſtini Prædeceſſoris, quin eodem penè uſus eloquio, elogioque. Sed his non acquieſcet Janſenianorum Goliathus Avitus, cui volupe eſt Cæleſtinum adverſus Gallorum male-loquentiam audire tonantem Aureliumque pro meritis magnis encomijs vindicantem: duriſſimum verò Clementem pro meritis Janſenium in Pentade propoſitionum ferre condemnantem.

Et quod majoris contumaciæ ſignum, Auguſtinum ipſum laudantem & à Janſeniano errore, ut fas erat, diſpeſcentem. Laudes Pontificias in Auguſtinum ubertim effuſas, Lucidationeſque intemeratæ Doctrinæ Auguſtinianæ teſtes, quibus conteſtati ſunt Janſenianæ Doctrinæ Apoſtolici Judices, ſe per Janſenium nolle Aurelij dignitatem imminuere, nedum violare, temerare, perimere (quod Janſenij Vindices obtendebant & obtendunt) inficias ire nequit Pontificiæ dignitatis tam invidus Criminator, quam pervicax Janſeniani erroris defenſor. Quid ergo ad hæc reſponſurum autumemus, niſi

nisi quod novam redoleat Pontificis criminationem, per quam Pontifices Hypocritas reddat, & mendaces; magis autem Gloriæ suæ aucupes ostendat, quam Augustinianæ Doctrinæ synceros Vindices, ac Zelatores? Suspicionibus non agimur. Sunt omni suspicione Validiores Aviti Academici Voces, quas ardens invidia eructavit, ne violentiâ veritatis ad Agonem traheretur erroris, dum in *Paræneſi Vindicata*, seu potius ab orco revocatâ, ad prælibatum argumentum ita remugit: *At neque illud Grandioris est pretii, quod Pontifices in Condemnatione Jansenij sensum Augustini Aurelij excipere visi sint: Quia ex omnibus, Circumstantijs satis liquet, Pontifices illos in Doctrina Augustini non gnaviter fuisse exercitatos*: & CEREMONIALEM *illam* EXCEPTIONEM *ex Magnifica Fama, quam Augustinus Africanus in Ecclesiâ obtinet, primò* AD SUI IPSIUS MET HONOREM (*ne videlicet virum tantum viderentur lædere*) *dein ad qualecumque solatium Episcoporum, pro utroque Augustino stantium, edidisse.* *Paræneſi Vind. fol. 49.*

Itáne Avite, contra istam sacratissimi testimonii dignitatem audes malignæ interpretationis murmur emittere? non est ergò per Cælestini Encomiastica pro Augustino rescripta Gallis male-loquentiæ adempta libertas, dum, consultantium actione susceptâ, quid in Augustini suscipiendum foret doctrinâ, sancto manifestavit eloquio. Reponerent enim, Te Authore, Galli isti Augustino-Mastyges: Cælestinum Papam in Augustini doctrina non gnaviter exercitatum, à Prospero, & Hilario circumventum, cæremonialem istam Augustini laudem emisisisse, ad *sui ipsiusmet honorem*, ne videlicet virum tantùm videretur lædere; ceteroquin eum nolle ab Ecclesiastico sensu, qualem suum existimabant, recedi. Respondêret pariter Collator Prospero

Apostolicæ Sedis Pontifices in Augustino gnaviter non esse exercitatos, quemadmodum illos, quorum censura districtior, & inspectio sagacior apparebat. Quod si dici potuit, ex Prospero concludo: *An victores displicent, & victi placent? tantâque insolentiâ damnati foventur errores, ut pravitatis invidiâ, & Authores nostri pulsentur, & judices?*

S. Prosper ad Collat. cap. 1.

Quod si S. Prosper, & Cælestini Pontificis dignissimo in Augustinum elogio, & ipsius Augustini scriptis munitus, Sugillatorum, & Criminatorum argutiis, telisque se objectare non formidaverit: quantò minus ego expaveſcere debeo Christiano circumdatus exercitu, Antistitum Ecclesiæ armatus dexterâ, consensione Doctorum stipatus, Romanorum Antistitum Authoritate Solidatus; qui sicut Augustinum fecêre irreprehensibilem, ita Jansenium in Pentade sua damnabilem, damnatumque censuêre? Nec jam Aviti exprobrantis vocem, utpote in antecessum exinanitam vereor in Paræneſi sua vindicatâ impugnatores Jansenii, solitâ suâ Approbatorum Jansenianı Voluminis mole, terrentis: *Nam velle subruere causam illam, quæ incomparabilem illum Theologum Cornelium Jansenium parentem habuit; & prima elapsi sæculi (ac fortassis omnium retro sæculorum) ingenia Patronos nacta est; vel hominis à solertissimâ intelligentiâ & Judicio subactissimo excellenter muniti facinus; vel putidè præfidentis animi indicium est...* Ego quidem modulum propriæ parvitatis sentiens, Fratrum meorum Magister, aut Doctor esse non affecto, quorum in veritate condiscipulus semper esse desidero, ipsam Veritatem Magistram invocans, ipsam rogans, ut præveniente, ac subsequente misericordiâ, quæcumque salubriter scienda nescio, doceat me: in his, quæ

Paræneſi Vind. p. 48.

vera

vera novi, custodiat me: in quibus ut homo fallor, corrigat me: in quibus verò titubo, confirmet me: & à falsis ac noxiis eripiat me. Ut in cogitationibus, ac Sermonibus meis, quod salubriter donat, inveniat, & ea faciat de ore meo procedere, quæ sint coram ipso principaliter grata, & fiant fidelibus cunctis accepta. Quidquid tamen, sive pro vero Augustino contra Europæum defensando, sive pro ipso Europæo Cornelii Jansenii subruendo, Scripsero; ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ Matris meæ Judicio, sententiâque suspendo, *ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & Anathematizem, si damnandum, & Anathetizandum esse Judicaverit.* Et, ut à tramite Maximi Ecclesiæ Doctoris non deviem: *O lingua! ô calamus Dei, nostris imprime cordibus, index in tabulis tuis, quidquid spiritus exarat.* Ex hym. Commemor.



§ 2.

JANSENIANORUM THRAZONISMUS

De Perfectâ S. Augustini cum Ianseniana doctrina consensione non est pertimescendus.

QUemadmodum Hæterodoxi, divinorum obtentu eloquiorum, profanas novitates suas obvelare nituntur; ita & sacrorum authoritate Scriptorum interpretamenta sua assolent, licet perperàm, constabilire: atque Scripturas jactantes, & Doctorum Ecclesiæ molem oggerentes infirmos capiunt, & medios cum scrupulo dimittunt. Ita Pelagianorum Coryphæus (Julianum dico) Oris Aurei effata contra Augustinum protulit, ut Catholicam ejus doctrinam, quam Manichæam calumniabatur, tanti Doctoris Authoritate convelleret. Præfidentis vocem Palæstritæ Augustinus ipse refert libro 1. contra Julianum: *Sanctus Joannes Constantinopolitanus negat esse in Parvulis originale peccatum.* Cui re-
cap. 6. spondet: *Itane ista verba Sancti Joannis Episcopi audes, tamquam è contrario tot taliumque sententiis collegarum ejus opponere, eumque ab illorum concordissima societate sejungere, & eis adversarium constituere? absit, absit hoc malum de tanto viro credere, aut dicere. Absit inquam, ut Constantinopolitanus Joannes de baptismate Parvulorum, eorumque à paterna Chirographi liberatione per Christum, tot ac tantis Coëpiscopis suis,* MAXIMEQUE ROMANO INNOCENTIO, *Carthaginensi Cypriano, Cappadoci Basilio, Gregorio Nazianzeno, Gallo Hilario, Medio-*

Mediolanenſi reſiſtat Ambroſio. Ac tandem poſt diſſipatas, clarioribus S. Joannis Chryſoſtomi teſtimoniis, offuſas à Juliano tenebras, Auguſtinus fauces ei premit: *Audiſne hominem in fide Catholica, & Eruditum, & Erudientem diſtinguentem debitam paterni Chirographi, quod hæreditarium nobis in-hæſit, ab eis debitis, quorum per noſtra peccata fœnus accrevit?* & ſub finem capitis: *Ecce cui viro, quam magno Chriſtianæ fidei, atque hujus Catholici dogmatis defenſori, voluiſti veſtrum dogma ſupponere.*

Ecquis neſciat Berengarium contra veritatem Corporis Chriſti in Auguſtiſſimo Sacramento Auguſtini teſtimonia ad-glomeraſſe, ac pariter per Auguſtini eloquia à Guitmundo, & aliis veritatis Catholicæ Athletis fuiſſe ſuperatum?

Revomuit Joannes Calvinus aconitum Berengarii trinâ Palinodiâ eructatum: & contrita tela reſtaurare nixus, aſſerere non erubuit: *Paucis oſtendam Auguſtinum ſine controverſia totum eſſe noſtrum.* Et de Joanne Wiclefo, in opere de Sacramentis, Thomas Waldenſis idem atteſtatur, ita illum affatus: *Dicis Auguſtinum tuum, & inde Sectatores tui glorianter Te cognominant* JOANNEM AUGUSTINI. Sed has Jactantias nil morati Eccleſiæ Catholicæ Doctores, affatim evictum dedêre, nil patrocinii ex Auguſtino impiis dogmatibus mutuari poſſe, pſeudoque Auguſtinos illos Africani, ſeu veri Auguſtini Maximi Eccleſiæ Doctoris fulgore perſtrinxerunt, prout mecum Orbis non dubitat univerſus Romano-Catholicus; & ſi opus, Calvinianis ipſis demonſtrando ſumus.

Calvinus l. 4. Inſtitut. c. 28.

Thomas Wald. de Sacram. c. 26.

Hoc ipſum eſt quod in hoc opere demonſtratum imus: nîl penitus Janſenianæ Pentadi, ejuſque Authori Iprenſium Præſuli, cum Hipponenſi, ejuſque Sacro-ſancta doctrina eſſe commune: ita ut palam fiat *quâ fronte Philalethes Apologiam*

Polemico pag. 4. in fine.

novam pro Sacro-ſancta Janſenÿ doctrina Gallorum idiomate *conſcriptam* in medium proferat.

Nîl me proindè Lepidè nimis Triumphum ſibi pollicentis Philalethis voces calamiſtratæ terrent: nîl inuſitato inflata tumore buccina Martem accendens, & ad teſtimonia omnium Latinê callentium in Republica Chriſtiana provocans in eodem Polemico adverſus Irenicon: *Huc jam intendendi nervi, huc lacerti expediendi, huc contrahendum, quidquid quis pro Bulla Clementina, ſive animis, ſive arte valet: Cetera intempeſtiva, inutilia, præpoſtera, parerga omnia*: Sic CLASSICUM CANO, *ſic ad nova Certamina* PROVOCO *ſic* CIEO *in Prælia, ſi vir eſt, Philirenum ipſum; ut qui Apologiam novam pro* SACRO-SANCTA JANSENII *Doctrina Gallorum idiomate conſcriptam, laceſſere in animum induxit ſuum.* Et rurſum fol. 5. *Concordem eſſe Auguſtinum Europæum cum Africano, ita radiis ſolaribus, omni homini partium ſtudio non præpedito, micat, ut in hanc rem arbitros appellare non dubitem, quotquot Latinè callent in Universâ Republica Chriſtianâ. Nam præter animum ſincerum, Latinæ linguæ notitiam, & qualemcumque ingenii captum, ad palpandam iſtam, quaſi manu, conſonantiam, aliud, me Judice, non requiretur. Faciat periculum, cui aliquid otii, & Sanctæ curioſitatis, ad guſtandum Chriſtianæ pietatis genuinum nucleum, Deus dederit. Non pigebit impenſæ operæ. Pingueſcet anima ejus.* MEDULLAM TRITICI, & SANGUINEM UVÆ COMBIBET MERACISSIMUM: *ſatiabitur planè uberibus Conſolationis Cœlicæ.* VIDEBIT ET AFFLUET, MIRABITUR ET DILATABITUR IN *corde ſuo.* Audet tamen, qui nec Deum nec hominem formidare videtur, humilitatis Paræneticum agere, dum infit ſubſequenter: *Si tamen ad percipienda humilitatis Chriſtianæ myſteria animum attulerit humilem, &*

ab

ab æternâ illâ luce, coruſcante ſuper mentes hominum, (de qua ineffabilia leget) inſtrui ſitientem.

§. 3.

OCCASIO SCRIBENDI

Eſt audax exprobatio, & Provocatio Aviti Academici, & Pauli Aurelii Janſenianæ *hæreſios Defenſorum.*

EGo autem, abſit, ut ad Monomachiam Vos provocem, quos ubicumque apparueritis, ubique diffuſus Chriſti debellat exercitus. Aug. l. 3. cont. Jul. c. 1. *Unus ſum è multis, qui profanas veſtras novitates, ut poſſumus, refutamus.* Idem lib. 6. c. 8. *Sed ô ſi pax Chriſti in tuo corde Vincat, & bona pœnitentia de malâ verecundiâ palmam ferat.* lib. 2. cap. 5.

Horreſco referens contumelias, & verba maledica, quibus Romanos Pontifices conſpuunt, perjuriorumque per juratum Formularium Alexandrinum reos agunt, & tela ſacrilega, quæ in Apoſtolicam Cathedram jaculantur in Janſenium devoti, in Auguſtinum irreligioſi *Avitus Academicus*, & *Paulus Aurelius*: aliique, conſimili titulo phalerati, acuti admodum, & diſerti, ſed à veritate deſerti convitiatores, quibus illud S. Auguſtini apprimè convenit: *Non timemus, cum videmus factum eſſe te Tullianum. Imo potius dolemus inſanum, cum videmus perdidiſſe Chriſtianum.* Illos in excurſu pro meritis encomiis inſectaturi ſumus, geniumque vivis coloribus effigiaturi. Nunc quod ad ſcribendum nos compulit *Aug. lib. 1. op. Imperf. c. 22.*

lit, reticendum non est. Exprobatio, & provocatio præfatorum profligatæ jam dudum Jansenianæ Hæresios, assertorum, defensorumque, qui nil pensi ducentes Apostolicæ Sedis scita, Decreta, fulmina (ne per Jansenii latus, quem Augustinum alterum seu Europæum, ob perfectissimam utriusque consensionem nuncupant) Aurelius Augustinus Africanus Romano jugulatus mucrone censeatur; omnia ingenii sui conamina intendunt, argumentorumque Machinamenta convehunt: ut evictum mundo ostendant, Augustinum Iprensem ab Hipponensi, ne ad latum unguem dissidêre; ac proinde Augustino uno, flante in veritatis culmine, inconcusso; alterum labare non posse, uniusque ruinam alterius fore cladem. Hinc audacissimum illud promanavit *Aviti effatum: Commoveantur & tonent (ut jam moestis oculis conspicamur) sacerdotales ac Regales Curiæ, mutet Sorbona, labet Lovanium, corruat pars ingens Præsulum, irretiantur* Romani Pontifices in malam causam; *non contereret* Jansenium *potestas ulla, non tota* Augusta *(ut se dicunt)* Societas; *non totus mundus, non totus erebus. Stabit sub manu Altissimi protectus, tutus, invictus; nec aliud (nisi instet fortassis dies Domini) promovebit hæc tenax, & dira vexatio.* Eodem Jansenismi amore Limphatus Voluminis pergit, & Dormitantes ut lacerat, Ecclesiæ Custodes, ut acriùs evigilent, excitare præsumit, ut *aures, & oculos admoveant, unde veniat hæc procella*; Librum Litigiosum *in manus sumant; Cum Augustino conferant; veritatem apprehendant, deament, exosculentur; & flentem hactenus per lustra duodecim Christianam Gratiam solentur, recreent, evehant in Triumphum. Amen.* En fucatum pietate Thrazonismum. Non est jam quod demirêre, si, augustori amictus Majestate, contra infe-

Aviti Paranes p. 20.

inferioris subsellij Scriptores provehatur, & invehatur avitus ille Academicus in Paræneſi ſua, *ad Alumnos Almæ Univerſitatis* exaratâ, ſeducendos, & corrumpendos, aut potius faſcinandos inſtructâ; utpote ad Apoſtolicæ Authoritatis exequias deſtinata: & male-loquo ſtylo exprobret: *Nemo enim in totâ illâ* EREMITARUM *Gente, nec inter Sapientiſſimos, & Eximios Magiſtros Veſtros eo animo, atque arte Valet, ut* JANSENIANAM, *quam Vocant*, HÆRESIM, *à tutiſſimis illis, & tantâ ſæculorum Laude receptis, ac per Univerſam Chriſti Eccleſiam celebratis dogmatibus, vel ad latum unguem, ſegreget, ac diſpeſcat.* Audi Jactantiam; opprobrium excipe contumeliâ turbidum: ABJECTA, IGNAVA, *& inertia pectora! quæ toties provocata, dolorem ſuum ſilentio ulciſci debent: nec niſi papyraceis foliis, ad Thuris piperiſque Cucullas ablegari dignis, apud pueros, & imperitos Triumphant.* Ubi addit, per magna duo Lumina Univerſitatis, Fromondum, & Sinnichium evictum fuiſſe, quod NE VEL UNO APICE *ab Auguſtino Hipponenſi diſſideat Auguſtinus Iprenſis.* Rurſum Exprobratorem tumentiſſimum audite: *Sed nec ſtentores, in inferiori gradu poſitos, maturam illam, quam non injuriâ poſtulamus, utriuſque Auguſtini collationem inſtituiſſe, & eâ perfectâ Janſenium reperiſſe ſontem; vel hoc unum Validiſſimo Argumento eſt, quod toties Laceſſiti, ſemper animoſas ſuas auriculas, inſtar Cochleæ in teſtam contrahant; nec è tantâ vociferantium multitudine vel unus proſiliat in Theatrum, qui ſe aut ſocios ab irrogatis in Illuſtriſſimum Præſulem* (Janſenium) *convitiis vindicet.* Alibi priùs diſcutiendum dicit, quis ſit Janſenii ſenſus, Pontificeſque circumſcribere debere, quis ſit ille Janſenii damnabilis ſenſus. At cum folio 14. aſſerat: NIHIL JANSENIO IN JANSENIO *clarius*, quis ſit iſte damnatus

Avitus Academ. paræneſi pag. 3. & 4.

Paræneſi pag. 18.

Fol. 14.

tus à Sede Apoſtolica ſenſus Janſenii tam oculatus, Janſenii perſcrutatorem præterire non potuit: Cum Romana Sedes, non ut opus alienarum tenebrarum, ſed, ut proprium Janſenio ſenſum, damnaverit, dicendo in Janſenii libro obvium. Non minori turgida vento Claſſica intonat Paulus Aurelius, fors ipſe Avitus, nec Spiritu abſimilis, nec ſtylo: primum quidem Propheticâ abuſus voce dicens: *inſtar tubæ* ſe exaltaturum *vocem ſuam*, primùm contra Anathematizatam Janſenii Pentadem, pro obedientiæ officio, Anathematizantes. Dein Janſenii laudibus libri errores abſtergit. Ineluctabilem Janſenii innocentiam ſolari radio ſe donaturum jactat. Dein ad Bella, ſed quæ non eligit Dominus, animum accendit, ſtylum acuit; ut Auguſtinum Hipponenſem Patronum faciat Iprenſis, & munimenta convellat Apoſtolicæ definitionis. Ambit per Auguſtinum Romanos Pontifices vincere, ſine quorum Præſidio Auguſtinus ipſe Triumphatos noluit eſſe Pelagianos.

Paulus Aurelius Prol. Galeat pag. 3.

Et quamquam ſingularius *Societatem, quanta eſt, Univerſam* provocet: atque *omnes quotquot ſunt uſpiam, Molinianos, ut oſtendant, non dico,* inquit, *in quinque propoſitionibus famoſis, ſed in unâ ſolâ ab Hipponenſis Auguſtini vel terminis, vel ſignificatione diſſidêre, tamquam eâdem Victoriâ proſtratus* ADOREAM ILLI *porrigam, & manus dabo.* Ut olim contra Davidem Goliathus, & Auguſtinum Pælagianorum Coryphæus procedebat, ita hic Janſenianorum Primpilus, *quaſi in ſummam prælii optet intelligi.* Hoc enim ſibi arrogare videtur, qui *adoreæ porrigendæ* officium arrogavit. *Sed quam lauta, & lepida gratulatio,* reponit Auguſtinus Juliano. Cui proinde reſpondeo, quod hic Goliatho ſuo mole & Spiritu elato: *abſit à me iſta, quam mihi objicis, arrogantia,*

Pag. 48.

Aug. lib. 3. cont. Iul. c. 1.

L. 2. c. 10.

gantia, ut me istam causam contra vos, unum pro omnibus agere, pollicerer. Ceteroquin, *multum abjecti, & destituti sunt, multumque à te pendent, si hanc intollerabilem arrogantium esse non judicant .... quasi & illi jam cesserint, & tu remanseris, qui destitutam tuearis, quam veritatem putatis.* Unus sum è multis, & si non Molinianis, sed Gente illa Eremitarum provocatâ, & lacessitâ, atque contemptâ; qui sine præjudicio eorum qui præcesserunt, & secuturi sunt Catholicæ Fidei defensores, contra novam hanc hæresim, pro Ecclesia Catholica Matre mea, & Magno Patre Augustino, ejusdemque armis accinctus, pugnaturus venio, quod ante me Glorioſiores milites quoque fecêrunt. De Campo Martio contentio nulla sit. Aream probo, quam delegisti, Paule Aureli, *in propatulo*, aisti, *sit locus certaminis. Augustini*, inquam, *Opera, & Liber Jansenij præsto sunt: nec ille sanctus Pater Ænigmata scripsisse credendus est, quibus Delio aut adipo natatore sit opus; neque hic Egregius scriptor ingenium maceraſſe sybillinis oraculis, quæ nec Apollo quidem, tametsi adlaboret, intelligat.* (proinde obvius Jansenii sensus non est tam altè defossus) *E contra ambo illi viri gravissimi, quod corpus doctrinæ attinet,* PLANISSIMI, LUCIDISSIMI, TERSISSIMI *sunt, nec nisi legentium vitio accidere potest:* (perpende quale judicium faciat de Examinatoribus libri Jansenianì, & damnatoribus 5. propositionum ejus) *ut quæ sit utriusque* AUGUSTINI (*Hipponensis inquam, & Iprensis*) *de genuinis hujus Controversiæ Fundamentis, hoc est, de Gratiæ, & Liberi Arbitrii Viribus Sententiâ quemquam fugiat. Imò ne quidem illa Theologicâ opus est scientiâ, ad utriusque vel consensum vel dissensum accuratè, vel intimè penetrandum. Ingenium mediocre, animus integer, & à præventione purus,*

Paulus Aurelius Apol. 2

purus, libratum maturumque judicium, cum Latinæ Linguæ notitiâ sufficiunt, ad intrandum cubile litigiosæ Veritatis, noscendumque; Justitia, innocentia, & Doctrina antiqua Ecclesiæ quâ parte militet. Itaque, ô! infelix Roma, quæ ne talis quidem viros nacta es, ut rem tam in proclivi positam dignosceret, atque discriminaret post tot lustra jam evoluta: nihilque fidelibus declaravit, dum 5. Propositiones, è libro Cornelii Jansenii excerptas, in sensu ejusdem obvio, ut hæreticas pronuntiavit, & ut tales ab omnibus fidelibus haberi sancivit. Si de rebus, tam cognitu obviis, Sedes ista in suspicionem ducenda; quid de implexis dicent alii opinationum suarum Amatores?

Itaque, ne jactatâ hujusmodi utriusque Augustini Harmoniâ, plenàque consonantiâ, Apostolicis decretis repagulum figere pergant Janseniani, & Augustiniani dogmatis indemnati phalerâ, ineruditis, & Jansenismo præoccupatis illudere pergant; iis maximè, quos non nisi per Jansenium Legere Augustinum, ac perdocêre consuevêrunt: Publicæ utilitati me Consulturum ratus sum, si utriusque Augustini dissonum stylum, sensumque monstrarem in Causa istâ, quam Apostolicâ Authoritate oportebat esse terminatam: de quâ, non nisi cum Hostibus Ecclesiæ, potuit supereſſe certamen. AUGUSTINUM Appellaverunt Janseniani, ad AUGUSTINUM ibunt. Faxit Deus, ut ità illos per nostrum Sermonem revincat, qui plus fidei prodest unicus, omnis quam nocet hæresis. Qui non modo Hostes Ecclesiæ vicit, sed & Vincendi Ordinem, & Arma posteris ministravit. Utinam & illud attendant ejusdem glorioſissimi Pelagianorum, Apostolicæ Sedis judicij adversantium, Triumphatoris: *Et hæc execrabilia dogmata tenentes, & seminantes, adhuc insuper* EFFLAGITANT AUDIENTIAM, *cum damnati debeant agere pœnitentiam.*

Aug. l. 1, ad Bonif. c. 25.

HU-

§. 3.

HUJUS OPERIS SCOPUS.

Arment in Nos linguas ſuas, qui exulare à Veritate, quam cives eſſe Eccleſiæ maluerunt. S. Proſper cont. Collat. cap. 1. *Sed* ADDE ERUDITIONEM HUMILIBUS, *adde* INCREPATIONEM SUPERBIS. Idem epiſt. ad S. Aug. in fine.

QUis, poſt jugulatam, Petri acinace, feralem Cornelii Janſenii pentadem, vel unum illius caput, recidivo auſu, reſuſcitandum aliquandò, præſagire potuiſſet? Quis, poſt armatas contra hanc Lernam omnium dexteras Antiſtitum, quempiam Orthodoxum pro eâ depugnaturum credidiſſet? Quis, poſt evibrata ex arce Angeli in Protogoniſtas Pentados Janſenianæ, fulmina, ſalutifero timore percuſſum iri non ſperaret univerſos, qui efficacis obtentu Gratiæ, & Auguſtinianæ doctrinæ contutandæ prætextu, Magiſtro ſuo Janſenio nuntium remittere detrectaverant? Quis non Janſenianorum Janſenium ipſum jam imitari geſtiret, ubi cauſa, eâ quâ major deſiderari non poterat, diligentiâ, diſcuſſa, finita eſt, & reſcripta tranſmiſſa, ubi *ex Apoſtoſtolicæ Sedis, Eccleſiæque Romanæ Matris ſuæ Judicio* tam humili devotione ſuſpendit ipſe Janſenius, ut glorianter edit? Sciat, *ut illud jam nunc teneam ſi tenendum, revocem ſe revocandum, damnem, & anathematizem, ſi damnandum* *Corn. Ianſ. Epilog. pag. 1071.*

& anathematizandum esse Judicaverit. Quis enim ultra addubitet famosam quinariam propositionem, è Libro Cornelii Jansenii excerptam, in naturali ac obvio dicti Libri sensu damnatam, & ut novam, ideſt Jansenianam hæresim à S. Sede perstrictam esse, quod tam indissonabili Apostolicæ Cathedræ Antistites oraculo prodidêre? Tunc namque Pentas illa confracta est, dum, ad complurium Galliæ Episcoporum instantiam, oblatam Jansenii pentadem perspicuâ cujuslibet articuli censurâ notavit. Hanc verò definitionem suam complexam esse propositiones quinque, non libro Jansenio affricatas, sed revera excerptas, non subobscurè indicatum voluit per verba finalia: *Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ* CONTINENTUR IN PRÆDICTO LIBRO *Cornelii Jansenii.*

Anno 1653. Innoc. X.

Cumque in Gallia Clerici numero pauci, post hanc Innocentianam dictas propositiones proscriptas se damnare profiterentur, sed in alio planè sensu, quam qui à Jansenio traditus sit, ad quem propositiones illas nullatenus pertinêre asserebant; & hoc Cardinales, Archiepiscopi & Episcopi Parisiis congregati eidem Innocentio Pontifici retulissent, respondit: *Jucundum sanè accidit probari nobis luculentius vestræ pietatis zelum in iis partibus obeundis, quas nos omnibus Pastoralis Officii Administris injunximus, ut quâ par est obedientiâ, ubique servari enixè curent Constitutionem nostram quâ die 31. Maii 1653.* DAMNAVIMUS IN 5. PROPOSITIONIBUS CORNELII JANSENII DOCTRINAM EJUS LIBRO CONTENTAM, *cui titulus Augustinus.* Sicque istorum Machinæ paucorum confractæ sunt. At Innocentio ad superos egresso, Pauci illi, resumptis superbiæ viri-

Cong. Paris. anno 1654. 28 Martij.

Innoc. X, ad Congreg. istam die 29. Septemb. 1654.

viribus, Religiosſimos Galliæ Epiſcopos exagitârunt, qui eorum cavillationes, & effugia ad Quæſtionem *Facti* compreſſerunt, & ad Succeſſorem Alexandrum VII. ſcripſerunt, qui eodem labente anno acutiore Janſenii deſenſores mucrone percuſſit, & argutiunculas circa litteram, ſenſumque Janſeniani proſtrati dogmatis ludentes, & Apoſtolicum Decretum eludentes evanidas & vitreas reddidit, *Filios iniquitatis appellans* Cavillatores præfatos. *Cum ſicut accepimus*, infit Alex. VII. *Nonnulli iniquitatis filii prædictas quinquè propoſitiones, vel in Libro ejuſdem* CORNELII JANSENII *non reperiri, ſed fictè, & pro arbitrio compoſitas eſſe, vel non in* SENSU AB EODEM INTENTO *damnatas fuiſſe, aſſerere cùm magno Chriſti fidelium ſcandalo non reformident.* Pergit, & teſtatur ſummam, in diſcutiendâ Janſenii Doctrina, diligentiam adfuiſſe; ac tandem pro Paſtoralis debito officii, præinſertam Innocentii Conſtitutionem, Declarationem, & definitionem confirmat, approbat, & innovat, & 5. *illas propoſitiones ex Libro prænominato Cornelii Janſenii Epiſcopi Iprenſis, cui titulus Auguſtinus, excerptas, ac in* EODEM SENSU, *ab eodem Cornelio Janſenio* INTENTO *damnatas fuiſſe* definit, & declarat.

Anno 1656.

Alex. VII. eodem anno

Cumque recidivo auſu Janſenianam Doctrinam quâ talem, eſſe Catholicam, & Auguſtinianam tuerentur; idem Pontifex Conſtitutionem ſe edidiſſe ſcribit contra *Cornelii Janſenii hæreſim in Galliis præſertim ſerpentem, ab Innocentio X... Ferè oppreſſam ad inſtar colubri tortuoſi, cujus caput attritum eſt, in varios gyros & cavillationum defluxus euntem.* Et ſubdit: *ſed ut multiplices hoſtis hominum generis artes adhibet, nondum plenè conſequi potuimus, ut omnes errantes in viam ſalutis redirent.* Quamobrem, ut non modò

Alex. VII. 1664.

hostes percelleret Manifestos, sed & detegeret occultos, & in fidei sinceritate custodiret illæsos, Cautionem de ejurandâ Jansenianâ 5. Propositionum proscriptâ Doctrinâ, velut formulam quandam edidit cum hocce mandato: *Formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, nec non etiam aliis quibuscumque Ecclesiasticis Ordinis, tam Regularibus, quam sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus atque Magistris subscribi districtè mandamus.* Formula autem nunc omnibus nota est.

S. Prosper cont. collat. cap. 4.

Quodque in partem Gloriæ Zosimo Pontifici S. Prosper adscisçit, quod *contra inimicos Gratiæ non solùm Apostolicis, sed etiam regiis utebatur Edictis*, cedit id laudi Alex. VII. qui non modò Antistitum dexteras armavit adversum novam hanc hæresim: Sed & Regis Galliarum pietatem animavit, & Joannis Austriaci Belgarum Moderatoris inclyti zelum imploraturus, in hunc modum inhortatum venit: *Ne permittas pravas nonnullorum voces, ac doctrinas latius serpere, proseminarique, qui magno cum audientium scandalo, ac pernicie, damnatas jam pridem ab hâc fidelium* OMNIUM MATRE *ac* MAGISTRA, *Cornelii Jansenii Iprensis olim Episcopi sententias* ALIO SANCTÆ HUIUS SEDIS SENSUM, AC MENTEM PERVERSE *trahentes docêre, & propugnare non verentur.*

Alex. VII. ad Ioannem Austriacum.

Contrà Alexandrinam Formulam obluctati sunt rursum Episcopi Nonnulli Gallorum sub successore Clemente IX. Romano Pontifice; ad pristinas Nænias, distinctionesque convolantes, aliamque Formulam Commenti, audiri non meruerant ab ejusdem & Sedis & Fidei Magistro, neque pace potiti, dum ei clare-

secret,

ſceret, quod juxta Præſcriptum Innoc. X. & Alex. VII. *Sincerè ſubſcripſiſſent*, & *ſubſcribi feciſſent* Formulario Alex. VII. additumque voluit dictus Pontifex. *Nam dictorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus firmiſſimè inhærentes, nullam circa illud* EXCEPTIONEM, *aut* RESTRICTIONEM *admiſſuri umquam fuiſſemus.* Gaudium ſuum Pontifex conteſtatur, quod Formulario ſubſcripſerint, damnatis 5. Propoſitionibus IN OMNIBUS *ſenſibus* à fide Apoſtolica damnatis. Fallitur proinde Palladius aut fallere nititur, dum Clementis IX. pro pace & tranquillitate defenſorum Janſeniani dogmatis ævum repetit; fortunatamque Providentiam dicti Pontificis inclamat; ac ſi ſub aliis pactis conditionibuſve cum Janſenianis de pace ſtipulatum, quam cum iiſdem Innocentius & Alexander pacti fuerant. Ita præfatur ad Notas Martinianas: *Jam à Luſtris fortunatâ Providentiâ Clementis IX. diſſidia de facto Janſenij ſilebant.* Si diſpenſatoriè cum aliquibus, clementiuſque egerit Clem. IX. fecêrunt hoc & alii. Fecit & cum Cæleſtino Zoſimus ſpe frugis melioris. Nam, ut S. Aug. ep. ad Sixtum, *alii Severius ſunt coercendi, alii Vigilantius inveſtigandi: alii tractandi quidem lenius: ſed non ſegnius ſunt docendi, ut ſi non timeantur, ne perdant, non tamen negligantur, ne pereant.* Non itaque Clemens IX. Prædeceſſorum ſuorum, pro iniquo fœdere ineundo, ſententiæ refragatus eſt; ſed Decretis eorum robur adnexuit, omnem *exceptionem*, & *reſtrictionem* à formulario exulare decernens.

Clemens IX.

Palladius in præfatione Spongiæ.

Aug. ep 105. & S. Proſp contra col. c. 44.

Innocentius quoque XII. eodem tramite redivivis Janſenianorum argutiis obviandum, & Prædeceſſorum ſuorum Decreta inviolabiliter ſervanda ſancivit. Imò, ne ad extorres à ſenſu Cornelii Janſenii, ſenſûs Janſenianæ hæreſios

damnatio ablegaretur; Janseniusque, ut INIQUITATIS FILII prætendunt, in tuto constitueretur, emanatis aliorum Pontificum sanctionibus ad omne nubilum dissipandum id lucis affudit, ut non modò *absque ullâ distinctione, restrictione, seu expositione* damnari voluerit, & abjurari dictas propositiones; sed etiam *in sensu obvio, quem ipsa propositionum verba præ se ferunt.* Et ne videatur per hoc additum (*sensu obvio*) Prædecessorum Decreta velle alterata, subnexuit: *prout sensum illum damnârunt summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque voluerunt à Christi fidelibus.*

Innoc. XII. 1694.

Et cum, his non obstantibus elucidationis Pontificiæ radiis, umbras, in quibus delitescerent captarent Jansenio devoti: idem Pontifex ad Episcopos Belgij hoc Tenore rescripsit: *Non sine admiratione intelleximus Nonnullos in istis diœcesibus reperiri, qui Verbis & calamo ausi fuerint affirmare, supradicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. Octobris 1656. editam; nec non Formularium, abipsomet pronuntiatum; cum dicto Brevi* UTRUMQUE SPECIFICE *confirmetur, & omninò intenderimus & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur à prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus & singulis ejus partibus uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari.* E quibus invictâ consecutione fluere cernimus, Innocentiano Decreto nolle morem gerere eos, qui Alexandrino Formulario subscribere detrectant aut pertimescunt. Oculatius id inspexit acerrimus licet ac pertinacissimus Jansenii Defensor, ac Jurationis ab Alexandro VII. in Formulario requisitæ impudentissimus Criminator Paulus Aurelius Prolog.

Innoc XII. 1696 ad Episc. Belg.

log. Panegyr. Janſ. *Atque ut omninò ſincerè, & liberaliter agam, fateri compellor, ne quidem placuiſſe mihi umquam opinionem iſtam, quæ vel ex ipſo primo brevi 6. Febr. 1694. edito, ob verba iſta, quæ* AD FIDEI INTEGRITATEM CONDUCUNT, *aliquid mitigationis circa Factum tentavit exſculpere, ſemperque apud me exiſtimavi illud ipſum Breve Janſeniano ſtabiliendo facto potius quam diruendo favêre.* Prolog. Panegy. Sect. 3. pag 59.

Et ante, cum retuliſſet aliquos, *ut ſeſe laqueis periculoſæ jurationis expediant* (ita inſit iſte temerator) *eo temporis articulo, quo formularium ſine reſtrictione ulla Jurejurando firmant, per reſervationem mentalem apud animum ſuum muſſitent:* JUXTA MENTEM PONTIFICIS: *hoc eſt, Juro in Formularium juxta mentem Innoc. XII. qui in* BREVI *ſuo teſtatum fecit, ſe Conſtitutionibus Prædeceſſorum ſuorum adhærere dumtaxat in iis,* QUÆ AD ORTHODOXÆ FIDEI INTEGRITATEM *conducunt; adeoque Alexandrinæ Bullæ, ac Formularij inde promanati duritiem, quâ parte factum continet, mitigavit.* Hoc effugium non probat Paulus Aurelius Janſenianorum licet Anteſignanus, timetque ſuos *periculoſæ Juratïonis* objectare periculis, præamatque juxta nullius Formularium jurare Pontificis. Et Innocentium XII. quod attinet, aſſerit Alexandri VII. Conſtitutioni ac Formulario apprimè conſonare. *Sed jam ſuprà oſtenſum eſt,* inquit, *prætextus illos ſpecioſos per* BREVE 24. *Novembris* 1696. *ſubſecutum non obſcurè reſciſſos eſſe, & vanos redditos. Etenim Breve iſtud diſtinctiſſimè* BINA *imperat, nimirum & damnari quinque propoſitiones in ſenſu obvio; & damnari eaſdem* HABITO RESPECTU OBVII SENSUS DICTI FORMULARII; *qui poſtremus certè obvius ſenſus, niſi omnium oculos configere Velis, juxta receptum à totâ hominum ſocietate loquendi morem, factum* Prolog. galeat. Panegyr Janſen. fol. 58

ipsum verbis vehementissimis, ac splendidissimis ingerit. Hinc & prohibet Pontifex suo arbitrio à quoquam effingi sensum obvium: præcipitque ut Episcopi contra eos procedant, qui voce aut Scriptis edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum sensui dissentaneos. Concludit Jansenista: *Si non aliud quam sensum obvium ipsarum propositionum damnatum Pontifex voluisset; omnia ista, quæ de* ALEXANDRI CONSTITUTIONE ET SENSU OBVIO *ipsius Formularij tam sollicitè inculcantur, prorsus inutilia, parerga, & supervacanea essent; Quod enimverò in* BREVI *tam succincto, ac Verbis tam delectis nervosisque præscripto, nefas sit arbitrari.* Atque ita, ut ille arguit, aut Jansenianarum 5. propositionum condemnationem jurejurando confirmas juxta Formularium Alexandrinum, & periculosæ jurationis periculis te objicis; aut juxta Innoc. XII. Breve *Insensu Obvio* idem præstas; & nec sic laqueis periculosæ jurationis te eximis: quia eadem utriusque Pontificis expressa sententia te involvit. Unde Jansenista esse non desinit, qui Innocentianam Venerari se profitetur, & Alexandrinam cum Formulario suo Costitutionem amplecti reformidat. Ad alium Jansenianæ hæresios Profligatorem properemus.

Tandem cum memoratorum Apostolicæ Sedis Antistitum definitionibus mortiferis ausibus rebellare non desisterent nonnulli Jansenii perversissimi defensores: beatissimus Papa Clemens XI. (diu regnet in terris, ut cum B. B. Apostolis Petro & Paulo triumphet in Cælis) coactis in unum Prædecessorum suorum Innocentii X. Alexandri VII. Clementis IX. Innocentii XII. Quinque Cornelii Jansenii propositiones damnantium Decretis; Authoritatis Apostolicæ munimen adjecit, eaque concordissimâ

sibi

sibi consensione cohærere declaravit, ac insuper addidit: *Ut quævis in posterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ Filij Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impij in tenebris conticescunt) sed & interius obsequendo, quæ* vera *est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant, hâc nostrâ perpetuo valiturâ constitutione: Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minimè satisfieri; sed* DAMNATUM *in quinque propositionibus* JANSENIANI LIBRI SENSUM, *quem illarum verba præ se ferunt, ut præfertur, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum, non solum ore, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec aliâ* MENTE, *animo, aut* CREDULITATE *supradictæ Formulæ subscribi licitè posse.* *Clemens PP. XI const. vineam Domini 1705.*

Itaque quod adversum Pelagianos olim Dominus *operatus* est in *Innocentio, Zosimo, Bonifacio, Cælestino, Xisto*; egit contra Jansenianam Pentadem in quinque ejusdem Sedis Antistitibus *Innoc. X. Alexandro VII. Clemente IX. Innoc. XII. ac Clemente XI.* Causa utraque Romæ finita, utinam posterior, ut prior, finiatur error. *Hujusmodi hominum pravitati non tam disputationum studio, quam Authoritatum privilegio resistendum* foret, *ut de prostrati dudum dogmatis corpore nullum membrum* sineretur *assurgere.* At cum & ipsam Sedis Apostolicæ Cathedram evertere, & summos Pontifices rabido ore discerpere aliqui non vereantur, omniaque Authoritatum munimina se posse convellere autument, si Cornelii Jansenii librum possint innoxium reddere, aliis armis eos debellandos existimavi. Non argumentis cedent nostris, qui Matris ac Magistræ Fidelium omnium non acquievêre monitis, præceptis, minis atque fulminibus, nî Deus misereatur; qui signa dat infidelibus non fideli- *S. Prosper contra coll. c. 44.* *Ibid.*

bus, quibus infidelitatem pellere præparat. Aderit, Spero, Dominus, ſicut adfuit iis, qui contra impios & Chriſto profeſſos inimicos Evangelium defendêrunt. Miſerebitur & filiorum iniquitatis, ut quos Eccleſia Catholica & maternâ lenitate ſuſtinuit, & judiciariâ ſeveritate, vel potius medicinali neceſſitate damnavit, *aliquando intelligant, non litigent ut non intelligant; quod dicimus intendant & non contendant, illuminentur, & non calumnientur.* Sed quis ordo diſpoſitionis meæ ſit, video præmittendum.

Ianſ. in Epilog. Pag. 1071.

Primo itaque pro gloria Matris ejuſque judicio tuendo, cujus *myſterijs infantulus initiatus, cujus fide cum lacte imbutus fui, & crevi & adolevi, & ſenui* (verbis utar Janſenii contra Janſenianos) cujuſque trutinæ mea cuncta ſubjicio; depugnaturus venio contra eos, qui Matris viſcera lancinant, obliti cujus filij ſint, quod S. Aug. improperat Juliano: *Et fides iſta Chriſtiana eſt, & te certè occidentalis terra generavit, & occidentalis regeneravit Eccleſia.* Et alibi, ſe memorem Patris ejus memoris ajebat, cui id gratulabatur, quod vitâ functus eſſet, priuſquam filium ex Adam malè natum, ſed in Chriſto renatum, videret hæreticum. Quod & gratulamur Janſenio, quod hinc exceſſerit, priuſquam cerneret diſcipulos ſuos hæreticos, cum jam in aperto ſit, ſaltem per aſſiduas Janſenii Apologias, & Eccleſiæ Catholicæ pro cauſa Janſenii Janſenianorum rebelliones, veros, non Phantaſticos Janſeniſtas Matrem laceſſere. Pro irrefragabili & irrectractabili, inquam, Sedis Apoſtolicæ oraculo judicioque (quod & multi alii præſtiterunt) contra quinque famoſas propoſitiones è libro Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi excerptas & in ejuſdem obvio ſenſu damnatas, defenſando,

Aug. l. 1. cont. Iul. c. 4.

me

me vadem constituo, & convicturum confido ex ipso Cornelii Jansenii volumine, & excerptas ex eo non malitiosè, nec fictè propositiones præmemoratas, neque libro isti affricatas, sensumque damnatum non Calvino, Luthero, aliisque Erronibus vindicandum: sed libro Jansenio, ut fætum proprium, tribuendum. Unde clarescet, quod Sedes Apostolica, studio vehementiore, diligentiorique sagacitate librum Jansenianum inspexerit, mensuras sensuum libraverit, pondera locutionum trutinaverit, numeros syllabarum eventilaverit, pretiosum à vili discreverit, ut Catholico licet Doctori (quod & olim accidit) notam erroris affigeret, & pro merito suo erroneum judicaret, prout judicavêre jam Romani Pontifices. Sicque apparebit æquius hujus Sedis fuisse judicium, quam fuerat aliorum, quos antea securus favor erga Jansenii personam, merita, sapientiamque devotus, & benignitas censurantium librum ejus injuriosa non viderat.

Et cum, licet ad solis oculum evictum monstrares dictas 5. Propositiones, saltem quod sensum attinet, in libro Jansenio delitescere, pertinacissimè tamen inficias eant in sensu Jansenii damnatas esse aut, quod amplius, damnabiles esse, hoc unico Clypeo protecti; quod Cornelii Jansenii Augustinus sit Augustinus alter, quem Vaticana non feriant fulmina, & Augustinum unum ut ovum ovo esse similem, ideoque unum sine altero sauciari non posse; Augustinus ipse, quem appellant, judex eorum stabit, pro sua sinceritate ac integritate doctrinæ certabit, Jansenium que in quinariâ propositione damnatâ suum non esse monstrabit, & confutabit. Hoc alterum est hujus operis Molimen: *Augustinum Iprensem per Hipponensem sternere,*

nere,

nere, ut quo duce viginti amplius annis contra inimicos Gratiæ Dei, Catholica acies pugnavit, & vicit, eodem quoque ductore, atque victore contra novam Janſenianam hæreſim, Chriſto, *Gratiæ ejus*, ac *Libertati Chriſtianæ inimicam* triumphaſſe Catholica gloietur Eccleſia. Hoc eſt quod titulus ipſe præfert: CORNELII JANSENII AUGUSTINUS, &c.

Ut exinde videant Janſeniani libri Vindices ſe zelo indiſcreto pro S. Auguſtini doctrina decertare *Janſenii Auguſtinum* tuendo: atque de ſe verificari, quod magnus Gregorius de trium capitulorum defenſoribus, obtentu Chalcedonenſis Synodi ſeſe tuentibus dixit: *Quem hæc noſtra Declaratio non ſanat, non Chalcedonenſem Synodum diligit, ſed Matris Eccleſiæ ſinum odit.* Adſit nobis Magnus ille hoſtium debellator, qui *turrim fortitudinis ipſam Gratiam* tenens, & exinde cuncta hoſtilium Machinamenta telorum Cæleſtis juvaminis virtute confregit, non ſolum ipſe victoriam referat: ſed & certandi & vincendi ordinem, oſtendat; præſertim cum ejus armis, id eſt verbis indutus ac phaleratus inimicus incedat. *Auguſtinus eſt* qui inclamatur, *Auguſtinus eſt*, qui triumphet, ut Auguſtinus alius juſtè damnatus cenſeatur, quia ab *Auguſtino damnatus convincetur priuſquam natus.* Itaque à Cornelii Janſenii cum Apice Doctorum diſſenſione perfectiſſimâ ducendum exordium. Hanc ſi ego documentis claris ac validis confirmavero, non ſpernendam, credo, ad diſſidia illa luctuoſiſſima, quæ non inter Eccleſias hodieque fervent, ſed ab irrequietis Privatorum animis adverſum unam ſanctam Catholicam Eccleſiam cientur, non ſine debitæ erga Sedem Romanam ſubjectionis temeratione, verè fidelium ſcandalo, ac præſertim eo loci ubi Petri gla-

gladius violenter cohibetur, offensione multorum, compugnantibus inter se suggestibus & aris, ubi quisque è Cathedra definit, & Romanæ Cathedræ, unde pendent omnia, voces non admittit: Quasi non sit Ecclesia *populus sive Grex Pastori adunatus.* Sic arma dantur hostibus manifestis *sic firmi fatigantur, infirmi capiuntur, medii cum scrupulo dimittuntur.* Tertull. de Præscript.

§. 4.

Non purgat Cornelium Jansenium, quod errorem acerrimè impugnaverit Pelagianum.

Possunt enim duò errores inter se esse contrarii, sed ambo sunt detestandi, quia sunt ambo contrarii veritati. S. Aug. l. 2. ad Bonif. c. 2.

QUamquam plurima digna Deo, Religione Catholicâ dignissima, nec Augustino indigna scripserit Illustrissimus Iprensium Episcopus Cornelius Jansenius; & implacabili Pelagianos odio visus sit insectari: & pro veræ Gratiæ defensione per ipsum Augustinum in multis sine periculo depugnaverit gloriosè; non ideò à damnatæ Pentados erroribus immunem fuisse credere possumus, aut debemus: cum nos Ecclesiæ Catholicæ Authoritas aliud doceat, & ipsa Jansenii monumenta eidem consona persuadeant. Quod Pelagianos impugnaverit, benè fecit: nam hæresim istam non solum fides Catholica

tholica detestatur, verum etiam Hæretici, qui non sunt Pelagiani. Sic & Manichæos Pelagiani, & Pelagianos Manichæi anathemate ferîerunt. Nec ideò amabiles fuerunt Pelagiani, quia Manichæorum adversati erroribus, nec Manichæi quia Pelagianum oderunt errorem; sed ambo detestandi, quia ambo contrarii veritati. *Absit ut Catholica Mater propter alterorum odium alteros eligat amare, cum monente, atque adjuvante Domino debeat utrosque vitare, & cupiat utrosque sanare.* Non ideò amabiles Janseniani, quia anathematizant Pelagianos: nec Pelagiani, si dentur, quia detestantur Jansenianos.

S. Aug. l. 2. ad Bonif. c. 2.

Neque enim Jansenius quia Pelagianorum morbo non laborat, propterea fidei sanæ est. *Non unum pestilentiæ est genus, quemadmodum in Corporibus, ita & in mentibus. Sicut ergò Medicus corporis non continuò pronuntiasset à mortis periculo liberum quem negasset Hydropicum, si aliò lethali morbo perspexisset ægrotum*: Ita isti Veritas non gratulatur, quia Pelagianus non est, si alio genere perversitatis insanit. *Quapropter aliud, est quod Anathematizamus cum eis, aliud quod in eis. Detestamur enim cum eis, quod rectè displicet etiam ipsis; ita tamen ut detestemur in eis, unde rectè displicent ipsi sive* Jansenius, *seu* Janseniani, sive Pelagiani. Facit id sæpè odium, ut, dum stulti vitant vitia, in contraria currant: *Sicut Arriani dum Sabellianos fugiunt, in pejus aliquid inciderunt: Quia Trinitatis ausi sunt non Personas dividere, sed Naturas. Ita Pelagiani dum Manichæorum pestem in perversum vitare conantur, de Nuptiarum fructu, ipsis Manichæis convincuntur perniciosiora sentire, credentes parvulos Christo medico non egêre.*

Lib. 2. c. 1.

Lib. 2. de Nupt. & conc. c. 23.

Manichæorum, & Pelagianorum errores succinctè confert S. Augustinus: Manichæi dicunt, *Deum*

Deum bonum non omnium naturarum esse creatorem. Pelagiani dicunt Deum non esse omnium ætatum in hominibus mundatorem, salvatorem, liberatorem. Catholica utrosque redarguit, & contra Manichæos defendens Dei creaturam, ne ab illo instituta negetur ulla natura; & contra Pelagianos, ut in omnibus ætatibus perdita requiratur humana natura. *Lib. 2. ad Bonif. c. 2.* *Coll. 1. Manichæos cum Pelag.*

Manichæi concupiscentiam carnis non tamquam accidens vitium, sed tamquam naturam ab æternitate malam vituperant. Pelagiani eam tamquam nullum vitium, sed naturale sit bonum insuper laudant. Catholica utrosque redarguit, Manichæis dicens, non natura sed vitium est: Pelagianis dicens, Non à Patre, sed ex mundo est, ut eam velut malam valetudinem sanare utrique permittat, desinendo illi tamquam insanabilem credere, isti tamquam laudabilem prædicare. Manichæi negant homini bono ex libero arbitrio fuisse initium mali. Pelagiani dicunt, etiam hominem malum habere liberum arbitrium ad faciendum præceptum bonum. Catholica utrosque redarguit, Et illis dicens: *Fecit Deus hominem rectum.* Et istis dicens; *Si vos filios liberavit, verè liberis eritis.* Manichæi dicunt, *Animam particulam Dei naturæ malæ commixtione habere peccatum.* Pelagiani dicunt: *Animam justam non quidem particulam, sed creaturam Dei etiam in istâ corruptibili vitâ non habere peccatum. Catholica utrosque redarguit,* Manichæis dicens: *Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum.....* Pelagianis dicens: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.* *Coll. 2.* *Coll. 3.* *Coll. 4.*

His morbis inter se contrariis Manichæi Pelagianique confligunt, *dissimili voluntate, simili vanitate; separati opinione diversâ, sed propinqui*

qui mente perversâ. Modò lubet Pelagianorum & Jansenianorum errores inter se conflictantes intueri.

Aug. de nat. & Grat. cap. 51.

Pelagiani dicunt *Possibilitatem non peccandi inseparabiliter naturæ inditam.* Jansenius, & Jansenianí dicunt: *etiam justis* per Dei Gratiam conantibus, & volentibus possibilitatem sublatam adimplendi aliqua mandata Dei. Utrosque Catholica redarguit, Pelagianis dicens: *Sine me nihil potestis facere. Non sumus sufficientes ex nobis quasi ex nobis &c. Deus est qui operatur in vobis velle & perficere.* Jansenianis vero: *Fidelis Deus qui non sinet vos tentari ultrà quod potestis.*

Collatio 1. Pel. & Iansſ.

Coll. 2.

Pelagiani dicunt: Ad merendum & demerendum sufficit potestas naturalis æquâ lance sive ad bonum faciendum sive ad omittendum, aut malum faciendum disposita. Jansenius dicit: *Nulla Gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus voluntatis liberis formidanda est, sed sola coactio & necessitas violentiæ.* Nam quod non amplius damnationem graviorum eorum (Dæmonum) *peccata mereantur, statui peccatorum, non innocentiæ talium actionum tribui debet . . . . Peccati enim damnabilis ratio, sicut & laudabilis benefacti ab arbitrii libertate dependet. Cum nihil aliud ei liberum sit, quam quod est in nostra potestate, nihil profectò magis in nostra potestate esse potest, quam quod fit volentibus nobis: & proinde nihil magis liberum.* Pelagianis dicit Catholica: *Si vos Filius liberaverit, liberi eritis.* Jansenianis verò: in merito hominis lapsi justificati ponitur: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Et, *mandata ejus gravia non sunt.*

Ianſ. lib. 8. de Grat. Christi c. 19. pag. 869.

L. 4. de Stat. Nat. lapſæ cap. 25. pag. 664.

Ibid.

c. 24 pag. 663.

Coll. 3.

Pelagiani dicunt Christum pro omnibus mortuũ esse, qui sive per naturam sive per legem, sive per Christianam Doctrinam, Christi exempla salvari voluerint. Jansenius dicit: Illud *se redemp-*

demptionem dediſſe, paſſum, crucifixum indicat, *Intentione morientis pretium pro illis oblatum eſſe, ut ejus oblatione placatus Pater* RE IPSA *de ſervitute liberaret, non ſub iſta conditione ſi* IPSI VELINT, *qui niſi Deo donante velle non poſſunt, ſed* UT VELINT, *& credant potenter in eorum voluntatibus operando.* Item: *Omnibus illis pro quibus Sanguinem fudit, & quatènus pro eis fudit, etiam ſufficiens auxilium donat quo non ſolum poſſunt, ſed etiam* RE IPSA *velint, & faciant id, quod ab eis volendum, & faciendum eſſe decrevit.* Utroſque Catholica redarguit. Pelagio dicit: Si per naturam, ſi per legem juſtitia, ergò gratis Chriſtus mortuus eſt. *Nemo venit ad me niſi pater meus traxerit eum. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi Vos.* Janſenio dicit: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt, & ad omnes* nemine excepo dictum: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto non intrabit in regnum Cælorum*; ſic ut comprehendantur hâc lege parvuli qui ad baptiſmum non perveniunt.

Ianſ. l. 3 de Grat. Chr. c. 21. pag. 385.

pag. 388.

Coll. cum Semipelag.

Similiter Semipelagiani dicunt: *Univerſis hominibus propitiationem, quæ eſt in Sacramento ſanguinis Chriſti, ſine exceptione eſſe propoſitam: ut quicumque ad fidem, & ad baptiſmum accedere voluerint, ſalvi eſſe poſſint.... itaque quantum ad Deum pertinet omnibus paratam vitam æternam: quantum autem ad arbitrij libertatem, ab his eam apprehendi qui Deo ſponte crediderint, & auxilium Gratiæ merito credulitatis acceperint.* Janſenius dicit pro juſtorum conantium, & volentium per Chriſti Gratiam uſque in finem in juſtitia perſeverare ſalute, non eſt mortuus Chriſtus, ſi prædeſtinati non ſint: *Scivit enim quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat: ſcivit hoc Decretum, neque ullius preti oblatione mutandum*

S. Proſper ad Aug.

Ianſ. l. 3. de Grat. Chr. cap. 20. pag. 389.

tandum esse, nec seipsum velle *mutare. Ex quo factum est*, ut *juxta Sanctissimum Doctorem, non magis Patrem pro æternâ liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Utrosque Catholica redarguit. Semipelagianis quidem dicit: *Inventus sum à non quærentibus me. Præparatur voluntas à Domino. Vobis donatum est, ut credatis in eum. Quid habes quod non accepisti? Gratiâ Dei sum id quod sum. Non quod idonei sumus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis.* Jansenio verò dicit, & Symbolum docet: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis.*

1. Corint. 8. ℣. 11. Et alterum: *Qui passus est pro salute nostra.* Et

S. Aug. l. 3. ad Bonifac. cap. 9. illud Apostoli: Et *peribit infirmus in scientiâ tuâ frater, propter quem Christus mortuus est?* „*Utrosque igitur Catholica Fides, sicut & Cæteros Hæreticos adversarios invenit, utrosque divinorum Testimoniorum authoritate, & luce veritatis convincit.*

L. 4. c. 4. His ita se habentibus, quid prodest novellis hæreticis INIMICIS CRUCIS Christi, *& divinæ oppugnatoribus Gratiæ, quod à Manichæorum* (Pelagianorum) *errore sani videntur, & aliâ suâ pestilentiâ moriuntur?*



Illu-

§. 6.

Illustrissimi Episcopi Iprensis CORNELII JANSENII

Vita immaculata, zelus, sapientia, merita de Religione & Rege, & Illustrissimorum virorum ejus librum celebrantium testimonia plurima, non emaculant damnatam Pentadem famosarum Propositionum.

PElagius de quorumlibet Sanctorum Amicitiâ se jactaverit; QUORUMLIBET DE SUIS LAUDIBUS litteras legerit, quælibet purgationis suæ gesta protulerit; nisi ea, quæ contra Dei Gratiam, quâ vocamur & justificamur, posuisse in libris suis idoneorum testium fide probatur, confessus anathematizaverit; ac deinde contra hæc ipsa scripserit, & disputaverit: nequaquam his, quibus plenius notus est, videbitur esse correctus. S. Aug. l. de Gestis Pelagij c. 29.

Dum Pelagius non rectè, imò perversè contra Dei Gratiam scripsisse à fratribus offensis accusaretur, à Laudibus epistolaribus Episcoporum, humanitatis ergò sibi delatis, innocentiæ præsidium, ac purgationis obtentum mutuandum ratus; ad Episcopale Judicium vocatus, eas in medium protulit: Epistolam quoque S. Augustini sibi missitatam in quâ, eum salutavit: *Dominum, dilectissimum, desideratissimumque* Augustinus nuncupaverat. Quod non inficiatus Augustinus; inane prorsus esse præsi-

dium, ac purgationis remedium, præfatis verbis ostendit. Addit Augustinus fortè Episcopos ignorasse, cum ei scriberent, quod hæc perversa sentiret. *Quid enim & prosunt tantæ ejus laudes in Epistolis Episcoporum, quas pro se commemorandas, vel etiam legendas, vel etiam allegandas putavit: Quasi cum hæc perversa sentiret, omnes qui vehementes & quodammodò ardentes ad bonam vitam exhortationes audierant, facilè scire potuerint?* Quid ergò pro innocentiâ Jansenianæ doctrinæ, (quam sontem sæpiùs Apostolica Sedes & Magistra fidelium omnium censuit, ac pronuntiavit Hæreticam) evincet Eruditorum Chorus ex omni Ordine, Gradu, Instituto numero quinquaginta sex laudum immensarum præconio celebrantium Cornelii Jansenii Augustinum, in unum coactus à Paulo Aurelio in prologo galeato, seu potius Goliathæo panegyrios Jansenianæ, & in Panegyri? Nempe ut ostendat *ad moralem quamdam impossibilitatem pertinêre, ut liber tot erroribus horridus, à numeroso isto litteratorum omni generum senatu, tantis encomiorum calculis probaretur.* Quasi districtior, & sagacior inspectio non inveniret postmodùm, quod ante securus favor & benignitas incuriosa non viderat. Aut moraliter impossibile dixeris 56. Jansenii præcones Jansenianæ Voluminis lenocinio incantari & in Jansenii castra transire? An non plures in Cypriani sensa migrârunt? An non plures ad Theodori Mopsuestienses, & aliorum?

cap. 25.

Sect 1. pag. 4. Panegyr. 35. & seq. Prol. Galeat. 323.

Ab Encomiis Jansenianæ Voluminis, ad Personæ merita, vitam, sapientiamque progrediamur. Jansenii Panegyrestem audiamus: *Talem ac tantum Heroëm Doctorum Præsulem, sub horrendissimis contumeliis fatiscentem, cum possumus, non tollemus è cæno? id enim veritas nullo pacto finit.*

Prol. Galeat. Sect. 1. pag. 4.

sinit, Charitas severè prohibet, Justitia detestatur. Et antè: *Sempiternone silentio patiemur*, UNUM GLORIOSUM IN GENERATIONE SUA, *Hominem* MAGNUM VIRTUTE *& Prudentiâ suâ præditum, pulchritudinis studium habentem, Virum Misericordiæ, cujus pietates non defuerunt, Crudiarum Athenarum florem, Catholicæ Fidei propugnatorem intrepidum & excellentem, Apostolicæ Sedis* (sed ad infamiam Jansenianorum) *acerrimum vindicem, Regis Hispaniarum Patronum egregium, Episcopalis ordinis decus ingens, traduci in Heræsiarcham, &c.* Et rursum: *Quæ est ergò ista æquitatis eversio, ut soli perillustris Jansenij defensores agantur rei, quod Episcopum insignem trophæis pro Ecclesia deportatis glorioſum, universitatis Lovanienſis permagnum decus, religionis Catholicæ olim in Belgio fatiscentis columen, sub fætido, quod olim* PERPERAM *adspergitur, luto hæreseos non patiantur putrescere?* *Prol. Galeat. c. 22. Sect. 1.*

Spectastis arma? scilicet Jansenii merita. Modò à fronte Galeæ emicantem ignem intuemini. *Statui*, inquit, *apud animum meum (tantâ malorum Erinnide Ecclesiam Belgicam invadente*, nempe ob Formularium Jurejurando confirmatum) *non jam amplius tempus tacendi, vel coram Deo gemendi, sed* INSTAR TUBÆ *exaltandi vocem suam, solemniter advenisse.* *Sect. 1. pag. 3.*

Sic argumentarier, quid est nisi damnatissimis ac profligatissimis Ecclesiæ hostibus tela procudere, hæreses ab orco revocare, & cum victis damnare Victores? Quid ni etenim pro defensione erroris sui merita Glorioſissimi Doctoris, ac Martyris in medium proferant Donatistæ, Doctrinamque tanti Præsulis septuaginta, & amplius Episcoporum contestatione firmatam, pro Orthodoxa defensandam assumant? infortunati Donatistæ, quod Paulum Aurelium non spectârint digladiantem. Ut planius evadat,

quam vitrea sint dogmatis Jansenii Vindicum Machinamenta, à Magistri sui meritis, ac sapientia mutuata; exemplis talibus inimicos Ecclesiæ provocemus, ut quantâlibet ferantur animi obstinatione, quantâlibet adversus Apostolica scita pervicaciâ pro Jansenio errore consistant, si à pertinaci intentione horum consideratio eos non revocaverit, appareat quantum in malis humanis valeat eò quemquam fuisse progressum ubi manêre non libeat, unde jam redire pudeat.

Exemp. 1. S. Cypriani.

Quis illud Sanctorum & Episcoporum & Martyrum lumen, Beatissimum ac Glorioſissimum Doctorem & Martyrem Cyprianum ignorat, cujus testimonio se convictum Hæreticorum malleus testatur, & cujus authoritate Semipelagianos convictos dare nixus est, damnatosque monstrare antequam natos? Ideòne Virum illum ab omni dogmatis luto immunem pronuntiabimus, & cum Donatistis seu Cyprianistis extra Ecclesiam baptizatos rebaptizabimus? Quis tam insanus ut asserat? Quis tam sacrilegus ut faciat?

Exemp. 2. Origenis.

Si vita facit Authoritatem dogmati irrefragabilem; magna fuit Origeni pudicitia, magna tolerântia, patientia magna, in ea domo natus quæ est illustrata Martyrio, qui adolescens, ne quid Patri ad Martyrium deesset, auctor fuit. Qui pro Christo non solum Patre, sed omni quoque facultate privatus tantum pro nomine Domini inter paupertatis profêcit angustias, ut pro eô sæpius affligeretur. Tanta etiam vis ingenii, ut profundi, tam acris, tam elegantis, ut omnes penè superaret. Eloquentia vero tanta, ut ex ore ipsius non tam verba, quam mella fluxisse videantur. Nullus etiam Magistrorum qui pluribus divinæ legis uteretur exemplis Ideòne dogmata ejus canonizabimus? An non potius cum Ecclesia Anathematizabimus? Nonne Augustino Pelagius

gius *egregiè Christianus, Sanctus, Vir prædicandus, Circumspectissimus, continenter vivens, in operibus bonis laudabilis, atque acutissimus* visus est? Nonne parili laude coruscus Cælestius? *Exemp. 3. Pelagij.*

De Semipelagianis, nonne S. Prosper scribit Augustino, *quod vitæ meritis antecellunt?* ut ideò, non nisi *pauci perfectæ gratiæ Amatores intrepidi tantis superiorum disputationibus contraire auderent?* Nonne ideò illis metuit, tam *claris, tamque egregiis in omni virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat? deinde ne simpliciores quoque, apud quos magna est de probitatis contemplatione Reverentia, hoc tutissimum sibi æstiment, quod audiunt eos, quorum Authoritatem, sine judicio sequuntur, asserere?* Authoritate quidem virorum tantorum aliquos vinci asserit, at perfectæ Gratiæ amatores victos amore veritatis, Authoritati hominum divinam præponere veritatem. Cur ergò Jansenii vindices Authoritatem Jansenii & quidam jam nocere nescientis præjudicatæ anteferunt veritati? *Exemp. 4. Semipelag. S. Prosp. ad S. August.*

Et quantus fuerit unus famosorum Capitulorum Auctor Theodorus Mopsuestiensis Episcopus post fata damnatus, quis ediserat? Hunc Theodoretus *totius* Ecclesiæ Magistrum, *hæreticarumque cohortium* Debellatorem, *appellat.* De quo Joannes Antiochenus: *Beatus Theodorus quinque & quadraginta annis clarè in doctrina præfulsit,* et omnem *hæresim expugnavit post multa certamina,* decem millia Libros *adversum hæreses conscriptos, &c.* *5. Exemp. Theodori Mopsuestiens.*

Et tanta Authoritati Theodori Majestas accesserat, ut Orientales ei acclamarent cum exultatione dicentes: *Crescat fides Theodori: sic credimus sicut Theodorus.* Imperatori quoque Theodosio adeò in deliciis, ut ejus videndi causâ Auditor ejus doctrinæ in Ecclesia esse gestierit,

Joannis Antiocheni Synodo atteſtante hujus Defenſores Præſulis atque Doctoris mori præoptabant, quam Magiſtri doctrinam hæreſeos opprobrio lutulari. Quapropter S. Cyrillus Alexandrinus Epiſcopus diſpenſativè cum eo actum voluit hâc percitus periculi formidine: *Quem ſi anathemati ſubjecerimus in orientali Eccleſia diſſidium ingens excitabimus, quorum unus eſt Ibas, qui eum anathematizare non patitur.*

Neque defecêre Theodori Defenſoribus præſidia & arma pœnè gemella Janſenianis; nam ut hi per latus Janſenii mactatum ejulant Auguſtinum, ita hi queritabantur veterum Patrum per Theodori vulnera ſauciandam jugulandamque doctrinam, nimirum Athanaſij, Theophili & Baſilij. *Scripſerunt*, ait Cyrillus Alexandrinus ad Acacium Melitinenſem Epiſcopum, *quod non oportet quæ Theodori ſunt, accuſare, ne, ſicut dicunt, & Beati Athanaſii, & Theophili & Baſilij dicta accuſentur: Quæ enim locutus eſt Theodorus, eadem & illi.* Ita Janſeniani dicunt: Quæ locutus eſt Janſenius eadem & Auguſtinus.

At S. Cyrillus videns Authoritate Theodori doctrinam ſtipatam veterum doctrinæ Patrum obtentu longius ſerpere ac invaleſcere, cenſuit Diſpenſatoriæ cenſuræ ſuæ ſufflamina relaxanda, Imperatori ſupplicans, ut quod & ipſe ad exſtinguenda incendia Diſſidiorum ſanxerat, revocaret id ſimul indicans: *Aliqui Orientis Epiſcopi ea introducunt, admirantes ſcripta Theodori & dicentes, eam recta ſapuiſſe; & conſonantia ſanctis Patribus noſtris Athanaſio & Gregorio, & Baſilio. Mentiuntur verò contra ſanctos Viros: Scripſerunt enim quæ Theodori & Neſtorij blaſphemias impugnant.* Mitius loquor, cæcutiunt Janſeniani qui Janſenium cum Auguſtino componunt:

nam

nam quæ Janſenius docuit, Auguſtinus in Pentade, ut clareſcet, reprobavit.

Interim magnus Epiſcopus & Doctor Eccleſiæ Theodorus tam numeroſâ adſtipulantium Epiſcoporum armatus manu ſtipatus ſequacium catervâ, ſubvectus encomiis doctrinæ ſuæ damnationem ſupervolare nequivit. Utpote quem V. Synodus, licet Chalcedonenſis Synodi prætextu defenſores haberet, poſt mortem hâc damnatione perſtrinxit cap. 12. *Si quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum &c.* Et iterum: *Si quis prædictum impium Theodorum & impia ejus ſcripta, &c.* Defendit, *Anathema ſit*: De quo Concilio Gregorius quoque definit: *Quintum quoque Concilium pariter veneror. Quiſque aliter ſapit, Anathema ſit.* Et alibi: *Theodorus Mediatoris Dei & hominum in duabus ſubſtantijs ſeparans, ad impietatis perfidiam excidiſſe convincitur.* *S. Greg. l. 1. ep. 24.*

6. Exemp. Theodoreti.

De Theodoreto Cyrenſi in Provincia Euphrateſia quid memorem? Fuit hic divinitùs Matri ſuæ promiſſus (quod ſolet eſſe prodigio) & natus, ut ipſe teſtatur in vita S. Athanaſii. Sub Theodoro ſex, ſub Joanne Antiocheno Patriarcha tredecim annos, & poſtea novem ſub Domno docuiſſe perhibetur. *Iſte Amator Dei & Eccleſiæ quondam Doctor qui regebat currum*, inquit Irenæus. *Hic Neſtorii Perſonam ac ſapientiam demiratus* credere non potuit Neſtorium eſſe hæreticum. Hic in Eccleſiâ Græcâ Doctiori pietate Commendabilis, Paupertate locuples, zelo religionis plenus Diœceſim ſuam latiſſimam à varia hæreſum lue expurgavit. Studiorum fructus referunt in omnes ferè ſacræ ſcripturæ Libros Commentaria &c. Et hic tamen, nonnè de Neſtorianiſmo ſuſpectus in Chalcedonenſi Conſeſſu Anathema *Neſtorio* & doctrinæ ejus dicere compulſus eſt? Nonne, licet Perſonâ purgatâ,

tâ, doctrina maculosa permansit in libris ejus seu scriptis ejus, ut in V. Synodo Anathematis Elogium meruerit? *Si quis defendit*, ait Synodus, *impia Theodoreti conscripta, quæ contra rectam fidem, & contra primam Ephesinam Synodum*, &c. *Cyrillum & duodecim ejus Capitula exposuit*, &c. *talis Anathema sit.* Unde & Pelagius II. contra Theodoreti Defensores (inter quos hodiedum Paulus Aurelius ut postea ostendetur) & Interpretes, *Quis non videat*, inquit, *quantâ temeritate plenum sit Theodoreti scripta superbiendo defendere, quæ eumdem ipsum constat, recta post profitendo damnasse. Dum verò ejus Personam recipimus, & ea, quæ dudum latuerant, prava scripta reprobamus, in nullo à Chalcedonensis Synodi actione deviamus: quia sola ejus* HÆRETICA *scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo Theodoretum recta profitentem veneramur:* Et S. Gregorius ad quatuor Patriarchas fidem suam exponens *scripta quoque Theodoreti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur.*

Conc. V. cap. 13.

Epist. ad Eliam Archi Episc. Aquil. c. 20.

S. Gregor. l. 1. ep. 24.

Ne prolixior sim in Exemplis: Ibas agmen Magnorum Virorum claudat. Episcopus fuit Edessenus per Osrhoënam Provinciam Metropolita. In divinis litteris à pueris versatus, & Authore Theodoreto in rebus asperis constantissimus, habuit zelum, sed non secundum scientiam. Translatos à se in Syriacam linguam libros Theodori sparsit in orientem, ipsum ut nobilissimum prædicans Ecclesiæ Doctorem, & cum S. Procli Tomo noluit subscribere, & subnexa impia capitula damnare in suspicionem actus est; à S. Proclo ad Joannem Antiochenum Patriarcham remissus ut corrigendus & puniendus. Joanne defuncto, & nulla emendatione secutâ,

Exemp. 7. Ibæ.

tâ, apud Domnum Succeſſorem repetitâ accuſatione reatum non abſterſit.

Et in Chalcedonenſis Synodi Actione X. non niſi Anathematizato Neſtorio in Epiſcopatum reſtitutus eſt, acclamantibus Epiſcopis: *Neſtorium Ibas Anathematizet, Eutichen & Dogmata ejus modò Anathematizet.* Quod & præſtitit. Perſonâ reſtitutâ Ibæ, non manſit indemnata doctrina: Nam V. Synodus hujus quoque Epiſcopi Epiſtolam condemnavit his verbis: *Si quis defendit Epiſtolam, quam dicitur Ibas ad Marim Perſam Hæreticum ſcripſiſſe,* &c. Et, *Si quis memoratam impiam epiſtolam defendit, & non Anathematizat eam & defenſores ejus, & eos qui dicunt eam rectam eſſe, vel partem ejus, & eos qui ſcripſerunt, vel ſcribunt pro ea,* vel *pro impietate, quæ in ea continetur, & præſumunt eam defendere, vel inſertam ei impietatem nomine Sanctorum Patrum, vel Sancti Chalcedonenſis Concilij, & in his uſque ad mortem permanent, talis Anathema ſit.* Neque huic deerant defenſores quouſque Romani Pontifices conflictum inter Chalcedonenſem & V. Synodum, quo territabantur plurimi à damnatione Capitulorum Theodori, Theodoreti, & Ibæ, nullum eſſe Authoritate Apoſtolicâ declaratum voluêre. Quod admirabili Providentiâ Magni Gregorij tandem confectum eſt, ut Synodum V. Quartæ non adverſari crediderint fideles univerſi. Poſt declarationem verò ſuam & Pelagii Prædeceſſoris, concluſit idem ſanctus Pontifex adverſum Schiſmaticos: *Quem iſta mea declaratio non ſanat, non Chalcedonenſem Synodum diligit, ſed Matris Eccleſiæ ſinum odit.* Sed de his aliàs dum contra Janſenianos bella ciêbimus.

Conc. V. cap. 14.

At nunc Paulus Aurelius, Avitus Academicis, Vincentius Paleologus, & contra Sedis Apoſto-

postolica merita, Jura, Privilegia, firmamenta, Cornelii Janſenij merita congregent, & niſi pertinacia oculos menti excuſſerit, videant quales errores ab inferis revocent, ut quinque Janſenianas vivere faciant, ſed vitâ lethali.

§. 7.

Conveniens fuiſſe oſtenditur damnatæ Pentadis Authorem Cornelium Ianſenium, licet in pace defunctum, nominatim exprimi.

FIlij iniquitatis damnatæ Pentadis Defenſores, obtentu reverentiæ erga Perſonam Cornelii Janſenii Iprenſis Epiſcopi in pace defuncti, ſed intentione damnatam ejus doctrinam, non ſine injuria Sedis Apoſtolicæ, ab omni errore vindicandi; non patiuntur Janſenianum nomen exprimi, ut ita ad aliorum Hæreticorum ſenſa famoſas propoſitiones, puta Calvini, Lutheri, intacto Janſenio, valeant detorquêre, ac Apoſtolicas ſanctiones eludere, & elidere fulmina. Eò collineant toties repetita Janſenii præconia & concelebrata, cum in vivis ageret, præclara merita, quibus derogatum iri autumant, ſi Nomen ejus Hæreſiani dogmatis labe lutularetur. Ità miſeri plus penſi habent Iprenſis Præſulis merita, quam Apoſtolicæ Sedis jura, & promanantia de Petri Cathedra judicia, oracula. Paulum Aurelium audiamus:

Prol. Galeat. §. 26. *Quid Eccleſiæ Catholicæ, cujus ſe excellentiſſimum defenſorem præſtitit, quid ſummi Pontificis, cujus partes ubique ſtrenuè ſuſcepit, quid Doctorum Theologicorum, quorum inſignia geſtivit:*

Quid

Quid totius orbis Christiani interest, ut sub tam atroci infamiâ magnum illud Ecclesiæ, Reipublicæ, Episcopalis Ordinis, & Academiæ Lovaniensis ornamentum sepultum ranceat? & rursum: *Quid ad Doctrinam Ecclesiæ, quid ad Reipublicæ pacem, quid ad utilitatem fidelium; an quinque propositiones insint, nec ne, libro insignis Episcopi, Doctoris egregii, & fidei defensoris magni, in ulnis Ecclesiæ cum summâ erga Sedem Apostolicam ad meliorem vitam profecti?* § 28.

Interest utique Ecclesiæ Catholicæ, interest fidelium non modò Aconîta dogmatum nosse, sed & venenata pascua, fontesque corruptos, unde bibuntur pestifera dogmata, vitare posse: Interest Romanorum Pontificum luem novitiam à veteri discriminare, Hæresim Jansenianam à Calvinianâ, & Lutheranâ sejunctam ad suam Classem reducere.

Interest Apostolicæ Sedis, Augustinum ipsum tam venerabiliter à se susceptum, cujus titulo Phaleratus incedit damnatarum Auctor, & cujus obtentu Defensores Jansenii indemnatum, imò indemnabilem librum illius clamitant, à damnato Augustini Æuropei, ut vocant, sensu segregare, atque dispescere. Ideòque oportuit sensum exprimere nativum seu obvium Cornelii Jansenii, ne per ejus latus Augustinus ipse, cujus verbis exuberat, feriri videretur.

Si non interest Ecclesiæ, ut Doctorum Ecclesiæ in pace defunctorum nomina deviis eorum dogmatibus adfigantur, quomodo V. Synodus impiis Theodori Conscriptis Anathema dixit, & defensoribus ejus?

Quomodò S. Gregorius eam Synodum, quâ tanti Doctoris nomen, tam atroci infamiâ notavit, per omnia veneratus est? Quomodò ejus *Personam*, cujus scripta evidenter à rectitudine Catho-

Catholicæ fidei deviabant non injustè damnatam asseruit. Quomodò eadem Synodus *Theodoreti* scripta Anathemate icit, cujus *Personam suscepit?* Quomodò Pelag. II. scripsit: *Quis non videat, quantâ temeritate plenum sit Theodereti scripta superbiendo defendere, quæ eumdem ipsum constat recta post profitendo damnasse?* Item: *Personam recipimus, & ea, quæ dudum latuêrunt, prava scripta reprobamus, in nullo à Chalcedonensis Synodi actione deviamus? Quia sola ejus hæretica scripta respuentes, & cum Synodo adhuc Nestorium insequimur, & cum Synodo* THEODORETUM *recta profitentem* VENERAMUR? Qualiter Gregorius Magnus tanti viri in pace defuncti Personam non occuluit, dum quatuor Patriarchis in hunc modum scripsit: *Scripta quoque* THEODORETI, *per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur.* Et de Epistola *Ibæ* quid differam? Quinta Synodus sub Anathemate damnat eam & defensores ejus: & hoc Magnus Gregorius pariter approbat.

Epist. ad Eliam Archi Episc. Aquil. c 20.

L. 1. c. 24.

At remugientes audio: Theodori Mopsuentiensis Episcopi Nestorianæ Parentis hæresis, utpote Nestorii Magistri in Ephesino Concilio nulla ratio nominis habita fuit, proculdubio, quia fuerat totius Ecclesiæ Orientalis Magister & Hæreticarum omnium Cohortium debellator.

Responsum illi opperiantur à S. Cyrillo, *dispensativè* id factum, cum in frutice seu Nestorio radix mala succisa videbatur, ac sic ex parte Theodorianorum scriptorum discrimen nondrim metueretur. *Dispensatim fecit*, ait, Vigilius Papa in suo Constituto.

Si regerentem audiam: S. Proclus ad Joannem Antiochenum, & ad Maximum Archimandritam scribit, se mirari, quod Nomina eorum Anathematizatis Capitulis præponerentur, cum Auctores jam ad Deum migraverint. Re-

Respondentem accipiat causam istam nondum sufficienter fuisse discussam, & utrimque disceptatam fuisse, præsertim cum majora dissidia & scandala ex nominatione Auctorum, quam ex dispensativa dissimulatione secutura pertimescebant, præsertim ob Authoritatem Theodori, cui populus acclamare postea auditus est: *Crescat fides Theodori.* Sed his omnibus jam desinentibus, cum fidei periculum crearetur, nisi errorum conditores agnoscerentur; suprema Sedes securiore cautione his malis obviam venit, ut ex trium Capitulorum condemnatione totius orbis Christiani reverentiâ susceptâ enitescit Viris Eruditis. Tandem enim in Concilio V. discussus est *ex suis scriptis Theodorus, & non tantum verba, sed & sensa Nestoriana habuisse judicatus. Istud nostræ* (V.) *Synodi judicium confirmavit omnis sub Cœlo Ecclesia, à quâ quisquis discordârit, manifestus est temerator ac rebellis*, inquit Magnum Athenarum Theologicarum Grudiarum Decus, & Antiquitatis Scriniarium Ex. P. M. Christianus Lupus.

At inquies cum Facundo Hermianensi, (sed ante hæc tempora) *Si tam certus error est aliquorum in pace defunctorum, ut nequeat excusari, sine illorum infamia, sine offensione & perturbatione Ecclesiæ; tacitis eorum Nominibus, ipsis erroribus occuratur, ut ex debita reverentia exhibeatur Prædicatoribus in Ecclesiæ pace defunctis, & nulli Catholico sit offensa defensio veritatis.*

Respondeo id fuisse Facundi præjudicium, quod non præjudicat Veritati. Nam clarum est novarum, præsertim hæresum Auctores, eorumque conscripta latêre non posse sine periculo fidei & legentium discrimine. Theodori hæresis nova non erat & ignota, utpote in Nestorio damnata. Atque ita saltem dispensativè no-

nomen Theodori apud tempus ſuppreſſum non præſagiebatur nociturum. Et hinc claret Diſſipatio alterius nebulæ conflatæ ex facto S. Cyrilli, Joannis Antiocheni & S. Procli, qui Theodori Perſonæ ac nomini parcitum voluerunt, & ab Imperatore Theodoſio edictum promeruêre: *Ne quis adverſus eos, qui in Eccleſiæ pace defuncti ſunt, quidquam de cætero tale præſumat.* Nam & hoc præſertim S. Cyrillo diſpenſativè, melioris boni intentione, atque periculo gliſcentis erroris per Auctoritatem Theodori ceſſante, geſtum legimus.

Enimverò cum idem S. Cyrillus rapi eò cerneret Theodori Defenſores diſcipuloſque, ut non modò Magiſtri Perſonam tegerent, ſed & Doctrinam, ut Catholicam in Theodori ſui ſenſu defenſarent, eamque, niſi aliorum Patrum in damnationem doctrina vocaretur, damnari haud quaquam poſſe clamitarent; uſque adeò, ut hæ eſis ipſa, quam in Neſtorium olim traduxerat, pro fide cenſeretur, & diceret populus: *Creſcat fides Theodori. Credimus ſicut Theodorus*: Tempus jam erat non diſpenſandi in Perſonæ nomine non evulgando, ſed altè clamandi, & Auctoramentum erroribus ſubmovendi, declarandique, tanti licet meriti virum, à rectitudine Catholicæ fidei deviaſſe, atque ita à pervolutandis ſcriptis ejus ſuperſedendum Præſtitit id S. Cyrilli prudentia, qui indigniſſimè ferens ſic adamatam Theodori doctrinam erroneam propter Perſonam, ut & Sanctorum Athanaſii ac Gregorii &c. adęquarent, veritatis zelo accenſus, *Mentiri eos* dixit, qui doctrinam impiam ita exaltarent, ut Sanctorum illorum doctrinæ ſinceritati pariarent; alterumque à Cæſare Edictum obtinuit, quo etiam Perſona Theodori feriretur, ac memoria aboleretur.

§. 8. *An*

§. 8.

An Cornelij Ianſenij Iprenſis Epiſcopi Perſona ob damnatam ejus Pentadem damnari ab Eccleſia poſt fata potuerit.

DAmnatam haud aſſerimus ob doctrinam fulguritam Cornelij Janſenii Illuſtriſſimam Perſonam. Noſtrum non eſt enim ligare quem non ligat Claviger cæli. Æmulari cupimus Pelagium II. Pontificem Theodoreti ſola ſcripta damnantis, Perſonamque, quæ ſua ſcriptadamnârat, venerantis. Itaque cum Sede Apoſtolica Janſenij quinariam propoſitionem inſequemur, Janſeniumque conſcripta ſua Apoſtolicæ Sedis judicio mancipantem, atque in pace ad ſuperos evocatum non inquietabimus. Lubet tamen cum Eruditis inquirere, utrumnam Cornelius ipſe Janſenius, ob damnatam doctrinam ſuam, poſt mortem judicari, & Anathematizari potuerit?

Neminem à Romana Eccleſia in pace defunctum poſt mortem fuiſſe damnatum diſertè aſſerit in ſuo Conſtituto Vigilius Pontifex.

At Juſtinianus Auguſtus ad Synodum ſcripſit: *Hortamur etiam diſceptare, quod vanè profertur (ab eis, qui dicunt non oportêre poſt mortem hæreticos anathematizari; & ſequi in hoc doctrinam Sanctorum Patrum, qui non ſolum viventes hæreticos condemnaverunt ſed & poſt mortem, utpote in ſuâ impietate mortuos anathematizavêrunt:* At Impetator nullo Exemplo id confirmavit. Theodorus Archiepiſcopus Cæſarienſis exemplo

Origenis ingratius hoc probatum contendit : Origenes namque etiam vivus damnatus fuerat : nam Theophilus Alexandrinus Episcopus damnans in sua Synodo Origenem, simul edocuit, *Non à se eum primum, sed & ab antiquis Patribus, & maximè Heracla Patriarcha Alexandrino fuisse & à Presbyterio ejectum, & de Ecclesiâ pulsum, & de civitate fugatum.* Et S. Hieronymus libro 1. contra Ruffinum : *Totus Orbis*, inquit, *in Origenis odia exarsit.* Et rursus : *Omnis tam Orientis quam Occidentis Catholicorum Synodus pari sententiâ & spiritu illum hæreticum denuntiat.* Justinianus Augustus ad Mennam Patriarcham refert : *Originem post atroces doctrinæ suæ in Deum blasphemias in ipso martyrij articulo Christum abnegasse, cultamque à Paganis Deorum multitudinem, quam ipsemet induxit, adorasse .... Et cum Nestorio, Eutichete, Dioscoro, aliisque Hæresiarchis in inferno ardentem vidit, & Hospiti suo Theophani ostendit Quiriacus Monachus, ut in Prato suo spirituali refert S. Sophronius.* Proinde Facundus Hermianensis Capitulorum Defensor acerrimus similibus exemplis minimè permotus respondit : *Quidam sanctitatis & modestiæ regulam malè transgressi, ne vel serò confiteantur errorem, dicunt probare se posse nescio quos hæreticos post mortem fuisse damnatos, quasi verò per hoc probent, quod non etiam viventes damnati sint.*

L. 1. c. 3.

L. 2. c 6.

L. 10. c. 4.

Circà Personam Theodori Mopsuestiensis, qui in pace defunctus putabatur quid gestum sit, dispiciendum venit. Antiochena S. Joannis Synodus ad S. Proclum & S. Cyrillum scripsit : *Contristantur omnes, quod Vir nobilis & defunctus in communione Ecclesiarum, anathematizetur.* S. Cyrillus his litteris permotus cum Persona dispensandum ratus, sicut dispensaverat Ephesina Synodus, rescripsit : *His condemnatis qui sic sapiunt*

Facundus l. 1. c. 1.

sapiunt (cum Nestorio) *nullam Viri memoriam fecit dispensativè, nec ipsum nominatim Anathemati subjecit propter dispensationem, ne quidam ad viri existimationem respicientes seipsos separarent ab Ecclesia. Dispensatio verò in his est res optima ac sapiens. Si enim adhuc in vivis esset & Nestorii blasphemiarum fautor, aut suffragari vellet, iis quæ scripsit ipse, Anathema etiam in propria personâ subiisset. Quoniam verò ad Deum abiit, sufficit, ut ego puto, ea, quæ absurdè, ab eo scripta sunt rejici ab eis qui rectè sentiunt cum iis, qui in ejus Libros incidunt, etiam ulterius progredi tumultuum occasiones nonnumquam pariat.* Hoc est quod Vigilius Papa in suo Constituto refert. *Dispensatim verò mentionem viri non fecit.* Et S. Proclus ad Maximum : *Cùm illi jam ad Deum migraverint, & eos qui vitam reliquêrunt, super vacaneum est injuriari post mortem, quos nec vivos aliquando culpavimus &c.* Quapropter S. Proclus, annuente S. Cyrillo, qui fuerat Ephesini Concilij moderator, à Theodosio hanc legem impetravit : *Ne quis adversum eos, qui in ejus pace defuncti sunt, quidquam de cætero tale præsumat.* Hâc Joannis Antiocheni pro Theodori Personâ victoriâ inflati Theodori defensores, à Personâ ad ejus Capitula ab Anathemate liberanda animos reaccenderunt. Quod in ejus libris continerentur, inficiari nequibant; sed sensum ab errore vindicandum censebant, ne alioquin Sanctorum Patrum Doctrina periculo objectaretur (ut Jansseniani de S. Augustino asserunt.) Nam S. Joannes Antiochenus ad S. Cyrillum scribit : *Periculum hinc pendet non leve. . . . . Quod si fiat, multa etiam in aliis Patribus apertè dicta retractaturi sumus, & reprobaturi, &c.* Et sub finem : *Hoc & tua Religiositas dispensavit apertè in anterioribus litteris vestris,*

Facundus l. 8. c. 1.

ſtris, ad ſatisfactionem quorumdam venerabilium Coëpiſcoporum noſtrorum.

Sed iſtam temeritatem gravatè admodum ferens S. Cyrillus, quâ Joannes Antiochenus, & alii impia Theodori capitula Magno Athanaſio aliiſque ſupremis Eccleſiæ Patribus componebant, reſcripſit ei: *Infames opiniones, Diodori, inquam, & Theodori & aliorum quorumdam, quos non laudare ſatius erat &c. Nemo ſanctis & Orthodoxis Patribus noſtris, Athanaſio, inquam, Baſilio, Gregorio, Theophilo, & reliquis tribuat.* Et cum eò uſque aſcenderet Theodorianæ defenſio Doctrinæ, ut iſtum Hæreſiarcham non lapidibus, ut viventi facere meditâti fuerant Antiocheni, ſed glorioſis exclamationibus exaltarent: *Creſcat fides Theodori; Armeniæ Perſidis*, ac aliarum Gentium Epiſcopi non modò ad S. Proclum, ſed etiam Imperatorem ſcripſerunt, diſpenſatoriam Epheſinæ Synodi ac poſtea Cyrilli erga perſonam Theodori gratiam nunc eſſe noxiam, ideoque abrumpendam, & ſacrilegum hominem, Neſtorij inſtar expreſſo nomine, Anathematizandum. Queritur ergo Principi S. Cyrillus: *Aliqui Orientis Epiſcoporum alio modo iterum ea introducunt* (ſc. Neſtoriana dogmata) *admirantes ſcripta Theodori, & dicentes eum recta ſentire; & conſonantia Sanctis Patribus Athanaſio, Gregorio, & Baſilio.* Ac tandem obteſtatur, ut nec jam Perſonæ Theodori parcatur, cuius impia doctrina obtentu tantæ dignitatis Perſonæ defenditur. Annuit Princeps ad incolumitatem fidei, ſicut pro pace Eccleſiæ Orientalis faverant diſpenſatoriam Perſonæ gratiam precatis, reſcripſitque: *Neque de cetero inveniatur prædictorum hominum* (Neſtorii & Theodori) *memoria, vel ulla appellatio, præter Simonis.*

Hæc

Hæc quidem de facto circa persónam Theodori citra Concilii Generalis Romanique Pontificis approbationem sufficiant. Sed num ea sit in Ecclesia potestas à Christo concessa, ut valeat Episcopum in pace defunctum damnare propter doctrinam erroneam, ardua quæstio olim fuit.

Pro negativa acriter decertârunt trium Capitulorum, ac signanter Theodori Mopsuestiensis Episcopi quoad persónæ Judicium Defensores.

Facundus Hermianensis ita differit: *Ecclesiæ suæ nullam Dominus in mortuos ligandi & solvendi tribuit potestatem. Quapropter etiam beati Patres definiêrunt, quia non est nostrum judicare eos qui defuncti sunt.* *Arg.1.* *Lib.2.c.4.*

Probat exemplo S.Cyrilli & Joannis Antiocheni, qui Theodori nomini ac Persónæ parcendum censuêrunt, & Theodosij Edictum obtinuêrunt, quo cautum legitur, *Ne quis adversus eos, qui in Ecclesiæ pace defuncti sunt quidquam de cetero tale præsumat.* Etiam laudat S.Cyrilli effatum: *Grave est insultare defunctis, vel si Laici fuerint; nedum illis qui in Episcopatu hanc vitam deposuêrunt.* *Arg.2.* *Lib.8.c.3.* *Lib.9.c.5.*

Hujus sententiæ Pontianus cum plerisque aliis Afris Episcopis, qui Augusto Justiniano Theodoro adversanti rescripsit: *Quid nobis cum mortuis inire bellum, ubi nulla invenitur in congressione Victoria? apud judicem verum jam tenentur, ad quem nullus appellat.*

Pro negativa item stabat factum Dionisij Alexandrini Patriarchæ, qui Nepotis Arsenòitis Episcopi erroneos de divinis promissionibus libros damnans persónam non attigit, hâc ratione percitus: *Quod ex hâc vitâ in pace Ecclesiæ migrasset.* Quod exemplum in suo Constituti laudavit ipse Vigilius. *Arg.3.* *Euseb. lib.7. cap.19.*

Lib. 6 c. 11. Et sancto Epiphanio defunctum Origenem damnare volenti Thactimus Schythiæ Episcopus apud Socratem & Zozomênum respondisse fertur: *Nequaquam esse fas eum, qui jam pridem esset mortuus, injuriâ afficere.*

Lib 8. c. 14.

Arg. 4. Sanctus Gelasius in Romanâ Synodo Mysenum Episcopum degradatum restituente, & quidem laudatâ per Vigilium Pontificem in Constituo, & reproductâ à facundo Hermanensi, docet mortuos ab Ecclesia nec absolvi posse, nec damnari, quodque eos Christus Dominus suo judicio reservârit Apostolis dicens: *Quæ ligaveritis*, aut *solveritis super terram.*

Arg. 5. Consonat Anastasius secundus ad Anastasium Augustum; & Vigilius in suo Constituto concludit esse perpetuam Romanæ & aliarum Ecclesiarum consuetudinem, ut Sacerdotes in pace Ecclesiastica defuncti serventur illæsi, nullique liceat de illis judicare, sed in hoc oporteat eorum unumquemque relinqui, in quo illum dies supremus invênit.

Arg 6. Et de Egabrensi Episcopo sacrorum ordinum perperam datorum Reo statuit secunda Synodus Hispalensis: *Poterat accusatus damnari, si adhuc in corpore positus non fuisset mortis vocatione præventus, sed jam examini divino relictus humano judicio accusari non potest.* Quam Sententiam S. Ivo Carnotensis Episcopus amplexus, *Rata nobis*, inquit, *hæc sententia videtur, quoniem defunctis communionem interdicere non debemus, quibus vivis non interdiximus.* Et infra subdit: *Non enim data est potestas Ecclesiæ alia ligare, vel solvere, nisi quæ sunt super terram. Unde constat ea divino reservanda judicio quæ inter viventes humano non sunt terminata.*

Epist. 96.

In quinta Synodo, in qua de tribus Capitulis actum est, Quæstio hæc de Persona propter

ter Theodorum Mopsuestenſem Episcopum Ventilata fuit, & argumenta utrimque diſcuſſa. Affirmativa prævaluit, & contra Theodorum definita ſententia eſt: *Si quis defendit impium Theodorum Mopſueſtenum.... Et impia ejus conſcripta.... Et omnes qui ſuſcipiunt, vel defendunt eum, & dicunt orthodoxè eum exposuiſſe, & qui ſcripſerunt pro eo.... Anathema ſit.*

Et iſtud quintæ Synodi judicium confirmavit tandem omnis ſub cælo Eccleſia. Confirmaverat enim eam ſuis ad Euthychium Patriarcham Conſtantinopolitanum litteris Papa Vigilius. Poſtmodum Pelagius.

Deinde Magnus Gregorius non modò dixit: *Quintum quoque Concilium pariter veneror, quiſquis aliter ſapit, Anathema ſit*; ſed addidit: *Cunctas verò, quæ præfata veneranda Concilia* Personas *reſpuunt*, Respuo. Et ad eam, quæ in V. Synodo damnata eſt, Perſonam reſpiciens, *non injuſtè*, inquit, *damnata eſt.* *L. 1, epiſt. 24.*

In hac Synodo de Perſona Theodori acriter diſceptatum fuiſſe nôrunt omnes Eruditi. Et quemadmodum pro negativa, ita & pro affirmativa ſententia argumenta utrimque producta non fuêre peremptoria. Palmam tamen retulêrunt ea, quæ ab Auguſtini Auctoritate deprompta ſunt; ita ut propterea in Synodo Florentina Andreas Rhodiorum Metropolita Latinus in Auguſtini laudem proruperit his vocibus: *Beatus Auguſtinus, præclariſſimus & præſtantiſſimus Doctor Latinorum, quem quinta Synodus recepit.* *L. 2. ep 24.* *Seſſ. 7.*

Itaque inter conflictantes de mortuorum in pace Eccleſiæ Epiſcoporum Perſonis ſententia dicenda, prodiit in medium Sextilianus Finenſis in Africa Epiſcopus ac Primoſi Carthagnenſis Epiſcopi Vicarius ac Legatus, & induxit

duxit varia S. Augustini testimonia, quibus Cæcilianum Carthaginensem olim Episcopum, in pace defunctum, si à Donatistis nocens probaretur, protestatus est sese anathematizare paratum. Quod & fecit Fotinus Diaconus sola Augustini testimonia proferens, signanter ex Collatione cum Donatistis: *Non in hominibus spes ponenda est Ecclesiæ si boni sunt, neque si mali sunt, judicanda est Ecclesia periisse. Sed tamen etiam ipsorum causam tamquam fratrum nostrorum suscipimus, & si nobis ostendi potuerint criminosi, hodie illos anathematizamus.* Alius, quem Sextilianus ursit locus est: *Arguis apud me eos, quos jam olim defunctos mea cognitio non judicavit.* Objiciebant enim Donatistæ crimen Traditionis sacrorum Codicum Sancto Cæciliano jam in pace defuncto: & judicium etiam post fata Cresconius de eo fieri postulat dicens: *Licet tibi & hodie judicare & judicium non tantùm de vivis, sed etiam de mortuis haberi potest: licet enim sit mortuus qui peccavit, numquam illud moritur, quod admisit.* Quod Cresconii responsum Augustinus amplexus, reposuit: *Ecce volo judicare, sed vos causam ipsam non vultis agere.* Tandem quinta Synodus non modò Theodori Capitula, sed & Personam damnavit & addidit: *Augustinus Religiosæ memoriæ, qui inter Africanos Episcopus splenduit, diversæ epistolæ recitatæ sunt, significantes quod oportet hæreticos & post mortem Anathematizari.*

L. 3. c. 187.

Coll. 8.

Huic Synodo suffragatur Arcadij & Honorij Augustorum lex ad Senatorem Prætorio Præfectum, statuens hæresim esse crimen publicum, & quidem læsæ Majestatis; ac proinde post mortem accusationi obnoxium: *Nam in Criminibus Majestatis licet memoriam accusare Defuncti.*

L. 16. tit 5. §. 40.

Favit & olim S. Athanasius contra factionem

nem Eusebianam, quæ Athanasius antecessores erronei dogmatis incusabat scribens: *Si illi malè senserunt, & suis scriptis orbem terrarum seduxerunt, cesset omnis eorum memoria, & scripta eorum abjiciantur. Ite vos ipsi, & eruite reliquias eorum de monumentis, ut ab omnibus intelligatur, & illos fuisse seductores, & vos esse parricidas.*

Ut ut sit, ne Sanctos Patres in rixam mittamus, & Romanos Pontifices inter se committamus, atque ad Jansenii causam devolvamur:

Censemus primò, uti nec vivum, ita nec mortuum, qui creditur innoxius & in pace defunctus Anathemate percelli posse ab Ecclesia: Cùm talis censura lethalem præmittat culpam, ut vel jure sacro tinctis liquidum fuit.

Secundò Episcopum, qui priùs credebatur innoxiè ac pacificè vitâ functus, si ex certis monumentis convincatur noxius, hæreticusque abscessisse, Ecclesiæ Judicio subjiciendum quo ad ea quæ sunt Ecclesiæ. v. g. Ecclesiasticam sepulturam, suffragia, sicut de illis arbitramur, qui ab initio hujusmodi peste infecti dignoscuntur.

Tertiò Doctorem aut Episcopum Ecclesiæ, esto certò cognoscatur à formali hæreseos crimine immunis in pace Ecclesiæ hinc demigrasse, ex scriptis tamen suis ab Eceleſia Judicari posse perversi dogmatis fuisse Auctorem, atque sub Anathematis interminatione prohiberi illius quoad doctrinam defensionem; etsi secus contingat, errorem illum transituram in hæresim formalem.

Quartò dicimus Causam Theodori Mopsuestiensis Episcopi, ob quam severius Persona ejus in V. Synodo perstricta fuit, â Cornelio Jansenio Iprensi Episcopo dissidêre: hic namque dum viveret vel à levi siniſtræ suspicio-

nis rumore ac famine fuit illîmis ; iſte verò non item, utpote de variis dum viveret, inſimulatus, & mortuus è ſacris dypthicis eraſus. Fuerat hic Neſtorii Magiſter. Dum è ſuggeſtu *Deiparam* negavit, penè à Populo lapidatus.. Ac denique è ſacris profanis Eccleſiæ tabulis eraſus, prout in V. Synodo prælegit Theodulus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Diaconus atque Notarius, ad quam lectionem Synodus eſt interlocuta : *Sufficiunt quidem, quæ dicta & probata ſunt Eccleſiaſticam traditionem demonſtrare, eo quod oportet hæreticos & poſt mortem anathematizari. Et reliqua omnia, quæ mota ſunt oſtendunt, quemadmodum ex prolixis temporibus Theodorus Mopſueſtenus propter impia ſua conſcripta & poſt mortem à Catholica Eccleſia ejectus eſt.* Et hujuſmodi eraſio, ſi non certò damnatum, vehementer demonſtrabat ſuſpectum. Præterquam quod errores ejus Neſtorij diſcipuli blaſphemias ſuperârint, atque ità excuſabiles non fuerint in tanto Orientis Doctore.

Cornelii Janſenii error ex rerum obſcuritate, ac S. Auguſtini malo intellectu natus malæ intentionis nihil præ ſe tulit : & ſi quid culpæ interfluxerit ; plena ſubmiſſio Authoris nævum diluit, & licet non ab errore, à formali hæreſi purgavit.

§ 9. Uti

§. 9.

Uti Pelagius, ac Cælestius à nativo significatu ac sensu Vocis Gratia *devii, judices fefellêrunt; ita & Iansenij Vindices fallere nituntur deviando à naturali Propositionum famosarum sensu.*

VErsipellis cum discipulo suo Cælestio hostis Gratiæ, liberi inflator arbitrij Legisque Laudator Pelagius, Versicolorem voci *Gratia* sensum subesse commentus est. Dum abjudicatæ Gratiæ reus arcessitur, nomen Gratiæ confessus, Gratiæ virtutem negat. Orco transcribere Jussus eos qui ad singulos pietatis actus Gratiam esse necessariam, inficias eunt; parili voce, at sensu dispari profitetur: *Anathemo qui sentit vel dicit, Gratiam Dei, quâ Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, non solùm per singulas horas, aut per singula momenta, sed etiam per singulos actus nostros non esse necessariam.* Et, *qui hanc conantur auferre pœnas sortiuntur æternas. Quisquis hæc audit*, ut observat Gratiæ Doctor, *& sensum ejus ignorat, quem in Libris suis satis evidenter expressit... omninò eum putat hoc sentire quod veritas habet. Quisquis autem,, quid in eis* (LIBRIS SUIS) APERTIUS DICAT *advertit, debet habere etiam ista verba suspecta.* Quia nempè Christi Gratiam non modò in remissione peccatorum, sed & in memoria Dominici collocavit Exempli.

S. Aug. de Grat. Christi cap. 2.

Jussus quoque Anathematizare eos qui asserunt Gratiam Dei secundum merita nostra dari,

ri, non renuit, sub sensu Gratiæ *naturam* complexus. De quo rursum convictus ad aliam Gratiæ notionem ab Ecclesiastico sensu alienam confugit, Legem, Doctrinam, ac revelationem. Nam ne Gratiæ censeretur injurius; *adjuvat*, inquit, *nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis nostri oculos aperit*, &c. cap. 7.

Ita Versicolori Gratiæ sensu inimici Gratiæ voluerunt Ecclesiæ illudere speciem habentes pietatis, virtutem autem abnegantes.

Hosce æmulari videntur Jansenii Vindices, qui famosam ejus Pentadem voce tenus damnant; sed in Jansenii sensu comprobant, Comminiscentes alium sensum, quam verba præferunt: quasi Romani Antistites vago ac indeterminato sensu, & non ut novo errore respersas, & Jansenianо quidem, quinque propositiones damnassent. Atque hoc pacto eas, ut subjectas Lutheranorum aut Calviniſtarum pravo intellectui execrabiles ducunt; at in sensu altero ut Augustinianas, ut Catholicas, ut, indemnabiles rati. Hinc Avitus Academicus seu Paulus Aurelius, postquam propositionibus his Catholicum sensum adpinxerat, ut putat, subdit: *non hæc eo à me animo proferuntur, ut propositiones ipsas (quas velut pessimum diabòli, Ecclesiam depopulantis stratategema æterno Anathemate sepeliri, & ab omnium hominum memoria aboleri par est) crudas ut jacent, atque in terminis suis tuear; sed, ut eas separem à Veritatibus Magnis, necessariis, certòque Catholicis, quibus aliquo pacto contiguæ & affines sunt; adeoque obtemperem scripturæ monenti: si separaveris pretiosum à Vili.* Paulus Aurel. Prolog. Galeat. p. 67.

Damnabilem verò sensum, sed quem verba naturaliter non efferunt, illis attribuit, & in illo damnat, non ut Jansenianas, sed Lutheranas

ranas aut Calvinianas. v.g. Primæ propositioni hunc sensum adscribit: *Aliqua Dei præcepta Justis omnibus volentibus & conantibus secundum præsentis vitæ vires sunt absolutè impossibilia &c.*

Secundæ verò hunc: *Interiori Gratiæ, utpote Liberum arbitrium necessitanti seu violentiam adferenti numquam resistitur,*

Propositio verò damnata Gratiæ necessitantis non meminit, plusquam hæc contra Pelagium damnata: *Gratia non secundum merita datur*, meminit naturæ, Legis, aut Doctrinæ. Adeòque, ut Pelagius vocem *Gratia* ad naturam quæ gratis datur, vel ad legem abusivè detorsit, & Palæstinos Judices circumscripsit; ita Paulus Aurelius, & alii Vocem *Gratia* ad necessitantem, cujus ne umbra quidem è Verbis enitet, detorquendo, Sedem Apostolicam circumventam volunt. Consimiliter longo intervallo dissidet propositio damnata ab hac suppositia: *Aliqua præcepta Justis omnibus volentibus & conantibus sunt absolutè impossibilia.* Prima namque est indefinita, secunda universalis. Prima impossibilitatem aliquam indicat, secunda amplificat, & absolutam designat, qualem Lutherani & Calviniſtæ commenti sunt in omnibus Justis respectu præcepti, *non concupisces.*

Porrò Innocent. XII. planè declaravit damnatas esse propositiones *in sensu obvio*, quem ipsa propositionum verba præ se ferunt, & Clemens XI. sensum illum obvium esse Jansenii declaravit. Jansenius verò cum Luthero & Calvino nil commune docuit, sed novam hæresim seu errorem ex malo S. Augustini intellectu condidit, qui verbis propositionum famosarum nativo ac obvio sensu expressis elucet, prout in hoc opere evictum imus.

§. 10.

Sensum obvium 5. famosarum Propositionum esse Unicolorem demonstratur, & non esse Chymæram, *ut Avitus Academicus nugatur.*

QUia perillustris Auctor defensionis Authoritatis Ecclesiæ asseveraverat: *Omnes conveniunt condemnationem propositionum in sensu naturali & obvio esse infallibilem, & condemnationem sensus naturalis universa recêpit Ecclesia;* Avitus Academicus more suo elusum venit illum, ceu magnorum fumorum venditorem, & de sensu naturali ac obvio pronuntiat præfidentissimè, *Qui nullibi Gentium nisi in Aphannis extat.* Et post citatas Constitutiones Innocentianam, & Clementinam, sensum obvium comminiscentes, subjungit: *Tantum verò abest, ut ego quidquam horum ab Ecclesia Catholica actum vel receptum credam: ut omninò contendam sensum illum naturalem & obvium planissimam* CHYMÆRAM ESSE. Et *quidquid de illis sensibus ad ravim clamatur, passim veras esse Andabatarum voces suis in tenebris vociferantium, nec intelligentium neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant.*

Paræneſi Vindic. pag. 48. & 49.

Et post pauca: *Nec magni refert, quod multi de sensu illo naturali & obvio multa garriant aut loquantur: quia ex versicoloribus sensibus (quos propositiones certò continent) quisque sensum obvium pro suo arbitratu sibi exsculpit, ac fingit: ita ut illud ipsum opiparè doceat, nullum ancipitum & trusatilium illarum enuntiationum sensum*

obvium

obvium posse dari.. Censet ergò Avitus propositiones famosas Versicolores sensus certò continêre. Ajo ego unicolorem solum complecti, nî ad alienos à nativo significatu eas detorquêre lubeat, quod Pelagius quoque præstitit in voce *Gratia*. Sed sicut hic suo arbitratu exsculpendo ex illa dictione significantiam *Naturæ* aut *Legis* non fecit ipsam versicolorem, sed ipse versicolorem ac Versipellem seipsum reddidit; ita propositiones famosas variis sensibus tingendo contra Verborum institutionem nativumque significatum, non potuerunt eas reddere Versicolores. Eapropter Innocentius XII. cautum voluit, *ne quis suo arbitrio* fingat sensum obvium: præcepitque ut Episcopi procedant contra eos, qui voce aut scriptis edunt proprios sensus *sensui Apostolicarum Constitutionum dissentaneos*, subindicans esse unicolorem propositionum sensum, nimirum *quem verba præ se ferunt*, & alios ut adulteros repudians; utpote ad elusionem Apostolicarum Constitutionum contra novos errores Jansenianos editarum adscitos.

Quod si illud, *Obvium sit*, Avito definiente, *quod è vestigio occurrit, quod primâ fronte conspicitur, & omnibus saltem excercitatissimis in materia de qua agitur, statim obviat*; Unicus sensus famosarum in ista materia versatorum oculos apertè insilit, non versicolor tenet aut dubius. Quotquot enim præter unum exsculpere nonnulli moliti fuerunt, non è littera, sed arbitratu suo eos elicuisse censendi sunt; hi præpostero Jansenii amore limphati; isti Gratiæ à se efficaci & Augustinianæ doctrinæ exitium plus æquo formidantes, si nativam propositionum significantiam amplecterentur. Hinc dubias, quæ verè dubiæ non sunt, propositiones illatâ vi *Ibid.*

vero-

verborum proprietatibus, reddere præamarunt, quam ſenſum damnare, quem verba ſimplici ſuo candore faciunt eniteſcere.

Dico itàque, verba propoſitionum ambiguitate nullâ implexa ſunt, nullâ æquivocatione truſatilia, ancipitia nullo tramite. Quod vel inde clareſcit, quod ſenſus omnes illis attributi prorſus alieni & extorres ſint à ſignificatione naturali; quam ſi ambiguam Romana Sedes comperiſſet, neutiquam filios ſuos in ambiguo fluctuare permitteret. Sed ne principium petere videar illis, qui Sedis Apoſtolicæ Præſules arguunt, quod propoſitionum, ut autumant, ſenſum varium non diſcriminent; ex ipſa variorum ſenſuum diſtinctione, elucidandum venit, non niſi unum eſſe germanum, quem Sedes Romana & univerſa damnat Eccleſia. Atque imprimis ſi agatur de ſenſibus Innocentio X. pro cauſa Janſenii exhibitis in Tricolumna, non eſt qui nativum propoſitionum redoleat. Unus namque, qui Lutheranus aut Calvinianus cenſetur, è littera exſculpi nequit, conteſtantibus illis ipſis qui Pontifici obtulêre atque dicentibus in columna prima: *Senſus hæreticus, qui malignè affingi poſſet, quem tamen legitimè ſumpta non habet.* Ita dicunt per ſingulas quinque famoſas. Proinde ſenſus naturalis in hunc ſenſum ancipiti tramite non elicitur; ſed malignâ interpretatione. Cui ſi id privilegij detur, ut verba limpida valeat lutulare & ambigua facere, vicêre damnatiſſimi Hæterodoxi Scripturæ Sacræ rutilis vocibus offucias tenebrarum ſuarum, atque improprietates obtendentes. Eo tamen refugium flagitat Paulus Aurelius in prologo Galeato Romanos Pontifices erudire geſtiens quo pacto propoſitionum ſenſum exponant ac determinent, ut ab omnibus

bus fidelibus disputatur ac ejerêtur, nimirum ad placitum Lutheranorum aut Calviniſtarum interpretando : v. g. Primam ſic efferendo: *Aliqua præcepta juſtis omnibus volentibus & conantibus ſecundum præſentis vitæ vires ſunt abſolutè impoſſibilia.* Secundam verò : *Interiori gratiæ utpote liberum arbitrium neceſſitanti , ſeu violentiam adferenti, numquam reſiſtitur.* Cuperet hîc Paulus Aurelius propoſitiones famoſas damnari in ſenſu, non verbis propoſitionum famoſarum expreſſo, ſed *Malignè* affiĉto; atque avet Pontificem ſibi committere, qui propoſitiones non in affiĉto, ſed in obvio ac naturali ſenſu damnavit, ad alienum prorſus ſenſum eum propellendo damnandum. Pontifex nempè obvium ſignat. Paulus Aurelius malignè affiĉtum ſenſum ſolum damnatum efflagitat. Eſt autem in propatulo, quod ſenſus qui Contraĉtui vel Teſtamento malignè tantum affingi poteſt, ambiguum non poſſit Teſtamentum reddere aut Contraĉtum niſi Malignis Vitiligatoribus. Igitur hic ſenſus Lutheranus aut Calvinianus malignè affiĉtus famoſis propoſitionibus , non efficit eas ambiguas aut Verſicolores , niſi Verſipellibus & Malignis Litigatoribus.

Si autem ſenſus in medio columnæ poſitus penſetur, nec hic naturali verborum ſignificatui proprius eſt , ſed ad declinandam Cenſuram fabricatus eſt & longè devius probatur. Nam v. g. Prima propoſitio aſſerit : *Aliqua præcepta juſtis conantibus & volentibus juxta præſentes quas habent vires eſſe impoſſibilia , deeſſe quoque gratiam , quâ poſſibilia fiant.*

Exponens autem, in medio columnæ poſita , modificat: *Sunt impoſſibilia proximè & completè, ſeu ab iis proximè adimpleri non poſſunt.* Quæ moderatio ipſam impoſſibilitati duritiem non modò

mitigat, sed prorsus alienat, & aliquam possibilitatẽ veram à gratia impartitam reverà supponit, quam propositio, prout suâ luce prodit, negat,

Similiter secundæ expositiva de resistentia gratiæ negata in terminis ita loquitur, ut ad solam efficacem per omnia restringat his verbis: *Gratiæ Christi ad singulos pietatis actus proximè necessariæ numquam resistitur.* Propositio verò ipsa generatim inficiatur interiori gratiæ resisti sine restrictione ad proximè necessariam, & insinuat omnem interiorem gratiam suo infallibiliter effectu potiri, sive sit proximè sive remotè necessaria ad singulos pietatis actus. Et hæc ergò interpretatio exorbitat à Littera, nec potest eam facere ambiguam sicut ostendi posset in simili: si quis Pater-familias in Testamento suo Legatum conderet pro Cajo & omnibus propinquis ejus, aut, omittendo *omnibus & propinquis ejus*; aliena prorsus esset interpretatio, quæ ad proximiores Cajo propinquos legatum coarctaret, dum hujus coarctationis causa nulla suppeteret. Ergò cum propositio damnata gratiam interiorem, cui non resistitur, non restringit, indicat nulli gratiæ sive proximè necessariæ, sive remotè numquam resisti. Quod licet quoad primam planissimè verum sit, quoad secundam falsum est rectèque damnatum.

Tertia quoque in medio columnæ sita dissidet à famosa: hæc namque de essentia libertatis non agit; sed de qualitate ad meritum demeritumque in statu naturæ lapsæ requisitâ: ista verò sic sonat: *Si consideretur præcisè essentia libertatis & meriti.* Neque asserit indifferentiam in statu hoc requiri ad meritum, sed reperiri, his verbis: *Quamquam ratione status semper reperiatur indifferentia potentiæ.* Proinde & iste sensus contra nativum propositionis sensum intorquetur violentè.

Quarta

Quarta columnaris quoque non consonat famosæ dum de Semipelagianis ita infit: *& in hoc hæreticè sentiebant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret, vel eam respueret; seu ut ex se efficax non esset.* Quasi in hoc hæreticè sensissent quod eam gratiam admitterent, quæ ex se nullo modo efficax esset, qualem Molinianis adscribit Jansenius. Quo supposito, si hæc damnatæ consonet, Moliniana gratia extra omne discrimen vocatur in perpetuas æternitates. At sensus ille nullatenus exsculpitur ex verbis famosæ propositionis, utpote quæ Semipelagianam hæresim in eo constituit quod vellent eam gratiam, *cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare*, quod convenit Gratiæ efficaci simul & Thomisticè sufficienti, quam Jansenius negat, & quâ sufficientem ad Pelagianam Gratiam ablegat.

Quinta etiam columnaris multa addit, quæ famosa non continet, nempe quod nemine excepto, omnibus oblata sit gratia ad salutem necessaria *quam consequi in nutu liberi arbitrii sit positum, sine gratiæ ex se efficacis adjutorio.* Famosa verò sine mentione gratiæ simpliciter edicit: *Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse aut sanguinem fudisse.* Adeòque taxat hæreseos illos qui asserunt Christum mortuum esse pro omnibus etiam illis, qui beneficium mortis Christi non consequuntur v. g. Parvulis sine baptismo decedentibus.

At obstrepentem inaudio Avitum Academicum: ipsimet scientissimi utriusque partis Athletæ (viri linceis oculis & in ista controversia ab unguiculis educati) plus semel aliis temporibus in alios sensus earumdem popositionum abi-

êrunt: neque adhuc quispiam in toto mundo comparet, qui sensum illum obvium tantis vociferationibus perstrepentem accuratè atque ad amussim figere impunè audet.

Id fecit amor & timor ut viri alioquin lyncei, in sensus dissentaneos litteræ propositionum se abripi siverint: Amor, inquam Jansenii, & timor quo per damnatam Jansenianam Pentadem Augustianianæ de gratia per se efficaci intemeratæ doctrinæ exitium illatum iri, pertimescebant. *Amor & odium judicium veritatis nesciunt*, inquit Doctor Mellifluus.

Ecquis jure ambigat præclara ingenia in assequenda S. Augustini mente caligasse, doctrinamque ejus saluberrimam siniſtrâ interpretatione temerasse? An non Magni illi viri contra quos S. Prosper Augustini vindicem egit? An non eruditi contra quos pro eodem glorioſiſſimo Patre S. Fulgentius librum de duplici prædestinatione, scilicet ad vitam & ad mortem exarare compulsus est? Num propter ambigentium oscitantiam Augustini doctrina facta est ambigua, discolor? Num desiit esse sensus doctrinæ illius obvius ac naturalis saltem exercitatissimis Augustini lectoribus? Quid? Nonne audivimus, & oculis nostris perspeximus novissimis temporibus inusitato ausu gratiam à seipsa efficacem, Tricassino Auctore velut ab Augustino elisam? Nonne & ipsos Molinæ sectatores pro Gratiâ sua contutandâ ab Augustino præsidium esse mutuatos? Ideone patiemur Augustini de Gratia per se efficaci mentem ancipitem dici, Scriptaque de materia hac tam exserta atque diserta versicolorum sensuum ambiguitate respergi; ut nemo ausit, accuratè & ad amussim figere sensum obvium dogmatis Augustiniani?

§. 11.

Num Propositionum famosarum sensus obvius oportuerit per Romanos Pontifices singulari periphrasi circumscribi ac determinari, ut sciant fideles quid damare ac ejerare in Iansenio debeant, ut prætendit Avitus, Paulus Aurelius & alij?

AVitus sensûs obvij ac naturalis dictarum propositionum illusor acerrimus, *Circumferebatur*, inquit, *ille (quod fides exigit) verbis simplicibus & perspicuis: atque ut caveri, despui ac legitimâ juratione ejerari valeat, omnibus fidelibus fiat obvius.* Similiter Paulus Aurelius: *Patet ergò rursus ad meridianam lucem necessitas urgens, ut propositionum istarum sensus damnatus, ac non damnatus,* vel *damnatus saltem claris ac distinctis vocabulis exprimatur, indicetur, definiatur: quò fideles omnes intelligant quid verum, quid falsum, quid sanum, quid erroneum, seu quid amplectendum ipsis repudiandumve sit: ac circa dogma obedientiam filialem, quam in præcordiis suis ad Præpositorum nutus paratam gestant, in articulorum istorum sonitu teneantur exerere.* Et ante requirit: ut sit *explicatio clara, tersa & distincta istorum sensuum.* Et Exemplificat sensibus, sed malignè affictis, Lutheranorum & Calvinistarum, qui utique obvii ac naturales esse non possunt. v. g. *Aliqua præcepta omnibus justis volentibus & conantibus secundum præsentis vitæ vires sunt absolutè impossibilia.*

Parenesi Vind. pag. 50.

Prol. Gal. pag 68.

Sed contra isthæc effugia obviamus asserentes quod cum propositiones in se tersæ ac claræ sint atque vi naturalis significantiæ unicolôres, habent fideles normam eas repudiandi per Apostolicam Constitutionem quæ eas damnat damnandasque præcipit in sensu obvio, quem verba præ se ferunt, qui non nisi unicus est. Alij namque sensus verbis propositionum neutiquam subjacent. Non Lutheranus vel Calvinianus ut claret ex dictis. Non ille medius Tri-columnaris. Non Augustinianus quem Pontifices tartum tectum voluêre, quemque etiam verba non præferunt; igitur unus ille se damnandum oculis ingerit, quem sine additione aut restrictione verba propositionum exertè efferunt.

Quemadmodum ergò Romani Pontifices non debuêrunt determinare quid nomine *Gratiæ* intellectum vellent dum ad singulos pietatis actus Gratiam necessariam esse definiêrunt, licet ad alienam significationem eam detorquêrent Pelagius & Cælestius; ita nec damnatores dictarum famosarum exprimere debent, quod verba per se lucida damnandum offerunt. Et fors si lucem luci adderent, & in illâ quoque versicolôres sensus invenirent iniquitatis filij, quæstionesque necterent interminabiles. Sed

Instantem conspicor Paulum Aurelium: *Si Pater-familias mandatum aliquod sedulò observandum insinuasset filijs, atque hi acriter disceptarent de mandati sensu, alijs hunc, alijs istum, alijs adhuc penitus disparatum causantibus: Si furgia ista indies incalescerent, ac diuturnâ dissensione irritatis animis ad manus & pugnos veniretur; quin & tandem pro anima res agi inciperet: Num existimanus posse fieri ut Pater diutiùs contineat viscera sua, nec mandati sui tersissimum ac clarissimum sensum filijs in mutuam internecionem ruentibus explicet?* At

Prolog. Gal. pag. 68.

Res-

Reſponſum referat. Debet id Pater-familias vel maximè ſi anceps ambiguumque mandatum dederit ac jurgiorum materiam ſuggeſſerit. Apoſtolica autem mandata terſa ac clara ſunt de damnandis propoſitionibus juxta ſenſum quem verba præ ſe ferunt non ambiguè, ſed lucidè. Et hic unicus eſt, nec poteſt per ſe diſſidiorum cauſa eſſe. Nec diſſident ſuper eo obedientiæ filij, ſed iniquitatis ſuo arbitratu fingentes verſicolôres ſenſus à verbis propoſitionum prorſus alienos. Et quod ad dirimendum diſſidia pertinet; Pontifices ambiguitatis omnis nebulas affatim diſſipârunt dum non ut Lutheranas aut Calvinianas, ſed ut Janſenianas hæreſes in obvio iſto ſenſu comprehenſas perſtrictas voluêrunt, & Auguſtinum, ſub cujus umbra Janſeniani ſeſe occulebant, intactum declaravêrunt, intemeratumque ejus de Gratia efficace celebratiſſimum dogma in portu ſecuritatis poſuêrunt. Janſenium itaque neutiquam cum Luthero aut Calvino componentes, & Auguſtinum à Janſenio diſpeſcentes Romanæ Sedis Præſules, in uno ſenſu propoſitionum naturali ac obvio eoque Janſeniano hærentes omnem Controverſiæ anſam ſubmovêrunt.

Hæc audiant, hæc intelligant: & non litigent qui pacem & veritatem diligunt. Quod litigantium nemo ſenſum obvium invenire potuerit, non procul abeuntem ab illo conſulant, quem pro meritis Magnum celebrant, Sapientiſſimum Virum Antonium Arnaldum de V. famoſarum ſenſu ſua ſenſa non obſcurè pandentem, Illuſtriſſimo Andegavenſium Epiſcopo Fratri ſuo Henrico Arnaldo, & oppoſitas damnatis hoc tenore aſſerentem audiant.

De Prima propositione ita sentio :

Omnibus iustis volentibus & conantibus mandata Dei sunt possibilia per vim interiorem & supernaturalem in ipsis existentem : nec illis sic volentibus deest gratia tum habitualis, tum actualis, quâ possibilia fiant in actu primo, licet numquam in actum secundum proditura sint sine actuali auxilio actum illum secundum conferente.

De Secunda propositione ita sentio :

Datur in statu naturæ lapsæ aliqua gratia actualis interior, quæ propter resistentiam voluntatis liberè agentis caret effectu ad quem ex se potestatem confert, & ad quem ordinatur in eodem subjecto per voluntatem Dei antecedentem. Nulla tamen datur gratia actualis interior, quæ non habeat eum effectum ad quem ordinatur per voluntatem Dei absolutam seu consequentem.

De Tertia sic sentio :

Ad merendum & demerendum non sufficit in statu naturæ lapsæ libertas sola à Coactione, sed requiritur Libertas à necessitate naturali, sive à determinatione absolutâ ad unum ; proindeque requiritur indifferentia activa ad utrumlibet, non illa quam Molinistæ commenti sunt, sed illa, quam D. Thomæ Schola defendit.

De Quarta ita sentio :

Semi-Pelagiani non ideò hæretici, quod dicerent, Voluntatem gratiæ supernaturali internæ resistere vel obtemperare posse, quinimò omni gratiæ resisti & obtemperari potest, quamvis illi, quæ vocatur SUFFICIENS, dum sola est, semper resistatur, efficaci numquam.

De Quinta Propositione ita sentio :

Non est Semi-Pelagianum dicere Christum pro omnibus omninò mortuum. Asserere verò pro salute dumtaxat Prædestinatorum Christum sanguinem fudisse, revera hæreticum est, quia licet

licet solis electis efficaci & absolutâ voluntate salutem morte suâ promerêri voluerit, pro quibusdam tamen reprobis sanguinem suum fudit, iisque promeruit gratias, quibus ad salutem æternam pervenire possent.

Pergit Arnaldus: *Habet vir clarissimus omnem meum de istis propositionibus sensum.* Et quidem sine relatione ad Jansenij librum, quem non damnat è verborum cortice elicitum. Nam de Jansenio subdit: *Sed illud etiam statuat necesse est, reliquam Controversiam, an scilicet quinque propositiones sint in Jansenio meram facti quæstionem esse, à fide prorsus distinctam & alienam.* Enitescit equidem Arnaldus ad obvium verborum sensum Anti-thesim suarum propositionum concinnare allaborasse, non utique Lutheranum aut Calvinianum, nec ad alium in medio columnæ statutum, sed ad illum qui alio titulo ater apparet & orco dignus, & Augustini scholâ prorsus eliminandus. Atque quidquid defacto hoc, an dictæ propositiones in Jansenio sint, ambegerit, videtur vel nescius damnando propositiones in obvio sensu Jansenium ipsum trans adegisse ac jugulasse. Et adhuc supereſt qui dicat quod *Neque adhuc quispiam in mundo compareat, qui sensum illum obvium tantis vociferationibus obstrepentem accuratè atque ad amissim figere im. punè audeat?* En unum è multis Arnaldum, qui licet illimis non sit, sensum tamen obvium penetrasse visus est accuratius quam omnes Jansenij Prota-goniste, multumque ab Hæterodorum Placitis saltem quoad majorem partem famosarum propositionum damnabilem sensum avulsit.

CORNELII JANSENII FERALIS PENTAS Africani Solis Fulgore perstricta *Priusquam Apostolico fulmine icta.*

Necessarium, & utile est etiam quæ scripta sunt scribere, ne leve existimetur, quod non frequenter arguitur: Sanum enim putant esse quod dolet: nec vulnus superductâ cute sentiunt; sed intelligant perventurum ad Sectionem, quod habuerit perseverantem tumorem. *Sanctus Prosper ad Augustinum.*

LIBER PRIMUS

DE PROPOSITIONE PRIMA

Sive de Abjudicata Justis conantibus & Volentibus aliquorum præceptorum à Cornelio Janſenio poſſibilitate.

PROPOSITIO PRIMA,

Aliqua Dei Præcepta hominibus Iuſtis Volentibus, & conantibus, ſecundum præſentes, quas habent Vires, ſunt impoſsibilia, deeſt quoque illis Gratia, quâ poſsibilia fiant.

HANC Propoſitionem *à ſuo loco doloſè avulſam & exibitam* mendaciter criminantur Authores diſtinctionis V. Propoſitionum in varios ſenſus oblatæ Innocentio X. anno 1653. Nam ipſiſſimus Janſenii textus ita verba propoſitionis effert?

effert? *Nihil esse in Sancti Augustini doctrinâ certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, exæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & Justis, Volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent Vires, sunt impossibilia; deesse quoque Gratiam quâ fiant possibilia.* Nihil hic dolosæ avulsionis elucet.

L. 3. de Grat. Christi c. 13. pag. 384.

Et cum Jansenius impossibilitatem, quam comminiscitur, in Augustini doctrina fundadatissimam jactitet; ut capiatur quantâ Hipponensis ab Iprensi intercapedine dissideat, vel in ipso primæ propositionis limine Augustini arma tractanda sunt contra Jansenium.

CAPUT PRIMUM.

De voce *impossibilia* in prima Propositione *Iustis Volentibus & conantibus* attributa.

SECTIO PRIMA.

Littera Ianseniana impossibilia *in Augustino tractante de Iustis conantibus & Volentibus, nondum est inventa.*

NON aëra cedimus cum de voce disserimus invisâ Patribus, Horridâ Populis, ipsis etiam terrificâ Pelagianis, & ab his objectatâ Christianæ Gratiæ defensoribus. Hâc tamen usum fuisse Maximum Ecclesiæ Doctorem Augustinum contendit Jansenius, ejusque Apologistæ.

Hanc

Hanc vocem *impossibile*, vel *impossibilia* respectu Justorum, eorumque conantium implire præcepta nuspiam in Augustino extare, ubi tam spissa voluminum moles vulgarem superat captum, quis ausit affirmare, nisi qui Augustini penetralia subierit, conspexeritque ex antecedentium & consequentium nexu, Augustinum tam durâ voce, & litterâ sui peremptorâ uti non potuisse, quemadmodum usum fuisse inficias imus. Et Magno Argumento est, quod Jansenio ipsi, qui suum facit quantus est Augustinum, omnibus viribus conanti & volenti impossibile fuerit hanc vocem expromere, & addere ingenti testimoniorum moli congestæ ex S. Augustini monumentis; quamquam, quod non diffitemur Luculentissima & numerosissima advolvat, è quibus evictum dedit Justos conantes & Volentes aliqua præcepta implêre non posse, ideoque orare debêre ut possint. Sed hinc nulla Consecutionis lege concluditur Jansseniana impossibilitas, ut postea demonstratum dabimus.

Objecto ex Iansenio. Ibid pag. 327. Aug. in Ps. 106. ℣. 3.

At dicit Jansenius: De volentibus loquebatur (Aug.) *quando dicebat. . . . inclusum se sentit difficultate vitiorum, & tamquam* MURO IMPOSSIBILITATIS, *portisque clausis, quà evadat, ut rectè vivat, non invenit.* Sed

Respondetur primò non agere Augustinum, de Justo, sed peccatore, qui jam accepit panem veritatis, ut sciat qualiter benè vivere debeat, *& conatur & non potest, ligatum se sentit, exclamat ad Dominum.* Neque de ea quam Augustinus censet, sed quam homo ligatus compedibus vitiorum, sibi persuadet impossibilitatis murum, loqui existimandus est: nam ipse Augustinus hanc impossibilitatem mitigat verbis adjacentibus vocans, DIFFICULTATEM. *Secunda tentatio est* DIFFICULTATIS *in*

ope-

operando, sicut illa prima erroris & famis. . . RÚMPIT *vincula* DIFFICULTATIS, *constituit* (Deus) *in operationem æquitatis: incipit ei jam* FACILE *esse quod* DIFFICILE FUERAT (en impossibilitatem) *abstinêre à malis, non adulterare, non furtum facere &c. Facta est* FACULTAS *quæ fuerat* DIFFICULTAS. *Potuit hoc Dominus sine* DIFFICULTATE *præstare; sed si hoc sine* DIFFICULTATE *haberemus, largitorem hujus boni non agnosceremus.* En DIFFICULTATEM, quam luctans cum morbis putat esse IMPOSSIBILITATEM. Difficultatem quoque & Justos in gravi conflictu aliquandò pati quis ambigat? Et si Victor ovaverit, Victoriam dicemus conanti & volenti primitùs fuisse impossibilem? non est impossibile, quod optato effectu potitur.

In Psal. 6. ℣. 3 & 4.

Simili Spiritu S. Augustinus alio loco tractat de difficultate conversionis: *simul etiam agnoscat, quanta pœna impiis præparetur, qui se nolunt convertere ad Deum, si tantam* DIFFICULTATEM *convertentes patiantur. . . . Dum enim nos convertimur, ideſt, veteris vitæ mutatione resculpimus Spiritum nostrum: durum sentimus & laboriosum ad serenitatem & tranquillitatem divinæ lucis à terrenarum cupiditatum caligine retorquêri, & in tali difficultate dicimus: Convertere Domine, ideſt, adjuva nos, ut perficiatur in nobis conversio.*

Objiciunt Palladius & alij Jansenianæ primæ defensores, alium locum S. Augustini: *Cum fortis & potens præparatur voluntas à Domino facile fit opus pietatis, quod prius difficile atque* IMPOSSIBILE *fuit.* At rursum ex contextu effulget quod non agatur hîc causa justorum qui conversionis difficultates Dei gratiâ remigante ac triumphante enavigaverunt. *In potestate hominis est*, ait, *mutare in melius voluntatem, sed ea*

L. 1. Retract. c. 22.

potestas

potestas nulla est, nisi à Deo detur, de quo dictum est: dedit eis potestatem filios Dei fieri. Cum enim hoc sit in potestate quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est. Eo modo ergò dat potestatem. Sic intelligendum est & quod dixi posteà, in nostrâ potestate esse, ut vel inseri bonitate Dei, vel excidi ejus severitate mereamur: Quia in potestate nostra non est, nisi quod nostram sequitur voluntatem. Quæ cum fortis & potens præparatur à Domino, facile fit opus pietatis, etiam quod difficile atque impossibile fuit. Respondeti potest, ut supra sic ut ly *impossibile* pro *difficili* habeatur & per appositum terminum modificetur.

Deinde Justificat hîc Augustinus & ostendit, *quod non contra gratiam Dei* prædicaverit, nimirum effando præmissa: *in nostra potestate esse inseri bonitate Dei.* Ne videretur naturali hominis voluntati possibilitatem illam cum Pelagianis adscripsisse rectè concluſit: *Facile fit opus pietatis,* nempe *cum præparatur fortis voluntas à Domino, quod difficile atque impossibile fuit.* Quomodò impossibile? Voluntati soli & gratiæ adjutorio nudatæ, cui Pelagius insitam dixit *inamissibilem adimplendorum mandatorum Dei possibilitatem.* Quomodò difficile? Incipienti converti & resculpi per gratiam Dei: nam difficultate magnâ prægravari incipientes ad Deum converti Augustinus satiatissimè nos antè edocuit. Quod Augustinus impossibile dixit possibilitate Pelagianâ sive per solas naturæ vires, perperam id justis conantibus volentibusque Jansenius adscripsit.

At inquies, cum Palladio, certum est apud Augustinum non omnibus *Justis, volentibus & conantibus* fortem ac potentem à Domino præparari voluntatem: sed omnibus fortem & potentem non habentibus voluntatem opus pietatis

tis *impoſsibile* Auguſtinus aſſerit; ergò aliquibus juſtis volentibus & conantibus opus pietatis *impoſsibile* eſt ex Auguſtino.

Reſp. negando ſubſumptum ſi agatur de impoſſibilitate à difficultate diſcretâ. Nam impoſsibile non admittit Auguſtinus niſi oppoſitum poſſibilitati Pelagianæ, quam Pelagius attribuit libero arbitrio ſeu voluntati gratiâ non prævenitis. Cum talis voluntas à Domino prævenitur & accipit velle fortiter, tunc fit facile per gratiam quod impoſsibile erat per naturam. Talis autem voluntas nuda & orba Dei gratiâ, ut cum Pelagianis ſuppoſuit Auguſtinus, non erat Juſtorum Volentium atque conantium mandata ſervare, cum ipſa Voluntas conatuſque ſit gratiæ, adeoque locum non obtinet in illis impoſsibilitas Pelagiana, hoc eſt, naturali adverſaria poſsibilitati. Nam, ut obſervandum prætuli, Auguſtinus hanc periodum protulit, ut oſtendat non contra Dei gratiam ſe prædicaſſe cum dixit: *In noſtrâ poteſtate eſſe inſeri bonitate Dei.* Hoc ſine Gratiæ Dei impoſsibile humanæ aſſerit Voluntati. Quæ ſi gratiâ præveniri cœperit & bonum velle acceperit, non tam facile erit perficere donec parva & inchoata à Deo voluntas donata in fortem, validam ac potentem evaſerit.

SECTIO

SECTIO II.

Ianseniana Iustorum impossibilitas nec quoad sensum è verbis S. Augustini rectè eruitur à Ianseno.

DIspersâ in auras voce *impossibilia præcepta*, ex Augustini scriptis perperam eductâ, an saltem verbis æquipollentibus *impossibilitatis* notionem sensumque Jansenio non ingesserit Augustinus, nunc dispiciendum oculatius, rimandam scrupulosius, enodandum lucidius. Siquidem Jansenius ejusque discipuli incunctanter asserunt: *Nihil esse in sancti Augustini doctrina certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, sed & fidelibus quoque & Justis Volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent Vires*, IMPOSSIBILIA. Itaque dico, nec quoad notionem sensumque abjudicatæ: *Justis Volentibus & conantibus &c.* Præceptorum aliquorum impossibilitati Doctorem Maximum suffragari. Nec à famoso Jansenii Capite, unde feralis isthæc prodiit, deviandum, ut Jansenii sensus refutetur. Unde enim Augustinus confectum voluit adversus Pelagianos, Deum *impossibilia* non præcepisse, concluſum vult Jansenius etiam Justis Volentibus conantibusque illa servatu possibilia non esse, si non absolutè, saltem eâ possibilitate quâ Præcepta possibilia fiant. Et quamquam Justos conantes Volentesque omnifariâ Dei gratiâ actuali non viduet; plus tamen audet de his enuntiare, quam Augustinus ipse non modò de Justis asserit, sed etiam de injustis. Quod majore argumentorum impendio restat suo loco evincendum.

Ianſ. l. 3. de Grat. Chr. c. 13. pag. 334.

Atque in primis quibus argumentis Augustinus revincat Pelagianos Præceptorum *impossibilitatem* velut arietem objectantibus, conspicêmur.

Argum. 1. l. de nat. & Grat. c. 15. Itàque *præcepto facere commonêmur, quod* CONANTES, *&* NOSTRIS VIRIBUS NON VALENTES *adjutorium divinum precêmur.* Concludit Augustinus: *cap. 43.* *Non igitur Deus* IMPOSSIBILIA JUBET, *sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.*

Argum. 2. cap. 69. Item: *Eo ipso quippe quò firmissimè creditur Deum Justum & bonum* IMPOSSIBILIA *non potuisse præcipere, hinc admonêmur, & in facilibus quid agamus,* & in DIFFICILIBUS quid *petamus.* En difficilia ab *impossibilibus* distincta.

Argum. 3. l de Grat. & lib. arbr. cap. 16. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quandò dicunt: non Jubêret Deus quod sciret non posse ab homine fieri.* Respondet Augustinus: *Quis hoc nesciat? Sed ideò jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.*

Ex his similibusque argumentis objectam à Pelagianis impossibilitatem, Augustinus retundit & regerit: *Deus impossibilia non Jubet,* confitente *ibid. pag. 325.* ipso Jansenio & in super addente: *Quam Augustini Doctrinam Augustini verbis paulò antè citatis tamquam Catholicam Tridentina Synodus sanxit.*

Et ex his ipsis argumentis (sic collubitum est Jansenio) concluśit Augustinus Deum aliqua impossibilia præcepisse. Nam Jansenio eadem est sua, quæ Augustini dialexis .... infert autem Jansenius: *Ex hac indubitatâ doctrinâ, quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur, & clarescunt. Primum quidem, esse quædam homini præcepta secundum statum & vires, in quibus constitutus est* IMPOSSIBILIA: *hoc enim non solum ista loca exertè profitentur dum dicunt*

dicunt Deum aliqua jubère quæ non POSSUMUS, *ſed etiam ipſa oratio, quâ petimus, ut* POSSIMUS.

Itaque Auguſtinus pro abſurdo obiicientibus: *Deus præcipit impoſſibilia*, in Capite reſponſionis indignantiſsimè conſecutionem iſtam ut in Deum juſtum & bonum impiam abjêcit, & in ſubjunctâ elucidante periodo ſeſe impiavit dicendo: *Ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus.* Siquidem *non poſſe hominem facere & impoſsibilia eſſe homini* Janſenio convertuntur: cum, ut ad ſolis jubar meridianum demonſtratum eſt, Janſenius arguat ex Auguſtini doctrina non interrupto tramite fluere aliqua præcepta homini eſſe impoſsibilia præſentibus Viribus inſtructo, quia Auguſtinus dixit hominem hujuſmodi *Non poſſe*, & petere debêre *ut poſſit.* Ridiculus ergò Auguſtini textus hic erit: *Deus impoſſibilia non jubet, nec jubêre poteſt; ſed jubendo monet facere quod poſsis*, ſeu quæ poſsibilia ſunt, & petere, ut, quæ nunc IMPOSSIBILIA *ſunt, poſsibilia fiant.* Quod hâc conſecutionis lege diducantur omnia pro impoſsibilitate aſſertâ in propoſitione primâ mox eniteſcet. Itàque ut probet juſtis conantibus & volentibus aliqua præcepta eſſe impoſsibilia, palmaria argumenta deprompſit ex iis locis, in quibus Auguſtinus dicit Juſtos conantes volentêſque NON POSSE, *ideòque petere* debêre *ut poſſint.*

SECTIO III.

Argumenta Cornelij Ianſenii (l. 3. de Grat. Chr. c. 13) *ex Auguſtino deducta per Auguſtinum Solvuntur.*

Argum. 1. *ex l. de Perf. Iuſtitiæ c.* 3.

DE volentibus Auguſtinus loquebatur quandò dicebat: *nec tamen cum vult continuò poteſt, ſed cum fuerit adhibitâ curatione ſanatus, & medicina adjuverit voluntatem.* Et in eodem libro: *ſub quibus*, inquit pœnis, *poſiti vel non poſſumus, quod volumus intelligere, vel quod intellexerimus, volumus, nec valêmus implêre.* Quis non demirêtur Janſenium adſciſcere teſtimonium conſtabiliendæ ſuæ Impoſsibilitati ex illo ipſo Libro uſque adeò ſibi fatali? Toto enim illo libro Cæleſtii ratiocinationes diſpellit Auguſtinus repellitque intortum ſibi impoſsibilitatis telum, continenterque aſſerit Deum non præcipere quæ obſervari nequeant, peccatumque non eſſe quod vitari non poſsit, ut poſtea luculentiſsimè non cæcutientium obtutibus ingeremus ex prætacto Libro oppoſitam, Deo donante, poſsibilitatem evicturi.

Argum. 2. *Ibid. c.* 4.

Argum. 3. *Tract.* 34. *in Ioan.*

De Volentibus quoque loquebatur quandò dicebat: *Conaris ambulare & non* POTES.

Argum. 4. *Serm.* 97. *de diverſis c.* 4

De Volentibus loquebatur quandò dicebat: *Volumus ô! Domine Volumus; ſed non* POSSUMUS.

Argum. 5. *Lib.* 3. *de lib. arb. c.* 18.

De Volentibus loquebatur quandò dicebat: *Sunt neceſsitate facta improbanda; ubi vult homo rectè facere, & non* POTEST. Item: *Illa eſt pœna Juſtiſsima, ut qui ſciens rectè non facit, amittat ſcire quod rectum ſit, & qui rectè facere cum poſſet noluit, amittat* POSSE *cum velit.*

Et

Et in Tractatibus in Joannem : *Quid festinas Petre ? nondum te spiritu suo solidavit Petra. Noli extolli præsumendo*, NON POTES MODÒ. Et alibi de Petro: *Secutus est Dominum passurum ; sed tunc non* POTUIT *sequi passurus.* „ *Putabat se* POSSE, *quod se velle sentiebat.* *Argum. 6. serm. 106. cap. 4* *Argum. 7. L. de Grat. & lib. arb. cap. 17.*

His similia tam de Justis, quam injustis congerit, conglorem fit atque Augustini effâta profitentis hujusmodi homines *non posse, licet velint*. Tandemque concludit *nihil esse in Augustini doctrina certius ac fundatius, quam præcepta quædam non modò infidelibus sed & etiam justis volentibus & conantibus juxta præsentes quas habent vires, esse impossibilia.* . . . At

Uno consimili, sed è quo possibilitas profluat, Augustini Ariete universa hæc Machinamenta Jansseniana confringam : De illo qui adhuc in stabulo curatur & conatur, Augustinus dicebat: *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* *Ibid. c 43.*

Idem de volente & non potente dicebat : *Deus* IMPOSSIBILIA NON JUBET.

A NON POTENTIBUS impossibilitatis invidiam arcêbat, quandô Pelagianis respondêbat: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quandò dicunt : non jubêret Deus quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nescit? sed ideò jubet aliqua quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.* *De Grat. & lib. c. 16.*

De volentibus nondum potentibus Pelagianis respondêbat dicentibus : *Nec præciperet Deus homini, quod esset humanæ impossibile voluntati. Sed hoc non vident, quod ad nonnulla superanda, magnis & totis viribus opus est voluntatis.* *L. 2. de pec. meritis c. 3.*

Quas vires si non accipiat homo ad vincendum omne peccatum, *non ad* IMPOSSIBILITATEM *sed ad judicium Dei pertinet.* *L. de Spiritu & litt. c. 35.*

De non potentibus ardua præcepta servare in simul agebat quandò dicebat: *Firmissimè creditur Deum justum & bonum non potuisse impossibilia præcipere.* Subjunxit enim: *Hinc admonêmur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

L. de nat. & Grat. c. 69

Quis jam non videat Augustinum voces *non posse hominem*, & *impossibile* esse homini significatu dispescere? Aut si convertat cum Iprensi Præsule, quis in Africano sole nebulas non offendat? Conflictanti nunc dexteram jungere, nunc ut hostem amolirier? Firmissimè namque *credit Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere*, & ultrò donat: Homines conari velle quædam, & NON POSSE. Petere ut quæ *non possunt*, facere *possint*. Nisi forté finxeris duplicem impossibilitatem Augustinum uno contextu complecti, unamque damnare ut impiam, nimirum absolutam, alteram ceu Catholicam amplexari & defensare, sed à terminis adversariò horrificis supersedêre mitigando *non posse*. At hoc est nugari & divinitoriam exercêre, ut infra ex Scopo hujus cum Pelagianis certaminis rutilum evadet.

Ad hæc cum inter Justos volentes conantesque etiam difficillima gravia mandata servare, nonnullos admittere debeat Jansenius, quibus non defit Gratia, quâ mandata possibilia fiant, nempè qui orando impetrant quod conando volendoque nondum poterant; censuisset Augustinus præcepta illis sanctis fuisse impossibilia quia omnia præcepta Dei observavêrunt, atque per impossibilium observationem mandatorum promeruisse salutem... At de talibus saltem Augustinus non censuit possibilitatem abjudicandam qui victrice operante Gratiâ mandata reâpse servavêrunt: *Neque de ipsâ possibilitate*

tate contendo, inquit Augustinus, *cum sanatâ & adjutâ hominis voluntate possibilitas ipsa simul cum effectu in sanctis proveniat, dum Charitas Dei, quantum plenissima natura nostra sana atque purgata capere potest, diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* S. Aug. l. de nat. & grat. c. 43.

Tantùm abest, ut *impossibilia* asserat, qui *facilia* pronuntiat Charitati, cui uni sarcina Christi *levis est: aut una ea est sarcina quæ levis est:* Secundum hoc dictum est: *& præcepta ejus gravia non sunt, ut cui gravia sunt, consideret non potuisse divinitùs dici, gravia non sunt, nisi quia potest esse cordis affectus cui gravia non sunt; & petat quo destituitur, ut impleat quod jubetur.* cap. 69.

Quin etiam S. Augustinus ab hâc impossibilitate ità abhorruit ne Pelagianis insultationis materiem daret, ut dixerit: *Qui dicunt esse posse in hâc vitâ hominem sine peccato, non est continuò incautâ temeritate obsistendum; si enim posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* S. Aug. l. de Pecc. merit. c. 6.

Quid est non resistendum his qui asserunt hominem *posse in hâc vitâ sine peccato vivere*, nisi possibile esse, ut ità vivant, asserentibus non resistendum? Et quare possibile istud inficiari piaculum est? nisi ut ne *hominis arbitrio volentis ita vivere*, derogetur ex unâ parte; & ex alterâ Dei virtuti *qui hoc adjuvando efficit*, quod voluntas scilicet appetit, quando Deus ipse voluerit? Quomodò igitur Jansenius non derogat ex mente S. Augustini tam hominis libero arbitrio volentis præcepta servare, & Dei virtuti qui hoc adjuvando efficit, asserendo Præcepta aliqua Justis Volentibus & conantibus juxta præsentes quas habent vires esse impossibilia, seu, quod convertitur, ab hominibus his

his observari non possunt ? Igitur vel immane quantum ab Augustino exorbitat ; vel Augustinum, Augustini quidem trutinâ, & hominis libero arbitrio, & Dei virtuti derogatorem constituit. Hæccine laus & Liberatoris liberi arbitrii & propugnatoris Gratiæ seu Divinæ Virtutis invictissimi, imò utriusque Protectoris Glorioſissimi ?

Quis jam non majori contra Jansenii Commentarium Augustini amore sagittatus Pharetram relaxet, ubi post verba S. Augustini citata ex l. de Spiritu & littera, *non ad impossibilitatem, sed ad Judicium Dei pertinet* ; „ita infit, *hoc est non Judicat illud opus Justitiæ prorsus esse impossibile, sed opus esse gratia*
pag. 332. *Dei, quæ ex Judicio Dei profundo distribuitur, per quam magnitudo tantæ voluntatis*, QUANTA *sufficit*, & OPERIS *justi* POSSIBILITAS *datur.*

Augustinus namque, & antequam tanta voluntas detur, quâ sine omni peccato vivatur, possibilitatem inficiandam negat, ne *libero arbitrio hominis id volentis derogetur*; Jansenius verò ab ea gratia quæ magnam istam voluntatem tribuat, exspectandam retur. Hæc autem cum, exceptâ Salvatoris Genitrice sanctissimâ, nulli detur ; quid restat, nisi ut possibilitatem futuram tanti operis, sed numquam donandam præstolêtur? Non erit Hipponensis sat aperta discretio inter non posse & impossibile fieri, ut hunc interpretem exspectaret, qui quod Augustinus exhorruit, invidiosis vocibus efferret : nimirum justo est *impossibile* sine omni peccato vivere, sed si Deus voluerit, ipse possibilitatem largiêtur. Concludit adversus hunc Cælestius, & viro opprimet fauces verbis propriis: *Si est aliquod peccatum quod vitare non possit*,

seu

seu quod vitatu impossibile; *quomodò Justus Deus dicitur, si imputari cuique dicitur quod vitari non possit?* Et rursum: *homo sine omni peccato esse debet. Si debet, potest; si non potest; ergò nec debet, & si non debet sine peccato esse, debet cùm peccato esse.* Quid ad ista remugiet Jansenius, nî cum Augustino *posse fieri* concedat, *& non posse seu impossibile* istud ad fines Thracios ablêget.

Demum ipsa Iprensis Confessio, esto sibi non constet, Hipponensis sideris protectio sit. Confessus est, & non negavit dum Molinianis obiicientibus: *Deus non jubet impossibilia; ergò dat omnibus auxilium sufficiens ad ea facienda quæ jubet*; respondit sententiam illam quâ, *dicitur Deum non jubère id quod homini est impossibile, numquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod propriis viribus implêre non potest; sed solum, quod ita impossibile est, ut neque propriis, neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implêre.* pag. 324.

Atqui Justi volentes, conantes, & divinum auxilium advocantes ut possint adimplêre quod volunt satis ostendunt suis Viribus implêre se non posse quod petunt; igitur istis juxta S. Augustinum impossibilia Deus non jusit. Tantum namque negavit, quam defendebant Pelagiani, Præceptorum possibilitatem; nempe naturalem, impossibilitatemque oppositam adstruxit.

Et numquid qui à Patre didicêrunt & tracti fuêrunt priùs imperfectè volentes conantesque fuêrunt, & sunt de lege ordinariâ? Et tamen in illis Augustinus non *impossibilitatem* sublatam, sed *possibilitatem* ait esse promotam.

Quod enim talis homo *per Christi gratiam non solum potest venire, sed venit*, demonstrat quod *ibi* Aug. de Gr. Christ. c. 14.

ibi jam sit & POSSIBILITATIS *profectus*, & *Voluntatis affectus*, & *actionis effectus*.

Cum jam affatim clarescat, non modò sensu, sed & verbô Hipponensem ab Iprensi Præsule dissidêre in causâ impossibilitatis Præceptorum aliquorum justis conantibus volentibusque diro nimis stylo infixæ, exsufflatur Aviti Academici tumida nimis & probrosa jactantia, *Jansenianam hæresim ne ad latum unguem ab* Augustini Dogmatibus dispesci potuisse, vel segregari.

Avit. Acad. Paranesi ad Acad. almæ Vniversit.

Evanescit etiam Pauli Aurelii Goliathismus universam Societatem provocantis, adoreamque spondentis ei, qui vel in unâ solâ è quinque propositionibus famosis ostenderit Iprensem ab Hipponensi Augustino vel *terminis vel significatione dissidêre*. Pugnam terminorum *impossibile*, & *non impossibile* magnam conspeximus, & unum ajentem, alterum inficiantem ostendimus: Imò & sensuum dissidia non confœderanda è campo ipso Martio condicto utriusque Volumine, in spectantium oculos produximus. Sed necdum manus dabunt Jansenii Apologistæ, nisi conspexerint sua confracta Machinamenta. Itaque sit

Paulus Aurel. Prolog. Galeat. p. 48.



SECTIO

SECTIO IV.

Confringuntur Ianseniânorum pro Iansenio Augustini sensibus componendo fabricata tela circà prætensam Præceptorum aliquorum impossibilitatem.

In antecessum præmitto Argumentum, quo Jansenium tuêri possent Janseniani.

ARGUMENTUM PRIMUM.

QUisquis cum Augustino asserit omnia præcepta omnibus, exceptis dæmonibus ac damnatis, esse possibilia non potest simul asserere aliqua esse impossibilia; sed Cornelius Jansenius asserit primum; igitur non affirmat secundum: *Omnia* enim *possibilia esse*, & *aliqua esse impossibilia* contradictionem implicantia coire non possunt.

Subsumptum claret ex cap. 15. Libri 3. de Christi Salvatoris ubi quatuor possibilitatis gradus enumerat. Primò remotissimè dicit esse *possibile* per solam Liberij arbitri *flexibilitatem*, & in probam adducit illud Augustini: *Ut enim sit naturæ fidem posse habêre.* Et iterum: *Posse habêre Fidem, posse habêre Charitatem, naturæ est hominum.* Et hæc possibilitas non est nisi *Fidei, Dilectionis bonæque Vitæ capacitas* Hujus exsortes dicit esse damnatos ac dæmones: quia de diabolo Augustinus ait: *Nec ipse diabolus habet liberum* (arbitrium) *ad benè faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœna sui sceleris obduratum*: & libro

Pag. 330.

S. Aug. de Prad. SS. c. 5.

Epist. 107.

De gen. ad lit. l. 11. *c.* 23.

bro undecimo de Geneſi ad litteram : *Factum eſt in illo pondere meritorum, ut nec juſtitiæ poſſit lumine delectari.*

Ianſen. l. 4. de ſtatu nat. lapſæ cap. 25. pag. 663.

Quod tamen dæmones hâc boni impoſſibilitate ligati *non amplius damnationem graviorem mereantur*, ſoli ſtatui peccantium attribuendum aſſerit 4. de Statu lapſæ.

L. 3. de Grat. Chriſti c. 15. pag. 338.

Secundò paulò propinquius dicimur poſſe *benè vivere omnibuſque tentationibus reſiſtere & peccata cavêre per fidem, quamvis dilectione & actuali Dei adjutorio interniſque viribus voluntatis, de quibus antè multa diximus, careamus: nam quamvis fides iſta omnia per ſe nullo modo poſsit, quia tamen eſt ſemen orationis, per quam Charitatem & gratiam adjuvantem, & voluntatis vires impetrare ſolemus, hinc per fidem iſta* POSSE dicimur. Probat ex Auguſtino dicente: per

Aug. ep. 107. quam fidem ſcit Diabolus eos POSSE mundari, POSSE ſanari, poſſe perfectiſsimè liberos in æternitate regnare. *Et alibi* : ſi credis, ipſâ tibi

in Pſal. 120. POTESTAS data eſt, ut ſis inter filios Dei, &c.

Tertiò dicimur pleniùs perfectiuſque *poſſe per Charitatem, per quam homo juſtificatur.* Probat ex Auguſtino in epiſt. ad Romanos dicente: *accipi Spiritum ſanctum*, per quem infuſâ CHARITATE bona POSSIT OPERARI. Et infra: *quo bona* POSSIT *per dilectionem* OPERARI. Item : *illius eſt dare credentibus & Volentibus facultatem benè operandi per Spiritum Sanctum, per quem Charitas Dei diffunditur.*

Quartò completiſsimè *dicimur* poſſe, *quando*

pag. 340. *ſancti Spiritûs inſpiratione ſic voluntas præparatur, ut non nudè poſsit, ſed etiam velit. Tali gratiâ non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum agere adjuvatur..... Hoc poſſe numquam habetur, niſi quando reipſâ quoque agitur, & eſt proprius effectus non fidei, aut Charitatis ſeu bonæ voluntatis habituaſis,*

lis, sed illius gratiæ actualis, quam attulit hominibus infirmis per Crucem suam.

Tandem ad argumentum à Possibilitate mandatorum Dei pro Gratiâ omnibus sufficienti subministratâ adsertum respondet: *Cum igitur tot sint modi, quibus præceptum dicimur* posse *facere, totidem etiam erunt, quibus non posse dicamur. Quod & exemplis nonnullis in præcedenti discursu declaratum est ... ad Argumentum igitur* (cap. 13. allatum) *initio capitis decimitertij propositum veniendo, respondemus,* PRÆCEPTA DEI ESSE HOMINI POSSIBILIA, SEU POSSE AB HOMINE FIERI, ET CONSEQUENTER HOMINEM EA POSSE FACERE. *Etenim si jam Justificatus est, habet Charitatem seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere, & consequenter* totam legem implêre potest ... *Si autem fidelis quidem, sed nondum Justificatus est, habet aliquid bonæ voluntatis quatenus credit, nam ubi est* initium Fidei, est etiam initium bonæ hoc est, piæ voluntatis: *per hanc autem potest mundari, potest uberius auxilium invocare, & consequenter rectè piêque vivere.*

pag. 341.

pag. 342.

Aug. ep. 107.

Ex his deducit Author folij typis editi à pluribus annis & Panegyri Jansenianæ postea inserti contrariam damnatæ primæ propositioni à Jansenio esse traditam, signanter postremis solutionis verbis.

RESPONSIO PRIMA.

Per telum regestum.

QUisquis exertè nitidèque asserit aliqua Dei præcepta non modò infidelibus, sed etiam fidelibus & *Justis esse impossibilia*, asserere nequit omnia omnibus esse *possibilia*, nî secum confligere vel Chameleontem agere gestierit; at Jansenius primum luculentissimis terminis præstitit

stirit; igitur si capite altero, scilicet 15. posteriori secundum asseruerit, semetipsum in pugnam misit, aut errorem in Augustinum commissum recantâvit.

RESPONSIO SECUNDA.

ASsumptum de viro constanti & sui per omnia simili sanæ dialexeos nemo inficias ibit. Contradictoria namque sibi maritari non possunt. At quantò Jansenius secundiori marte Augustinianam possibilitatem multigenam vindicavit, tantò infortunatiori Anti-Augustinianam illam impossibilitatem à se assertam clade prostravit. Assolet sors illa obtingere viris in oppositа dogmata plus æquo ferienda animatis, ut longius quam ab initio decreverant provehantur, & quem errorem autumant longius ablegandum, aliô errore vel nescij vel oscitantes malè vincere latagant. Ut patet in Pelagianis, Sabellianis & aliis.

Eccui etènim Jansenii stylus eò provectatus est, ut *impossibilitatem* illam horrificam scriptis insereret, à qua nôrat, vel nôsse poterat Augustinum usque adeò abhorruisse, ut tam repetitis sibi ictibus à Pelagianis sibi impactam admiserit numquam, sed velut Deo bono & justo infestam orco transcripserit? Poterat parili ratiocinio Jansenius objecta Adversantium argumenta convellere, & cum Augustino liberè confitêri: *Deus impossibilia non jubet.* Sed velutî Augustini dissutus armis, alia procudere debuit, quibus adversarios concutiendo suâ sesé ruinâ instravit.

At inquies, legerat in Augustino sæpè numero vocem *non posse.* Quid tum? equidem aliorsum abduxit. Numquid & legerat, quod capite decimo quinto ipse prodidit, & illud *posse?*

Opor-

Oportuerat illud utrumque componere, & ab horridioribns his *impoſſibilia*, *impoſſibile* ſuperſedêre, præſertim cum Auguſtinum cerneret molliùs tractare eos, qui cum Juſtis conantibus volentibuſque mandata ſervare componi non poterat. Nonne enim legerat quod nec infidelibus credere, nec credentibus diligere, nec diligentibus legem adimplêre impoſsibile duceret, ſed diſertis terminis omnibus hiſce hominum generibus Poſsibilitatem vendicâret? Et tamen ſe Auguſtino gratum facturûm arbitratus eſt, ſi aſſereret: non modò infidelibus, ſed etiam fidelibus imò Juſtis, neque dumtaxat Juſtis, ſed etiam volentibus & conantibus aliqua Dei præcepta juxta præſentes vires eſſe impoſſibilia. Quaſi & Auguſtinus præſentes vires non inſpexiſſet, Dum aſſereret poſſibilia, & tam juſtos conantes & volentes, quam injuſtos & nondùm conantes poſsibilitate donavit.

Hanc Auguſtinus vel ſoli fidei prærogativam ſtatuit, ut per eam dicat, hominem *poſſe ſanari*, *poſſe mundari*, poſſe facere liberum; & negabit hominem juſtum volentem conantemque in juſtitia perſeverâre poſſe, & à peccato declinare mortali? *Si credis*, inquit, *poteſtas tibi data eſt ut ſis inter filios Dei*; & juſto volent ut filius Dei permaneat dicturus eſt, quantumcumque jam conêris, quantum velis, quoniam adhuc imperfectè conaris & vis, poteſtas adempta eſt, ſeu impoſsibile eſt ut in eo quod aves, perſevêres? Credentem rurſus Auguſtinus hâc voce poteſtatis animat: *Ergò fides tua, id eſt, poteſtas tua quæ tibi data eſt ut ſis inter filios Dei, &c.* Et juſtum mœrore conficiet: conatus hic tuus, & imperfectum deſiderium tuum, non adferent tibi poteſtatem ut perſevêres in numero filiorum, ni fueris de beatiſsimo Grege Electorum?

Etſi

Etsi namque Electis proprium sit actualis perseverantiæ donum; posibilitatem tamen perseverandi non electis justis non abjudicabit Augustinus. Sed de hoc alias, cum ultimam primæ propositionis Periodum eventilabimus.

ARGUMENTUM II.

Palladij in Appendice spongiæ notarum Anno 1688.

CItatis ex Augustino verbis à Jansenio antè memoratis Deum jubêre aliqua, *quæ non possumus*, Argumentum format:

Hic velim accuratè expendi verba illa (Jansenij) SECUNDUM ET VIRES *in quibus constitutus est. E quibus liquidò patet*, nequaquam *negari à Jansenio impossibilitatem ex parte potentiæ divino adjutorio forti satis ac valido* destitutæ. Erratum puto: Impossibilitatem enim absolutam, quam Hæterodoxi adstruunt, Catholicè oportuit negatam. Vult ergò dicere Jansenium non affirmasse impossibilitatem absolutam, dum asseruit aliqua præcepta esse impossibilia.

RESPONSIO.

ESto Jansenius Manichæorum & Calvinianorum declinârit invidiam absolutam inficiando Præceptorum impossibilitatem (quo titulo à damnato sensu vindicatum veniunt Jansenjani Jansenium, quia cum Calvinianis & Lutheranis non consensit) non ideò cum Augustino fœdus iciisse censendus est. Augustinus enim non modò Manichæam impossibilitatem ut impiam execratus est, sed & eam, quam Catholicis objectabant Pelagiani è capite illo, quo asserebant voluntatem hominis naturalem ad bonum sibi non sufficere nisi adjuvaretur ab omni-

omnipotenti bono. Hinc namque concludebant Pelagiani impoſsibilia præcepiſſe, quia ſic homo juxta præſentes vires adimplêre juſſa non poterat. Reſpondet Auguſtinus Deum jûſtum & bonum præcipere non poſſe, niſi quæ poſsibilia ſunt non modò in ſemetipſis ſed & attentis Viribus quas habet vel habêre poteſt à Deo. Atque ita Janſenius alio tramite erroris, quam Calvinus deviavit. Hîc abſolutè ſub quocumque divino adjutorio poſsibilia negando; ille verò ob defectum adjutorii efficacis effectum inferentis juſtis impoſsibilia affirmando.

Nam ſi impoſsibilitas relativa ad præſentes Vires Catholicum ſenſum patiebatur; quid erat Auguſtino proclivius, quàm Pelagianis ex impoſsibilate gratiam deſtruere molientibus reſpondêre: Deus quidem non jubet *impoſsibilia* ſimpliciter & abſolutè, prout delîrant Manichæi; ſed multa præcipit *impoſsibilia reſpectivè*, eò quod multa jubeat, quæ juxta præſentes hominum vires adimplêri non poſſunt; poſſunt tamen *abſolutè*, quia Deus poteſt impoſsibilia poſsibilia facere. At nimis crudum durumque viſum eſt hanc impoſsibilitatem decoquere, libuitque abſolutè negare Deum *impoſsibilia jubêre*: Quia ſi jubeat quod non poſsis, admonet petere quod non poſsis.

ARGUMENTUM III.

Ex eodem Palladio.

JAnſenius impoſſibilitatis rigorem mitigat declaratque quod non ex parte objecti hæreat, ſed ex parte potentiæ validiori Gratiâ deſtitutæ. Nimirum quia ſic loquitur: *Hanc impotentiam*

§. 6. *non solum in excæcatis & obduratis & infidelibus, &c.* Et cum dixisset: Hanc IMPOTENTIAM,
§. 7. themate variato asserit: *Hanc* IMPOSSIBILITATEM *accidere fidelibus, non tantum quandò nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.* Deinde justificare volens *impossibilitatis* vocabulum producit loca S. Augustini & Prosperi de *muro & vinculis* IMPOSSIBILITATIS. Ex quibus omnibus jam luculentissimâ veritate claret, inquit Palladius, quô sensu, quâ notione, quô intellectu intulerit tantis sciscam clamoribus propositionem, nimirum, *esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus, excæcatis & obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia.*

RESPONSIO.

SI Jansenius vocem IMPOSSIBILE cum voce *impotentia* converterit, id Augustini consensu non fecit, utpote qui & posse quoddam & non posse asseruit, sed ad impossibilitatis agnominationem non condescendit; imò diserte, ut suprâ vidimus, in eâdem periodo negavit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere quod non possis, petere quod non possis.* Murum istum impossibilitatis supra objectum dejecimus, undè non est quod actum agamus.

Præterea respectu justorum volentium & conantium præcepta servare tantam asserere impotentiam, quæ impossibilitati æquipolleat, durius sonat, quam ut Catholicæ aures ferant: nam & multi ex illis qui non possunt quod volunt, reipsâ tandem præcepta adimplêre satagunt & magna imperia magnâ charitate faciunt, quibus præcepta dici neque unt fuisse impossibilia: nam impossibilia possibilitate non con-

consummantur. Et nonne volentes & non valentes facere, possunt orare & impetrare vires quibus faciant, & si petunt, quantum debent, certò impetrant? Ideòne illi impotentiâ seu impossibilitate constricti fuisse dicentur, eò quod completam & quæ actum suoptè marte inferat facultatem non habuerant? Dicetur impotentiâ seu impossibilitate impeditus homo sanis oculis in tenebris constitutus si necessarium ad visionis actum valeat lumen adsciscere? Et qui gratiam orationis & operationis ita dispescunt, ut hanc à se efficacem illam verò sufficientem nuncupant, non admitterent homini non valenti operari & orare potenti præcepta esse possibilia? quia illud possumus quod alienis auxiliis possumus. maximè cum ea infallibiliter advocare valeamus.

ARGUMENTUM IV.

Auctoris confutatæ defensionis Ecclesiæ.

NOn docet Jansenius quædam præcepta esse impossibilia simpliciter, *sed* impossibilia sensu Pelagiano vel Molinistico, *hoc est, impossibilia eô sensu, ut nec homo ea solis naturæ viribus implêre possit, nec habeat semper à Deo aut per liberum arbitrium habêre semper possit auxilium ita sufficiens, ut præter illud non requiratur aliud ad ea actu implendum.* §. 1. circa prop. 1.

RESPONSIO.

NOn erat Jansenio conflictatio de Antecedente, sed de consequente. Antecedens erat quod non ad sensum Molinianum, sed Augustinianum interpretatum oportebat. Non enim quærebatur an præcepta forent impossi-

bilia ; sed suppositâ hujus acroamatis indubiâ veritate, in quæstione erat : num ex eo fluat, quam Molinîani contendebant, indissociata omnium voluntatibus divinæ gratiæ ad præcepta implenda opitulatio ; quâ negatâ, hi consecutionis lege certâ conclusum iri autumabant, consecratum à Sacrâ Tridentinâ Synodo Maximi Doctoris effatum : *Deus impossibilia non jubet, &c.* Funditus evacuari. Malâ itaque hic Jansenij defensor Dialexi procedit adversus per-illustrem criminatorem & Ecclesiæ defensorem.

Nec obstant Jansenij responsa ad argumentum Molinistarum isthæc : *Illam sententiam, quâ dicitur, Deum non jubêre quod homini est impossibile, numquam sic intellexisse Augustinum, ut Deus non possit homini præcipere id quod propriis viribus suis implêre non potest; sed solum, quod ita impossibile est, ut neque propriis, neque alienis viribus, si illas in auxilium advocaverit, possit implêre.* Quin potius hinc elicitur Jansenium suam impossibilitam, quam justis per Dei gratiam volentibus adfinxit ex Augustini mente, subruere : nam si Augustinus neget *impossibile id quod alienis viribus*, si eis homo in auxilium advocaverit homo, possit implêre, liquidissimum est justo conanti & volenti præcepta non posse *impossibilia dici*, quia possunt alienis, divinis nempe auxiliis adimplêri : idcò subnexuit Augustinus dum impossibilia inficiatus est : *Petere quod non possit.*

L. 3. de Gr. Chr. cap 13. pag. 324.

AR-

ARGUMENTUM V.

Ex Eodem.

ETsi utatur voce *impossibilitas*, per eam tamen non aliud intelligere se quam *impotentiam* quamdam ortam ex eo quod adhuc desit auxilium aliud ad præcepta implenda necessarium, declarat his verbis quæ subjungit: *Perspicuum enim est eos, qui Deum pro impetranda Gratiâ deprecantur, ut valeant facere quod jubêtur, jam habere præcepti implendi voluntatem, sed deesse potestatem*, plenam enim scilicet ad præcepta reipsâ adimplenda. Et tum concludit Propositionem nempè litigiosam.

RESPONSIO.

PErperam Jansenius defectum plenæ perfectæque potestatis impotentiæ tantæ titulo depressit, quæ *impossibilitas* valeat appellari. Quod Augustinus soli naturæ sine omni gratiæ intuitu consideratæ contra Pelagianam possibilitatem naturalem adstruxit, id voluntati divinitùs adjutæ, & ulterioris adjutorij adminiculo juvari volenti ac valenti, inconsequenter asseruit. Impotentiam quoque simpliciter ceu impossibilitatem istam repetendo immemorem se ostendit quid sit potestas seu possibilitas voluntatis, de quâ pronuntiat Augustinus Pelagianisque respondet impossibilitatem objicientibus: *Illa sunt in nostrâ potestate, quæ si volumus facimus, si non volumus non facimus: Ut autem velimus, præparatur voluntas à Domino.*

ARGUMENTUM VI.

Ex Eodem.

EX contextu propositionis patet quid per impossibilia intellectum velit: sed quibus adhuc deest gratia necessaria ad ea actu implendum, sunt, non quidem simpliciter, impossibilia hoc sensu quod nondum habeant posse plenum & perfectum, quo actu ea impleant, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant, eâ possibilitate quæ complectitur omnia ad ea actu implendum necessaria.

RESPONSIO.

VEl Jansenius admisit potentiam ad id quod conantur & volunt justi licet imperfectâ voluntate, ab actu observâtionis mandatorum distinctum, vel non. Si primum, non æquo nomine impotentiam *impossibilitatemque nuncupavit*; si secundùm, Deum justum & bonum justis conantibus & volentibus duriorem severioremque reddidit, quam ut Augustinus, & cum eo Catholici hoc sine horrore inaudiant. Sed de hoc infra: Denique modus argumentandi Jansenij non absimilis est Pelagiano. Pelagius siquidem possibilitatem & potentiam voluntatis ad bonum concessit.

CAPUT II.

De Repudiata per S. Augustinum Ianseniana præceptorum aliquorum impossibilitate.

QUam cassô marte pro asserenda justorum in præceptis quibusdam servandis impotentiâ & imposſibilitate depugnaverit Cornelius Jansenius præsertim ex adscitis ex S. Augustino suppetiis, satiatissimè reor esse demonstratum. Nunc verò, si cui hæc non sufficiant, Augustinum ipsum sicut contra Pelagij, & Cælestij superbam inflatamque naturalem posſibilitatem, ita contra nimis depressam Cornelij Jansenij, præsertim in justis volentibus & conantibus præceptorum quorumdam potestatem, seu potiùs assertam impotentiam ceu imposſibilitatem pręliantem vincentemque contueamur.

SECTIO PRIMA.

Pelagiana posſibilitas præceptorum Dei ab Augustino subnervatur.

NOS, ait Pelagius, *sic tria ista distinguimus, & certum velut in ordinem digesta partimur: primò loco* POSSE *statuimus, secundò* VELLE, *tertiò* ESSE. *Primum illud, id est* POSSE *ad Deum propriè pertinet qui illud naturæ suæ contulit: duo vero reliqua, hoc est velle, & esse, ad hominem referenda sunt, quia de arbitrij fonte descendunt.* S. Augustinus exponit: *Posſibilitatem scilicet quâ potest homo esse justus: Voluntatem quâ vult esse*

Pelag. l. 3. de lib. arb.

S. Aug. l. 1. de Gr Chr. cap. 3.

esse justus: actionem quâ justus est. Horum trium, primum, id est possibilitatem datam confitetur à creatore naturæ: nec esse in nostrâ potestate, sed eam nos habere, etiamsi nolimus. De hac possibilitate rursus Pelagius dixit: *Habemus possibilitatem utriusque partis à Deo insitam, velut quamdam ut ita dicam radicem fructiferam atque fœcundam, quæ ex voluntate hominis diversa gignat & pariat, & quæ possit ad proprij cultoris* arbitrium vel *nitêre flore virtutum, vel sentibus horrêre vitiorum.*

Pelag. l. 1.

S. Aug. de Gr. Ch. c. 18.

Non intuens quid loquatur unam eandemque radicem constituit bonorum & malorum, contra Euangelicam veritatem Doctrinam Apostolicam, inquit Augustinus: Nam & Dominus *nec arborem bonam dicit posse facere fructus malos, nec malam bonos.* Et Apostolus Paulus dicit *radicem malorum omnium esse cupiditatem. Admonet, utique intelligi radicem bonorum omnium esse charitatem unde si quæ arbores bona & mala duo sunt homines bonus & malus, quid est bonus homo, nisi voluntatis bonæ, hoc est arbor radicis bonæ? & quid est homo malus nisi voluntatis malæ, hoc est arbor radicis malæ? Fructus autem harum radicum atque arborum facta sunt, dicta sunt, cogitata sunt, quæ bona de bona voluntate procedunt, & mala de mala.*

Illa ergò possibilitas non est, ut iste opinatur, una eademque radix est bonorum & malorum. Aliud enim est Charitas radix bonorum, aliud cupiditas radix malorum, tantumque inter se differunt, quantum Virtus & vitium.

cap. 20.

Charitas autem quæ virtus est; ex Deo nobis est, non ex nobis, Scripturâ teste, quæ dicit: *Charitas ex Deo est.*

Quare ad huc usque contendit, quod ex illis tribus tantummodo possibilitatem habeamus ex Deo, bonam verò voluntatem, bonamque actionem habeamus

cap 21.

beamus ex nobis. Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam Charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & à Patre datam, *ut Filij ejus simus.* Contra eundem agit alibi: Tamquam hoc sit infirmum quod ipse Deus posuit in natura: cætera vero duo quæ nostra esse voluit, ita sint firma & fortia, & sibi sufficientia, *ut nullo indigeant ejus auxilio: & ideò non adjuvet ut velimus, non adjuvet ut agamus, sed tantummodo adjuvet ut velle & agere valeamus.* Contra autem Apostolus; *Cum timore*, inquit, *& tremore vestram ipsorum operamini salutem.* cap. 5.

De hâc non peccandi possibilitate Pelagius dixerat quod inseparabiliter naturæ insita sit, cui respondet Augustinus: *Ubi est inseparabilis possibilitas, & accidere non potest voluntatis infirmitas vel potius voluntatis adjacentia, & perfectionis indigentia.* . . . L. de nat. & Grat c. 51.

Si de istâ hominis natura loqueretur, quæ primo inculcata & salva condita est, utcumque acceptaretur hoc dictum, quod ideò gratiæ *Dei tribuenda esset non peccandi possibilitas, quam Deus ejus naturæ indidit* (quamquam inseparabilem habere possibilitatem, id est, ut ita dicam inamissibilem non debuit illa natura quæ vitiari potuit) *Posset & medicum quærere qui cæci oculos sanaret, & videndi possibilitatem restitueret quæ fuerat amissa per cæcitatem: Quoniam cæcus puto quod velit videre, sed non potest: inest voluntas, sed amissa est possibilitas.* Et rursus: *Velimus nolimus, habere nos asserit non peccandi possibilitatem, quam naturæ insitam dicit. Sed de homine sanis pedibus tolerabiliter dici potest velit, nolit, habet ambulandi possibilitatem: Confractis verò, etsi velit, non habet.* Vitiata est natura, de qua loquitur, *quid superbit terra & cinis?* Vitiata est, Medicum implorat: *Salvum me fac Domine.* Clamat: c. 49.

mat: *Sana animam meam.* Clamat: *Quid intercludit has voces, ut defendendo quasi præsentem possibilitatem futuram impediat sanitatem.*

cap. 53. Fideles orantes dicunt: *Ne nos inferas in tentationem, sed libera nos à malo. Si adest possibilitas, ut quid orant? aut à quo malo liberari orant, nisi maximè de corpore mortis hujus?* Unde non liberat nisi *Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Non utique de substantia corporis quæ bona est, sed de vitiis carnalibus, unde liberatur homo nisi Gratiâ Salvatoris, nec quandò per mortem corpus discedit à corpore ..... *Orare sinatur, ut sanetur. Quid tantum de naturæ possibilitate præsumitur? Vulnerata, sauciata, vexata, perdita est, verâ confessione, non falsâ defensione opus habet. Gratia ergo Dei non quâ instituatur, sed quâ restituatur, quæratur; quæ ab isto sola clamatur non esse necessaria, cum tacetur.*

cap. 55. *Sinatur orare, sinatur adjutorium medici Potentissimi flagitare.* Quid contradicitur? quid obstrepitur? quid miser misericordiam Christi petere prohibêtur, & hoc à Christianis? *Nam & illi cum Christo ambulabant, qui cæcum lumen clamando petere prohibebant. Sed etiam inter tumultum contradicentium audit ille clamantem.*

SECTIO II.

Pelagiana diluuntur Argumenta pro naturali possibilitate.

Argum. 1. MAndata Dei gravia non sunt, inquit Cælestius.

Respondet Augustinus: quis nesciat cum præceptum sit generale *Charitas*, quia *finis præcepti est Charitas, & plenitudo legis est Charitas*, non esse grave quod diligendo fit, non timendo?

L. 6. de perf. Iustitiæ c. 10.

Labo-

Laborant autem in Dei præceptis qui ea timendo conantur implêre; ſed perfecta Charitas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam non ſolum non prementem onere ponderum, verum etiam ſublevantem vice pennarum. Quæ tamen Charitas ut habeatur, etiam tanta, quanta in corpore mortis hujus haberi poteſt, parum eſt noſtræ voluntatis arbitrium, niſi adjuvet *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*. Diffunditur quippe in cordibus noſtris, quod ſæpè dicendum eſt, non per nos ipſos, ſed per *Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis*.

Nec aliam ob cauſam Scriptura commemorat non eſſe gravia divina præcepta, *niſi ut anima, quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint præcepta qualia commendantur, levia atque ſuavia, & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

Nec cum ea gravia ſentit diſperando frangatur, ſed ad quærendum petendum, pulſandumque cogatur,

Pelagius frequenter objicit illud Apoſtoli: *Cum Gentes quæ legem non habent naturaliter quæ legis ſunt faciunt.* *Argum. 2. Pelag. Rom. 2. ℣. 14.*

Reſpondet Auguſtinus: *natura Generis humani ſi poteſt ſibi ſufficere ad implendam legem, perficiendamque juſtitiam, de præmio debet eſſe ſecura, hoc eſt de vitâ æternâ, etiamſi in aliqua gente aut aliquo ſuperiori tempore fides eam latuit ſanguinis Chriſti:* Non enim injuſtus Deus qui Juſtos fraudet mercede Juſtitiæ, ſi non eis eſt annuntiatum Sacramentum divinitatis & humanitatis Chriſti... & iterum: *Quod ſi fieri potuit, aut poteſt, hoc ego dico quod de lege dixit Apoſtolus: ergò Gratis Chriſtus mortuus eſt.* *L. de nat. & grat. c. 2.*

Reſpondet ſecundò: *nec moveat, quod* NATURALITER EOS DIXIT QUÆ LEGIS SUNT FACERE *non*

non Spiritu Dei, non fide, non gratiâ: hoc enim agit Spiritus gratiæ, ut imaginem Dei in qua naturaliter facti sumus, instauret in nobis. Vitium quippe contra naturam est, quod utique sanat gratia. Propter quam Deo dicitur: MISERERE MEI, SANA ANIMAM MEAM QUIA PECCAVI TIBI. PROINDE NATURALITER HOMINES QUÆ LEGIS SUNT FACIUNT: *Qui enim hoc non faciunt, vitiosè faciunt. Quo vitio lex Dei est deleta de cordibus.*

L. de Sp & lit. c. 27.

Respondet tertiò ad Evangelium pertinent Gentes, quibus lex in cordibus scripta est. Eis quippe credentibus *Virtus Dei est in salutem: quibus autem Gentibus benè operantibus gloriam & honorem pacemque promitteret ex Euangelij gratiam constitutis?*

Respondet quartò. *A cujus gratiâ si alieni sunt illi, de quibus agimus: quid eis proderunt excusantes cogitationes* IN DIE QUANDO JUDICABIT DEUS OCCULTA HOMINUM, *nisi fortè ut mitius puniantur? Sicut enim non impediunt à vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: Sic ad salutem æternam nihil prosunt impiorum aliqua bona, sine quibus difficillimè vita cujuslibet pessimi hominis invenitur.*

cap. 28.

Rationem adducit cap. præcedenti, *quia in illis impiis quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam meritò rectèque laudamus: quamquam, si discutiatur, quo fine fiant vix inveniuntur, quæ justitiæ debitam laudem defensionemque mereantur.*

cap. 27.

Quià non usque adeò in animâ humanâ imago Dei terrenôrum affectuum labe detrita est, ut nulla in eâ velut lineamenta extrema remanserint, *unde meritò dici possit etiam in ipsâ impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere.*

cap. 28.

Ju-

Juliano eumdem Apostoli locum objectanti L. 4. cont. respondet: *per hos* (de quibus Apostolus) *probare conatus es, etiam aliênos à fide Christi veram posse habêre justitiam, eò quod isti, teste Apostolo, naturaliter* QUÆ LEGIS SUNT FACIUNT. *Ubi quidem dogma vestrum, quo estis inimici gratiæ Dei, quæ* DATUR PER JESUM CHRISTUM DOMINUM *nostrum, evidentius expressisti: introducens hominum genus quod placêre Deo possit sine fide Christi, lege naturæ. Hoc est, undè vos maximè Christiana detestatur Ecclesia.... Non inveniſti quomodò in tuam posses detorquêre sententiam, quod ad Hæbræos scriptum est:* SINE FIDE IMPOSSIBILE *est* PLACERE DEO... *Et tamen cum sine fide* IMPOSSIBILE SIT PLACERE DEO, *tibi virtutes sine fide sic placent, ut veras prædices; & rursus, quasi te pœnituerit laudis earum, steriles pronuntiare non dubites. Isti ergò qui naturali lege sunt justi an placent Deo, & ex fide placent: quia sine fide impossibile est placêre Deo,, Et ex qua fide placent nisi ex fide Christi?* Jul. c. 3.

Ideòque dicuntur sinè lege NATURALITER *quæ legis sunt facere, quia ex Gentibus venerunt ad Euangelium non ex circumcisione cui lex data est, propterea* NATURALITER, *quia ut crederent ipsa in eis est per Dei gratiam correcta natura. Nec per eos potes probare quodvis, etiam infideles veras posse habere virtutes, sunt quippe isti fideles. Aut si fidem non habent Christi, rosectò nec justi sunt, nec Deo placent: cum* SINE FIDE PLACERE SIT IMPOSSIBILE. *Sed ad hoc eos in die judicij cogitationes suæ defendent, ut tolerabilius puniantur, quia naturaliter quæ legis sunt utcumque fecêrunt scriptum habentes in cordibus opus legis hactenùs, ut alius non facerent quod perpeti nollent: hoc tamen peccantes, quod homines sine fide non ad eum finem ista opera retulerunt, ad quem referre debuêrunt.*

runt. Minus enim Fabricius quam Catilina punietur; non quia iste bonus, sed quia minus malus: & minus impius, quam Catilina. Fabricius non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimùm deviando. Instanti verò Juliano: *Eruntne in damnatione sempiterna in quibus erat vera justitia?*

Respondet Augustinus: *O! vocem impudentiâ majori præcipitem! non erat inquam in eis vera justitia; quia non actibus sed finibus pensantur officia,*

Et Juliano iterum dicenti: *Ego steriliter bonos dixi homines qui non propter Deum faciendo, non ab eo vitam consequuntur æternam:*

Respondet: *Justus ergò Deus & bonus bonos est in mortem missurus æternam? ... Quod ad me pertinet, hoc scio quia non ea facit voluntas bona. Voluntas quippe infidelis atque impia non est bona. Dicantur secundam te hujusmodi voluntates arbores Bonæ, sufficit quod apud Deum steriles sunt, ac per hoc non bonæ. Sint inter homines fructuosæ, inter quos sunt & bonæ, te Auctore, te laudatore, si vis etiam plantatore: dum tamen illud velis, nolis, obtineam quod amor mundi, quo quisque amicus est hujus mundi non est à Deo: Amor autem Dei quô pervenitur ad Deum non est nisi à Deo Patre per Jesum Christum in Spiritu sancto. Per hunc amorem creatoris benè quisque utitur etiam creaturis. Sine hoc amore Creatoris, nullus quisquam benè utitur creaturis.*

SECTIO

SECTIO III.

Absoluta Manichæorum, impossibilitas cavendi mali ab Augustino refutatur.

SI naturâ vel necessitate iste motus existit, culpabilis esse nullô pactô potest. . . . Nec ex eo quod naturaliter movêtur rectè vituperari potest: quia etiamsi ad perniciem movêtur, naturæ tamen necessitate compellitur. Porrò quia istum motum non dubitamus esse culpabilem, omninò negandum est esse naturalem. . . . . Hinc est quòd lapidem si quis dicat peccare quod pondere suo tendit in infirma, non dicetur ipso lapide stolidior, sed profectò demens judicatur; animum verò peccati arguimus, cum eum convincimus superioribus desertis ad fruendum inferiora præponere. *Argum. 1. Lib. 3. de lib. arb. c. 1.*

Quid opus est quæri, undè iste motus existat, quo voluntas avertitur ab incommutabili bono ad Commutabile bonum: cùm eum non nisi animi, & voluntarium & ob hoc culpabilem esse fateâmur? omnisque de hâc re disciplina utilis ad id valeat, ut eô motu improbatô atque cohibitô voluntatem nostram ad perfruendum sempiternô bonô à lapsu temporalium convertamus? *Ibid.*

Si enim hoc debet quisque quod accepit, & sic homo factus est, ut necessariò peccet, hoc debet ut peccet. Cùm ergò peccat, quod debet facit: quod si scelus est dicere, neminem natura sua cogit ut peccet. *Argum. 2. cap. 16.*

Quid ergò Causæ est, cum dubitandum putêmus, voluntate nos laudabilem & beatam vitam, voluntate turpem & miseram merêri ac degere? non enim justè vindicarentur, nisi fierent voluntate. Non est cui rectè imputetur, nisi volenti. *L. 1. c. 13. cap. 1.*

An

L.3.c.18. An fortè *violenta est & cogit invitum.... Quæcumque ista Causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur: si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergò caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omninò non possit? Si ita est, nulla peccata sunt. Quis enim peccat in eo, quod nullò modo cavêri potest? peccâtur autem, Caveri igitur potest.*

Et tamen etiam per ignorantiam facta quædam improbantur & corrigenda judicantur, sicut in divinis Auctoritatibus legimus.. Ait enim Apostolus: MISERICORDIAM CONSECUTUS SUM, *quia ignorans feci.*

Sunt etiam necessitate facta improbanda, ubi vult homo rectè facere & non potest. Sed hæc omnia hominum sunt ex illâ mortis damnatione venientium: nam si non est ista pœna hominis sed natura, nulla ista peccata sunt · si enim non recedituv ab eò modò quò naturaliter factus est, ità ut melius esse non possit, ea quæ debet facit cum hæc facit.

Nec mirandum est quòd vel ignorando non habeat arbitrium liberum voluntatis ad eligendum quid rectè faciat: vel resistente carnali consuetudine, quæ violentia moralis successionis quodam modò naturaliter inolêvit, videat quid rectè faciendum sit, & velit, nec possit implêre. Illa est enim peccati pœna justissima, ut amittat scire quid rectum sit: & qui rectè facere cum posset noluit, amittat posse cum velit.

Cum autem de liberâ voluntate rectè faciendi loquimur, de illâ scilicet, in quâ homo factus est loquimur. Assumpsit Augustini verba Pelagius, ut naturalem probaret possibilitatem.

L.de nat. & Grat. c.67. Respondet Augustinus: *Agnosco verba mea sunt; sed etiam ipse dignetur agnoscere superius cuncta*

quæ

quæ dicta sunt. De Gratiâ quippè Dei agitur.... Non de impossibilitate Justitiæ. Potest ergò ei causæ quæcumque illa est resisti? potest planè. Nam in hoc adjutorium postulamus dicentes, ne nos inferas in tentationem. Quod adjutorium non poscerêmus, si resisti nullò modò posse crederemus. Potest peccatum cavêri, sed opitulante illo qui non potest falli. Posteà ostendit se nec adjutorium Dei excluisse (lib. 3, de lib. arb. c. 18.) Ubi dixit rectè fortasse quererentur, si erroris & libidinis nullus Victor existeret. *Cùm verò ubique sit præsens qui multis modis per Creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem: non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere quod ignoras: nec illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Hinc concludit Augustinus: *Ita exhortatus sum ad rectè vivendum & gratiam Dei non evacuari, sine quâ natura humana tenebrata atque vitiata illuminari non potest & sanari.*

Quòd autem, inquit, *ex vitiis naturæ, non ex conditione naturæ sit quædam peccandi necessitas, audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: de* NECESSITATIBUS MEIS EDUC ME: *Quia & in hujusmodi oratione certamen est adversus tentatorem de ipsâ contra nos necessitate pugnantem: ac per hoc opitulante Gratiâ* PER JESUM CHRISTUM *& mala necessitas removêbitur, & libertas plena tribuêtur.* cap. 66.

SECTIO IV.

Objecta per Pelagianos Manichæa impossibilitas ab Augustino repudiatur.

S. Aug. l. 1. ad Bonif. c. 2. DIcunt illi Manichæi, ait Julianus, *quibus modò non communicamus, ideſt, toti iſti quibus diſſentimus, quia enim hominis peccato, ideſt Adæ, liberum arbitrium perierit, & nemo jam poteſtatem habeat benè vivendi, ſed omnes in peccatum carnis ſuæ neceſſitate cogantur.*

Reſpondet Auguſtinus: *Quis autem noſtrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium? de humano genere libertas quidem periit per peccatum, ſed illa quæ in Paradiſo fuit, habendi plenam cum immortalitate juſtitiam, propter quod natura humana divinâ indiget gratiâ dicente Domino: ſi vos filius liberaverit, tunc verè liberi eritis: utique liberi ad benè juſtèque vivendum. Nam liberum arbitrium uſque adeò in peccatore non periit, ut per illud peccent, maximè omnes qui cum delectatione peccant, & amore peccati, hoc eis placet quod eis libet.*

cap. 3. *Non itaque, ſicut dicunt, Nos quidam dicere, & iſte audet inſuper ſcribere,* OMNES IN PECCATUM VELUTI INVITI CARNIS SUÆ NECESSITATE COGUNTUR; *ſed ſi jam in eâ ætate ſunt, ut propriæ mentis utantur arbitrio, & in peccata ſuâ voluntate præcipitantur. Neque enim agit in eis etiam qui ſuadet, & decipit, niſi ut peccatum voluntate committant vel ignorantiâ veritatis, vel delectatione iniquitatis, vel utroque malo & cæcitatis & infirmitatis. Sed hæc voluntas quæ libera eſt in malis, quia delectatur malis, ideò libera non eſt in bonis, quia liberata non eſt. Non poteſt homo boni*

ali-

aliquid velle nisi adjuvetur ab eo, qui malum non posest velle, hoc est, gratiâ Dei PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM. *At per hoc bona voluntas quæ se abstrahit à peccato fidelis est, quia justus ex fide vivit. Ad fidem autem pertinet credere in Christum: & nemo potest credere in eum, hoc est* VENIRE AD EUM, *nisi* FUERIT ILLI DATUM.

Ille trahitur ad Christum, cui datur ut credat in Christum. Datur ergò potestas ut Filij Dei fiant qui credunt in eum. Quæ potestas nisi detur à Deo, nulla esse potest ex libero arbitrio, quia nec liberum in bono erit, quod liberator non liberaverit, sed in malo liberum habet arbitrium, cui delectationem malitiæ vel occultus vel manifestus deceptor inseruit, vel ipse sibi persuasit.

Dixerat Julianus eum, *cujus voluntatem nos dicimus à Domino præparari ita fieri voluntatis bonæ, ut bonum velle cogatur.*

Respondet Augustinus: *Quod absit ut dicatur à nobis: Si enim cogitur non vult. Et quid absurdius, quam ut dicatur nolens velle quod bonum est?... Natura humana, quamvis mutabilis, quantum ad id pertinet quod condita est, bona est: quæ non solum sine vitio facta est, verum etiam per vitium mala est, capax est boni quo bona fit. Hæc vera sententia fallacem Manichæorum evertit insaniam.* L. 1. op. post. cap. 100.

Cum igitur S. Augustinus tanto conamine amoliatur à se Manichæorum impossibilitatem, videtur Calvinianam & Lutheranam, priusquam exortæ sunt, hæreses confutasse, ut non injuriâ Sacra Tridentina Synodus Augustini verbis sanctionem suam confirmaverit, vetueritque uti voce à Patribus damnatâ, *impossibilia homini Justificato præcepta.* Nam quod in Manichæis detestati sunt Patres priores asserentibus propter naturam malam non posse vitari peccatum; id in posterioribus execratur Ecclesia non quidem

probter commixtionem naturæ malæ, sed propter corruptionem factam per Adam affirmantibus præcepta homini quantolibet gratiæ adjutorio munito esse *impossibilia*, signanter Præceptum: *Non concupisces*: & tamen semper peccari in eo quod cavêri non potest.

Et quemadmodum Augustinus cum propter necessitatem quamdam à se assertam, Manichæis favisse videretur atque impossibilitatem boni operis voluntati humanæ adscripsisse; ipse sui interpretem egit, ostenditque nullam vel ignorantiam aut difficultatem esse hujusmodi, ut Deo opitulante, superari non possit, adeòque nullum homini præceptum *impossibile*; ita & Tridentina Synodus: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.*

Admittit quidem Augustinus *impossibile esse* naturæ bene agere ad sensum Pelagianorum, sive solis suis viribus frætæ. Admittit etiam *impossibile legi*, juxta illud Apostoli: *Quod impossibile erat legi, hoc est per carnalem præsumptionem, quâ superbi ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, Justitiæ Dei non sunt subjecti*, ut ipse exponit. At inficiatus est semper illam absolutam quam Manichæi delirabant, quamque Augustino Pelagiani affingebant impossibilitatem. Unde & Pelagio objicienti: *Quomodò Deo pro illius peccati reatu subditus esse poterit, quod suum non esse cognoverit? Suum enim non est, si necessarium est. Aut si suum est, voluntarium est: & si voluntarium est, vitari potest.*

L. 3. ad Bonif. c. 2.

L. de nat. & Grat. c. 30.

Respondet: *Nos respondêmus, suum est omninò, sed vitium quo committitur nondum omni ex parte sanatum est: quod quidem ut inolesceret, de non rectè usâ sanitate descendit. Ex quo vitio jam malè valens vel infirmitate, vel cæcitate plura committit.*

Pro

Pro quo supplicandum est ut sanëtur, & deinceps in perpetua sanitate vivatur; non superbiendum quasi homo eâdem potestate sanêtur, quâ potestate vitiatus est.

Similiter ait alibi: *Ut in peccatum iret, sufficit ei liberum arbitrium quo se ipse vitiavit: ut autem redeat ad Justitiam, opus habet medico, quoniam sanus non est; opus habet vivificatore, quia mortuus est.* cap 23.

CAPUT III.

De Impossibilitate Præceptorum à Pelagio & Cœlestio objecta,

Et quemadmodum in his, ita in Jansenio per Maximum Doctorem Ecclesiæ refutatâ.

PRænominati Pelagiani dogmatis Principes non modò Manichæam, quæ absoluta est, & omne voluntarium perimit, impossibilitatem invidiosissimè Catholicis in Augustinum arietando impegêrunt; sed alteram quamdam relativam ad *Præsentem* humani generis statum impossibilitatem, velut absurdam Christianis auribus objectârunt, quam ex gratiæ necessitate ad bonum fluere contendebant. Neque enim cum Manichæis, & Calvinistis existimabant cum gratiâ præcepta nullo pacto adimplêri posse, quin potiùs sine gratia quidem posse, sed cum gratia *facilius* posse concedebant, prout ipse Augustinus frequenter observat, signanter Epistola 106. ex libro Pelagii dicentis: *Ideò Dei gratiam hominibus dari, ut quod facere per liberum jubentur arbitrium, facilius possint* Aug ep. 106. Ex libro de Gr. Ch. c. 29.

implêre per gratiam. Utique cum dicit *facilius*, *quid vult intelligi, nisi & gratia si desit, posse per liberum arbitrium vel facile vel difficile quæ jubentur implere?* Unde posteà revincit Pelagium qui dixerat: *Possibilitatem liberi arbitrij tam in bonum quam in malum æquâ lance perpensâ pendêre.* ,,. Si enim per gratiam lex facilius impletur, facillimè autem sine gratia fit malum, profectò, ista possibilitas, non æquâ lance perpenditur.

L. de Grat. Chr. cap. 29. Unde & loco citato: *Tolle* FACILIUS, *& non solum plenius, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut quod per liberum facere jubentur homines arbitrium, possint implêre per gratiam. Cum autem* FACILIUS *additur, adimpletio boni operis etiam sine Dei gratia posse fieri tacitâ significatione suggeritur. Quem sensum redarguit qui dicit:* SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE.

Ex his dispiciendum erit, num adversus Manichæorum duntaxat insaniam, an verò etiam contra Pelagianorum impossibilitatem ad præsentem hominis statum respectivam, accipiendi sit illud solemne Augustini effatum totius mundi reverentiâ consecratum: *Deus possibilia non jubet.* Exploratissimum equidem est, non contra Manichæos, sed contra Pelagianos naturalem liberi arbitrij possibilitatem defensantes, & si secus esset, impossibilitatem præceptorum inferentes tam repetitô conamine à se repulisse calumniam dicendo: *Deus impossibilia non jubet.* Exinde conspicari perlicebit, num subsistant Jansenij Apologiæ ab errore illum vendicantes, eò quod *absolutam* præceptorum impossibilitatem justis conantibus ac volentibus juxta præsentes quas habent vires non abjudicaverit, *sed respectivam*, seu præsentibus virium lacertis correlativam. Pelagius ipse quod per gratiam *facilius* præstari posse concesserit, *absolutè impossibile*

sibile esse non asseruit, sed nec asserere potuit: cum id, quod addit facilitatem, possibilitatem adimere non possit.

SECTIO PRIMA.

Impossibilitas Præceptorum Dei à Pelagio & Cælestio Gratiæ necessitati objecta generatim ab Augustino refellitur.

EA præsumptione, quâ inflatores ac præcipitatores liberi arbitrij ac inimici gratiæ Christi, naturalem omnis bonæ cogitationis, volitionis & actionis *possibilitatem* velut inamissibilem arrogarunt; eâ quoque temeritate necessitatem gratiæ ad observationem mandatorum Dei poscentibus veluti naturalis possibilitatis detractoribus ac violatoribus improperârunt, dicentes eos per necessitatem gratiæ liberum subruere arbitrium, & præcepta Dei reddere impossibilia.

Itaque Pelagius nil discriminans inter *non posse*, & *impossibile*, dum Augustinus cum Catholicis, imò cum Domino J. Christo dicente, *sine me nihil potestis facere*, assereret sine gratiâ Dei per Jesum Christum, quod pietatem & salutem pertinet, nihil posse hominem *cogitare*, *velle*, & *agere*, quasi adamantino consecutionis nexu concludebat, & intorquebat Augustino: *Deum præcepisse, quod sciret ab hominibus præstari* NON POSSE. Ideò aiebat Pelagius: *Execramur etiam blasphemiam eorum, qui dicunt,* IMPOSSIBILE *aliquod homini esse præceptum.*

Magnum aliquid se scire putant, quandò dicunt: *Non jubêret Deus quod sciret non posse ab homine* *De Gratia & lib. arb. c. 16.*

mine fieri, inquit Augustinus, & respondet? *quis hoc nesciat*? non igitur concedit Augustinus *impossibile* cum hominem *non posse*, converti. Subjungit enim: *sed ideò jubet aliqua quæ* NON POSSUMUS *ut noverimus quid ab illo petere debeamus*. Ipsa est fides quæ orando impetrat quod lex imperat.. ipse qui dixit: *si volueris, conserva is mandata*, in eodem Libro Ecclesiastico aliquantò post dicit? *quis dabit in ore meo custodiam, & super labia mea signaculum astutum ne fortè cadam ab eo, & lingua mea perdat me*.. & capite præcedente: *Meminerimus Deum dicere: Sed convertimini & vivêtis*: cui dicitur? *converte nos Deus*... *Quare jubet quod ipse daturus est? Quare dat, si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet; cum adjuvat ut faciat cui jubet? Semper autem est in nobis voluntas libera sed non semper est bona*... *Gratia verò Dei semper est bona, & per hanc fit, ut sit homo bonæ voluntatis, qui prius fuit voluntatis malæ*. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam esse cœpit, augeatur: & tam magna fiat; ut *possit* implere divina mandata, quæ voluerit, cum valde perfectèque voluerit.... sic adjuvatur ut faciat quod jubetur: tunc enim utile est velle cum possumus; & tunc utile est posse *cum* volumus: nam quid prodest: Si quod non possumus volumus; aut si quod possumus, nolumus?

cap. 15.

Et alibi hominem non posse fatêtur, nec tamen illi impossibile esse quod jubêtur. Dixerat Pelagius: *Quod Deus tam bonus quam justus hominem fecerit, qui peccati malo carere sufficeret, sed si voluisset*, respondet: *Quis enim nescit sanum factum & libero arbitrio atque ad justè vivendum potestate liberâ constitutum? Sed nunc de illo agitur, quem semi-vivum latrones reli-*

L. de nat. & Grat c. 43.

reliquerunt, qui gravibus saucius confossusque vulneribus non ità potest ad justitiæ culmen ascendere, sicut potuit inde descendere. Qui ecendere, sicut potuit inde descendere. Qui etiamsi jam *in stabulo est*, adhuc curatur. Si Pelagiani concluſum velint: si non posit, igitur est illi in præsenti infirmitate constituto ascendere impotsibile; consecutionem negat Augustinus, argumentumque præoccupaturus subdit: *Non igitur Deus impossibilia jubet; sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis.* Iste dicit: *Voluntate* non est quod naturâ potest. Ego dico, voluntate quidem non est homo Justus, nec naturâ potest, sed medicinâ poterit quod vitiô non potest.

Et rursus impossibilitatem, & exinde peccati excusabilitatem ex Augustini verbis elicienti: *Quis peccat in eo quod caveri nullo modo potest*; Augustinus admittit quidem cum Dei adjutorio posse, neque tamen priusquam obtinuerit *impossibile* concedit tentationi resistere. *Potest ergò*, inquit, *ei causæ quæcumque illa est, resisti?* POTEST PLANE. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes: *Ne nos inferas in tentationem.* Quod adjutorium non posceremus, *si resisti nullo modo crederemus.* Potest peccatum caveri, sed opitulante illo qui non potest falli. *cap. 67.*

Acutè autem sibi videntur dicere, quasi nostrûm hoc ullus ignoret: *Quod si nolumus non peccamus, nec præciperet Deus homini quod esset humanæ* IMPOSSIBILE VOLUNTATI. *Sed hæc non vident, quod ad nonnulla superanda, vel quæ malè metuuntur, magnis aliquando & totis viribus opus est voluntatis.* *L. 2. de Pec. merit. c. 3.*

Et tamen sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus... qui ergò vult facere Dei mandatum, *De Grat. & lib. arb. c. 17*

datum, & non potest, sed quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, & robustam.

Quamquam verò admittat Augustinus parvâ & invalidâ bonâ voluntate donatos, *non posse* magna servare mandata, horret tamen dicere mandata *impossibilia*, prout objiciebant Pelagiani: *dubitare non possum*, inquit, *nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adjuvandum, quo fiat, quod jubetur*, IMPOSSIBILE *aliquid esse: ac per* hoc potest homo, si velit esse sine peccato adjutus à Deo. Præmiserat: *si enim posse negaverimus; & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.*

L. 2. de Pec. merit. c. 6.

Rectè igitur contra Pelagium concludit: *Eò quippè ipso, quo firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere; hinc admonêmur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.*

De nat. & Grat. c. 69.

Itaque præcepto facere commonêmur, quod conantes & nostris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur.

De nat. & Grat. c. 15.

Non enim cum ista commemoramus, arbitrium voluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosunt ista nisi volenti; sed humiliter volenti, non se voluntatis viribus, tamquam ad perfectionem justitiæ sola sufficiunt extollenti? Sed à Pelagio ad Cælestium transeamus.

cap. 32.

Cælestius.

Eò collineant Cælestij definitiones & ratiocinationes, quas refert & refellit Augustinus libro de *perfectione justitiæ*, ut ostendat *impossibilia homini* præcipi, si per se, sine adminiculo gratiæ præcepta adimplêre non possit; utpote ratus

tus possibilitatem naturæ excludere necessitatem gratiæ, & si quid naturali liberi arbitrij facultati deesset, quo minus omnia mala cavêre, & bona jussa adimplêre valêret, præcepta dicenda homini *impossibilia*. Semper autem impossibilitatem pernegat Augustinus. Quia & sunt in potestate quæ si volumus facimus, & si nolumus non facimus.

Nulla ratio vel justitia patitur, saltem dici peccatum, quod vitari nullo modo potest. Quid Augustinus? fatetur quod vitari non possit & impossibile sit? aliquando, cum gratia dat velle & agere ipsum, defecerit? Absit. *Respondemus*, inquit, *vitari posse peccatum, si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit, adversus spiritum, &c.* *Cælestij Ratiocinatio prima. L. de Perfect. Justitiæ c. 2.*

Et rursum ingerenti: *Si voluntatis est* (peccatum) *vitari potest*; respondet: *Respondèmus ut supra, & ut sanêmur, invocamus eum*, cui dicitur in Psalmo: *De necessitatibus meis educ me.*

Utrumne debeat homo esse sine peccato? Procul dubio debet. Si debet potest; si non potest; ergò nec debet. *Ratiocinatio 5.*

Augustinus: *Cum viderimus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus, debet homo iste esse sine claudicatione: & si debet, potest: nec tamen cum vult continuò potest, sed cum fuerit adhibitâ curatione sanatus, & medicina adjuverit voluntatem. Hoc fit in interiori homine, quod ad peccatum attinet tamquam ad ejus claudicationem, per ejus gratiam, qui venit non vocare justos sed peccatores: quia, non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* cap. 3.

Nam

Ratiocinatio 6. *Nam cur præciperetur, quod fieri omninò non posset?*

Augustinus. *Respondetur consultissimè homini præcipi, ut rectis possibus ambulet, & ut, cum se non posse perspexerit, medicinam requirat interioris hominis, ad sanandam peccati claudicationem.*

Ratiocinatio 7. *Quis tam demens est, ut vel dubitet fieri posse quod Deum velle non dubitat?*

Augustinus: *Si nollet Deus hominem sine peccato esse, non mitteret filium suum sine peccato, qui sanaret homines à peccatis.*

Ratiocinatio 11. *Tam certè omnia illa quæ prohibita sunt vitari possunt, quam quæ præcepta sunt perfici. Nam frustra aut prohiberêtur aut juberêtur, quod vel cavêri, vel implêri non posset.*

Augustinus: *Ad hoc lex ista præcipit, ut cum in his implendis homo defecerit, non se extollat superbiâ tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus, ac sic lex eum terrendo ad Christum diligendum Pædagogi perducat officio.*

cap. 5.

Ratiocinatio 15. *Et si est aliquod peccatum quod* VITARI NON POSSIT, *non imputabitur in peccatum.*

Augustinus: *Peccatum est autem, cum vel non est charitas quæ esse debet, vel minor est, quam debet; sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit; & tamen vitari potest, non quandò voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.*

cap. 6.

Ecce ab his, quibus charitas deest quæ adesse debet, vitari posse peccatum Augustinus asserit Hostibus Gratiæ; cum Jansenius justis conantibus volentibusque id impossibile constanter doceat, & nihil in Augustino certius ac fundatius reperiri.

SECTIO

SECTIO II.

Cornelij Ianſenij Ratiocinatio de Impoſsibilitate Præceptorum aliquorum in Iuſtis volentibus & Conantibus Pelagio Cæleſtioque patrocinatur.

PAradoxum eſt minimè cenſendum, ſi Cornelium Janſenium acerrimum Pelagiani erroris hoſtem, & efficacis Gratiæ propugnatorem, exorbitantiorem dixerimus Pelagij ac Cæleſtij ratiociniis ſuffragari: Nam & Pelagianos fa ſſe infenſiſſimis ſibi Manichæis, eorum debellator Glorioſiſſimus evicit, & Juliano Catholicos Doctores ob peccatum originale Manichæo infamanti opprobrio Auguſtinus intorſit.

Diſsident quidem longo intervallo Janſenius & Pelagius, quod hic plenam, completam, perfectamque adimplendi omnia Dei mandata facultatem naturæ inſitam dicat, & ab omni Chriſti gratiâ velut non neceſſariâ ſegreget, ac diſpelcat; ille verò id gratiæ vindicet, & illi gratiæ, quæ non tantum velle, ſed *fortiter & integrè velle tribuat & facere faciat*. Verumtamen in hac ratiocinationis viâ coëunt, quod ſicut Pelagius & Cæleſtius ob defectum auxilij ſeu gratiæ Divinæ (quem ſupponebant in multis) velut neceſſariæ ab Auguſtino aſſertæ inferebant in hâcce hypotheſi omnia præcepta eſſe impoſsibilia; Ita Janſenius inferat quod ob defectum perfectæ voluntatis à Deo nondum impartitæ homini Juſto Volenti & conanti juxta præſentes à Deo præbitas vires aliqua præcepta ſint impoſsibilia, quia deeſt illa plena & perfecta voluntas, quâ reipſâ præcepta adimpleat.

Quid

Quid *est quod* Pelagium Cælestiumque ad inferendam è gratiæ necessitate impossibilitatem compulit, nisi quod posse & plenè posse duxerunt esse possibile, non plenè posse impossibile arbitrati? adeòque cum Augustinus sine gratia Dei hominem nil boni posse assereret, imò & volentes non posse mandata Dei observare; concluſum voluerunt, Deum præcipere quod ab homine fieri non potest, nimirum juxta præsentes vires.

Et quid similiter Jansenium perpulit, ut justis conantibus impossibilitatem imponeret, nisi quod posse completum & possibile converterit, & non posse completè cum impossibile confuderit? Pelagianis naturalem possibilitatem abjudicaverat Augustinus; aliquod posse remotum per Dei Gratiam indulserat: sed ne libero nimis faveret arbitrio, hominem sine gratia nec velle nec agere posse conviverat. Hinc calumniandi materiem nacti, Impossibilitatem in Deum Justum ac bonum impiam objectâbant Gratiæ defensoribus, quasi Gratia non statuerit liberum arbitrium, sed destrueret.

Parili seu gemellâ ratione Jansenius, quia Augustino consentiente legerat, non modò peccatores, sed & Justos aliquando *velle*, sed *nondum posse quod volunt*, eò quod perfectum velle indepti non sint, concluſit, & quidem ex Augustino eodem, *aliqua Præcepta hominibus Justis conantibus & volentibus esse impossibilia.* Ratus illud *impossibile* à velle imperfecto *non posse* discriminari: atque hoc pacto de justis asseruit Jansenius, quod de Peccatoribus Augustinus ausus non est eructare, utpote lividam hanc vocem *impossibilia* semper perosus, ad Manichæorum Classem ablegandam ratus.

Utrof-

Utrosque ergo invictissimus Gratiæ propugnator ac liberi arbitrii Defensor inclytus, qui utriusque vires sagacissimè diiudicavit, prostravit Pelagium & Cælestium, asserens *Deum Justum non præcipere impossibilia*, licet ea jubeat quæ ab ipso peti debent; & quæ ipse daturus est, si petantur quantum res tanta petenda est; nec damnare quemquam ob ea peccata, quæ *vitari non possint*, quia Deo opitulante cavêri possunt; Jansenium vero ubi ait: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere quod possis, & petere quod non possis. Alioquin, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit, derogabimus.* L. 2. de pec. merit. c. 6.

SECTIO III.

Impossibilitas Janseniana per Augustinianam possibilitatis definitionem, fideique possibilitatem exinanîtur.

IN hoc docti indoctique consentiunt *impossibile* non esse possibile; & repugnanter, quod verè possibile est, *impossibile* nuncupari. Neque in hoc dissident ea possibilitatis nomen merêri, quæ in nostra sita sunt potestate. Porrò in potestate nostra esse, quæ si volumus facimus si non volumus non facimus, Augustini definitio edicit; quomodò ergò Augustiniana erit, ut prætendit Jansenius, justis conantibus impacta Præceptorum impossibilitas? Nonne justi omnia præcepta habent in sua potestate? non faciunt si vellent, & fortiter vellent? sed Augustinum definientem, & de suis sensibus differentem prosequamur.

Dixe-

Dixerat contra Manichæos Augustinus: *Lib. 3. de lib. arb. c. 3.* *Respondisti enim quod jam esses beatus si potestas esset in te, velle enim te sed non posse dixisti, ubi ego subjeci, de te clamasse veritatem: non enim negare possumus habêre nos potestatem, nisi dum nobis non adest quod volumus: dum autem volumus si voluntas nostra deest nobis, non utique volumus. Quod si fieri non potest, ut dum Volumus, non velimus, adest utique voluntas volentibus: Nec aliud quidquam est in nostra* POTESTATE *nisi quod* VOLENTIBUS *adest. Voluntas igitur nostra nec voluntas esset, nisi esset in nostra potestate. Porrò quia est in nostrâ potestate, libera est nobis. Non enim est nobis liberum, quod in potestate non habêmus, aut potest non esse quod habêmus.* Quod confirmat in libro Retractionum dicens: *L. 1. Retract. c. 22.* *cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate quam ipsa voluntas est, sed præparatur voluntas a Domino. Eo ergò modò dat potestatem.*

Pari passu Augustinus occurrit Pelagianis semipelagianisque asserens eâ in potestate, quæ voluntate, etsi aliunde adjuta, perfici valent. Atque ita & contra Gratiæ necessitatem & contra efficacitatem certantes expugnavit, ostendens neque gratiæ efficacis orbitatem invehere præceptorum impossibilitatem, neque efficacitatem subruere vel benè vel malè agendi libertatem sive potestatem. Perspicua sunt ista Augustini arma tractantibus adversus utrosque gratiæ inimicos.

Sed unus pro omnibus Augustini de possibilitate fidei, quæ communis non est omnibus, discursus sufficiet: *L. de Sp & litt. c. 31.* *Quæret aliquis utrum fides ipsa in quâ salutis vel ad salutis connexionis hujus, quàm commemoravi, esse videtur exordium, in nostrâ constituta sit potestate? Quod facilius videbimus, si prius, quid sit potestas aliquantò diligentius perspexerimus. Cum enim*

enim duo quædam sint VELLE & POSSE, unde nec qui vult, continuò POTEST, nec qui potest, continuò vult. Quia sicut volumus aliquandò quod non possumus, sic etiam possumus aliquandò quod nolumus: satis evolutis ipsis etiam vocabulis, resonat quod ab eo quod est VELLE VOLUNTAS: ab eo autem quod est POSSE POTESTAS nomen accepit. Quapropter sicut qui vult habet voluntatem, ita potestatem, qui potest. Sed ut potestate aliquid fiat, voluntas aderit. Neque enim dici solet quispiam voluntate feciſſe, si quid fecit invitus. Quamquam, si subtilius advertamus, etiam quod quisque invitus facere cogitur, si facit, voluntate facit: sed quia mulit aliud, ideò invitus, hoc est nolens facere dicitur. Malo quippe aliquò facere compellitur, quod volens evitare vel a se removêre, facit quod cogitur. Nam si tanta voluntas sit, ut malit hoc non facere, quam illud non pati, cogenti procul dubio resistit, nec facit: ac per hoc si facit, non quidem plenâ & liberâ voluntate, sed tamen non facit nisi voluntate, QUAM VOLUNTATEM QUIA EFFECTUS CONSEQUITUR, NON POSSUMUS DICERE POTESTATEM DEFUISSE FACIENTI. Si enim cogenti cedens vellet facere, nec posset, ei voluntatem adfuisse licet extortam, sed potestatem defuisse diceremus.

Quid igitur ultra quærimus, quandoquidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi? Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult facit: si non vult, non facit. Concludit: Vide nunc utrum quisque credat si noluerit: aut non credat, si voluerit. Quod si absurdum est: quid est enim credere, nisi consentire verum esse quod dicitur? Consensio autem utique volentis est: profecto fides in potestate est.

Unde capite sequenti: cum ergò fides in PO-

cap. 32. TESTATE SIT : *quoniam cum vult quisque credit : & cum credit , volens credit.*

cap. 34. Et alibi cum ostenderet donum Dei esse velle credere : *accipere* , inquit , *& habêre anima non potest dona , de quibus hoc audit , nisi consentiendo : ac per hoc quid habeat & quid accipiat , Dei est : accipere autem & habêre utique accipientis & habentis est.*

Si igitur in potestate est fides , in potestate quoque est quidquid ad pietatem & salutem pertinet : nam si volumus hæc omnia facimus, parva si parva , magna si magna voluntas adfuerit :

cap. 31. *Hoc enim quisque in potestate habêre dicitur quod si vult facit , si non vult non facit. Et hanc dicimus potestatem , ubi voluntati adjacet facultas faciendi.* Quæ bona si data non fuerit à quo

cap. 35. præparanda est , *non ad impossibilitatem sed ad Judicium Dei pertinet.*



CA-

CAPUT IV.

De Augustinianâ peccatorum omnium etiam minimorum evitandorum possibilitate, ceu peremptoriâ Jansenianæ præceptorum aliquorum impossibilitatis.

SECTIO PRIMA.

Num justi aliqui & sancti vixerint sine omni peccato veniali? Mens S. Augustini explanatur.

MUlti baptizati fideles sunt sine CRIMINE (hoc est mortali peccato) *sine peccato autem in hâc vitâ neminem dixerim, quantâlibet Pelagiani, quia hæc dicimus, adversum nos inflentur & dirumpantur insani â*, inquit Augustinus. Multos, & quidem voluntatis possibilitate naturali ita vixisse exortes omnis vel levis faminis Pelagius cum Cælestio docuit. Augustinus verò ope quidem divinâ suffultos ita vixisse negat, ni Mediatorem cum Matre excipias. Agit id variis in Libris, secundò de *Peccatorum meritis, de Spiritu & Littera, de naturâ & gratiâ, de perfectione Justitiæ, & Epistola* 89. *L. 1. ad Bonif. c. 14.*

Si quæratur utrum sit qui nullum omninò peccatum habuerit? Respondet Augustinus: magis credo scripturæ dicenti? *ne intres in Judicium cum servo tuo, quoniam non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et Ideò misericordiâ opus est quæ superexaltat judicio, quæ illi non erit qui non facit misericordiam.* Probat & ex *L. 2. de pecc. merit. c. 7.*

illo Psalmi : *pro hâc orabit ad te omnis sanctus in tempore opportuno.* Non ergò omnis peccator, sed omnis sanctus. Vox enim Sanctorum est: *si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est.*

cap. 10. Confirmat exemplis : in tribus illis viris (*Noë, Danïele, & Job*) tria quædam hominum liberanda genera præfigurari memorat.

In Noë justos plebium præpositos propter Arcæ tamquam Ecclesiæ gubernationem : in *Danïele, justos continentes* : in *Job, justos conjugatos.* De Noë dicit fuisse ebrium, licet non ebriosum. Daniël verò post orationem, quam fudit Deo, de seipso dicit : *cum orarem; & confiterer peccata mea, & peccata populi mei.* Inter varias confessiones Job adducit: *nihil te latuit de peccatis meis. Signásti peccata mea in folliculo.* Quis *judicio ejus adversabitur? quod si fuero justus, os meum impiè loquêtur.* „ *Hoc est enim, si me justum dixero contra judicium ejus, ubi perfecta illa justitiæ regula me convincit injustum, profectò impiè* LOQUETUR OS MEUM, *quia contra Dei veritatem loquêtur.*

Job 16. & 17.

cap. 12. *Non igitur præclarum illud testimonium Dei quo laudatus est Job, contrarium est Testimonio quo dictum est,* NON JUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS. *Quia non id persuadet prorsus in illo nihil fuisse quod vel ab ipso veraciter vel a Deo rectè reprehenderetur, quamvis tam justus & verax Dei cultor, & ab omni opere malo se abstinens, non mendaciter diceretur. non ergò ipse propterea nullum omninò peccatum habebat, qui in profectu Justitiæ ceteros anteibat. Deinde adjungitur sine* QUERELA : *de cujus vita nemo justè quereretur.* JUSTUS, *qui tantâ morum probitate* PROFECERAT, *ut nullus ei esset æquandus. Verus Dei* CULTOR : *quippe etiam suorum peccatorum verax humilisque Confessor.* ABSTINENS SE AB OMNI OPERE MALO. *Mirum si ab omni etiam verbo & cogitatu malo.*

Sic

Sic itaque omnes quicumque in hâc vitâ divinarum scripturarum testimoniis in bonâ voluntate atque actibus justitiæ prædicati sunt, & quicumque tales vel post eos fuêrunt, vel usque nunc etiam sunt, vel postea quoque futuri sunt, omnes magni, omnes justi, omnes veraciter laudabiles sunt, sed sine peccato aliquo non sunt: quoniam scripturarum Testimoniis, quibus de eorum laudibus credimus, hoc etiam credimus: NON JUSTIFICABITUR IN CONSPECTU TUO OMNIS VIVENS, *& ideo rogari,* NE INTRET IN JUDICIUM CUM SERVIS SUIS; *& non tantum universaliter fidelibus omnibus, verum etiam singulis esse orationem Dominicam necessariam, quam tradidit discipulis suis.* cap. 14.

Hoc & aliis Scripturarum Testimoniis alibi docet se existimare: *Definitum nullum hîc viventem, quamvis utatur libero arbitrio, inveniri sine peccato.* L. de Sp. & litt. c. 2.

Pelagio verò objicienti Sanctorum Turbam, *Abelem, Enoch, Melchisedech, Abraham, Isaac, Jacob* &c, ipsam etiam *Domini Matrem*, respondet: *Exceptâ itaque* SANCTA VIRGINE MARIA, *de qua propter honorem Domini nullam prorsus cum de peccatis agitur, habêre Volo quæstionem: unde enim scimus quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere ac parere meruit eum, quem constat nullum habuisse peccatum. Hâc ergo Virgine exceptâ, si omnes illos Sanctos & sanctas cum hic viverent congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato, quid fuisse responsuros putamus, utrum hoc quod esse dicit* (Pelag.) *an quod Joannes Apostolus? Rogo Vos, quantâlibet fuerint in hoc corpore excellentiâ sanctitatis, si hoc interrogari potuissent, unâ voce clamassent: si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. An illud humilius* De nat. & Grat. c. 36.

respondérent fortasse quam veritus? Sed huic jam placet, & rectè placet. Laudem humilitatis in parte non ponere falsitatis. Itaque hoc si verum dicerent, haberent peccatum, quod humiliter faterentur, quia veritas in eis esset. Si autem hoc mentirentur, nihilominus haberent peccatum, quia veritas in eis non esset.

L. de Perfect. Justitia c. 21. Concludit libro de perfectione Justitiæ: *Quisquis autem dicit post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem justè vixisse in hac carne vel vivere, ut nullum habeat omninò peccatum, contradicit* Apostolo Joanni, qui dicit: si *dixerimus, quia peccatum non habemus nosipsos seducimus & veritas* in *nobis non est.*

Postea tamen subdit: *Postremò, si excepto illo capite nostro sui Corporis Salvatore* (Cum Matre, ut lib. de nat. & grat.) *asseruntur, fuisse vel esse in hâc vita aliqui homines justi sine aliquo peccato, non nimis existimo reluctandum. Scis enim quibusdam ita visum quorum de hâc re sententiam non audeo reprehendere, quamquam nec defendere Valeam.*

L. de Sp. & litt. c. 2. Epist. 89. Similiter alibi dicit: *quantum ego judico non multum erratur nec perniciosè, cum quâdam quisque benevolentiâ fallitur.* & alibi: *isti utcumque tolerandi sunt, qui dicunt vel esse, vel fuisse hic aliquem, præter unum Sanctorum, qui nullum haberet omninò peccatum: illud verò quod dicunt sufficere homini liberum arbitrium ad Dominica præcepta implenda, etiamsi Dei gratiâ & Spiritus Sancti dono ad opera bona non adjuvetur, omninò Anathematizandum, & omnibus execrationibus detestandum.*

De Sp. & lit. c. 2. Illis acerrimè ac Vehementissimè resistendum est, qui putant *sine adjutorio Dei per seipsam vim voluntatis humanæ vel justitiam posse perficere, vel ad eam tendendo proficere.*

Interim

Interim omnibus necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus Gregis, id est Apostolis suis Dominus dedit, ut unusquisque Deo dicat: *dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus suis. Cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hîc sine peccato vivere pronuntiandus est. Quales si aliquos futuros Dominus prævideret, meliores utique quam extiterunt ejus Apostoli, aliam orationem illos docêret, quâ non peterent dimitti sibi peccata, quibus in Baptismo fuerant omnia jam dimissa.*

Epist 89. ad q 1.

Quam orationem quisquis cuilibet etiam homini Sancto & Dei voluntatem scienti & facienti, præter unum SANCTUM SANCTORUM (adde Matrem) *dicit in hâc vitâ necessariam non fuisse*, MULTUM ERRAT: *nec potest omninò illi ipsi placêre quem laudat, sed eum Augustinus alibi dicat non* MULTUM ERRARE, *hic verò* MULTUM, ad pelagium respicit, cujus verba præmiserat significantia solis natnræ viribus id effectum. Verba Pelagii sunt ista: *sine ullo peccato aliquos homines jam ratione propriæ voluntatis utentes in hoc sæculo vixisse, vel vivere.* Quibus verbis subtexuerat Augustinus. *Optandum ut fiat, conandum est ut fiat, non tamen quod factum fuerit, confitendum: hoc enim optantibus & conantibus & dignâ supplicatione deprecantibus quidquid remanserit peccatorum per hoc quotidie solvitur, quod veraciter in illâ oratione dicitur: dimitte nobis debita nostra &c.*

L. 3. de Pec. merit, c. 13.



SEC-

SECTIO II.

Unde proveniat quod non sit homo qui non peccet, peccaverit, vel peccaturus sit, excepto Sancto Sanctorum, & è qua natus est, Sanctissimâ Virgine Matre, edocet S. Augustinus.

L. 2. de pec. merit. c. 17. *CUm voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato in hâc vitâ possit homo esse, cur non sit posem facillimè ac veracissimè respondêre, quia homines nolunt. Sed si ex me quæritur, quare nolint, imus in longum. Verum tamen etiam hoc sine præjudicio diligentioris inquisitionis breviter dicam*, inquit, Augustinus;

Nolunt homines facere quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat. Tantò enim quippe vehementius volumus, quantò certius quàm bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius. Ignorantia igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: quia ut non adjuventur, in ipsis ibidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi & erudiendi filii sint Misericordiæ. Viveret ergò homo in perfectâ justitia, sive absque peccatò, *si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei. Esset autem tanta si & nihil eorum, quæ pertinent ad justitiam nos latèret, & ea sic delectarent animum ut quidquid aliud voluptas, sive dolor impedit, delectatio illa*

L. de Spir. & litt. c. 35.

supera-

superaret : quod ut non sit, non ad impossibilitatem sed ad judicium Dei pertinet.

Tantò autem magis delectat opus bonum, quantò magis diligitur Deus summum & incommutabile bonum, & author qualiumcumque bonorum omnium. L. 2. de pece merit. c. 17

Ut autem diligatur Deus, *Charitas ejus diffusa est in Cordibus nostris non per nos, sed per Spiritum Sanctum qui datus est nobis.*

Atsi quæratur, *cur quisque nostrum bonum opus suscipere, agere, implêre, nunc scit, nunc nescit, nunc delectatur, nunc non delectatur?* Non me, sed Augustinum respondentem audiat :

Ut noverit, non suæ facultatis, sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur, ac sic ab elationis vanitate sanêtur, & sciat, quam verè non de terra istâ, sed spiritualiter dictum sit : Dominus dabit suavitatem & terra dabit fructum suum. Ibid.

Novit Medicus *qui non est opus sanis, sed ægrotantibus quemadmodum* nos curando perficiat in æternam salutem. . . *Et in quibusdam etiam justos suos, quoniam adhuc extolli possunt, non adjuvat ad perficiendam justitiam, ut dum non justificatur in conspectu ejus omnis vivens, actionem gratiarum semper indulgentiæ ipsius debeamus, & sic ab illa prima causa omnium vitiorum, hoc est, à tumore superbiæ Sanctâ humilitate sanêmur.* L. 3. c. 13.

Nullus proinde culpæ in Deum referat causam. Vitiorum namque omnium humanorum CAUSA SUPERBIA EST. *Ad hanc convincendam atque auferendam talis medicina cælitus venit. Ad elatum hominem per superbiam Deus humilis descendit per misericordiam, gratiam claram manifestamque commendans in ipso homine, quem tantâ præ participibus suis Charitate susc̃epit.* L. 2. c. 17.

Idcircò etiam Sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus, quam im- cap. 19.

implendæ ex omni parte justitiæ sufficiat, delectet bonum, sive cum latet, sive cum etiam manifestum est; Ut quantum pertinet ad integerrimam regulam veritatis ejus, non justificetur in conspectu ejus omnis vivens. NEC IN EO IPSO VULT NOS DAMNABILES ESSE, *sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus assecuti, nostrum putemus esse quod ejus est. Qui error multum est Religioni pietatique contrarius. Nec ideò tamen in iisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversus ipsam Maximè superbiam* PROPTER QUAM *in eis humiliamur, & nos vigilanter conêmur, & ipsum deprecêmur ardenter, simul intelligentes, & quod sic conamur, & quod sic deprecamur, dono illius nos habêre in omnibus non ad nos respicientes, sed sursum cor habentes, Domino Deo nostro gratias agamus, & cum gloriamur in illo gloriemur.*

L. de nat. & Grat. c. 32. Qua propter ambulantes in viâ justâ terrêre Dominum dicit ubi ait: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam ne quando irascatur Dominus, & pereatis de viâ justâ; quia superbia etiam in ipsis rectè factis cavenda est, ideſt, in ipsâ viâ justâ, ne homo dum quod Dei est, deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum.*

Ibid. c. 24. Hinc medicinali contra superbiam turbatione percitum refert qui dixerat in *abundantia sua, non movebor in æternum*, & sibi tribuebat quod à Domino habebat. *Quare ostendendum ei fuerat unde haberet ut reciperet humilis, quod amiserat superbus.*

cap. 27. *Ideò qui voluntati suæ præstiterat decori ejus virtutem, avertit paululum faciem suam*, ut qui hoc dixerat, *fieret conturbatus: Quoniam ipsis est ille tumor sanandus doloribus.* ita contra Pelagium

Ibid. disserit existimantem esse absurdissimum, &, stul-

stultissimum peccata permittere ut peccatum superbiæ vitaretur: *quasi non & ulcus in dolore sit, & sectio dolorem operêtur, ut dolor dolore tollatur.*

Et objicienti: *Deus potest omnia sanare*; respondet: *hoc utique agit ut sanet omnia, sed agit judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto. Procul dubio quippe firmissimum Apostolum volebat efficere, cui tamen dixit: Virtus in infirmitate perficitur, & non ei toties oranti aufert nescio quem stimulum carnis, quem sibi dicit datum, ne magnitudine revelationum extolleretur. Cætera enim vitia in malèfactis valent; sola autem superbia etiam in rectè factis cavenda est. Unde admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseque extollendo gravius peccent, quam si nîl operarentur boni.*

Non itaque dicitur homini, *necesse est peccare ne pecces*: sed dicitur homini deserit te aliquantum Deus unde superbis, ut scias non tuum esse cap. 28.

Et quidem superbia cum magnum sit ipsa peccatum, ita sine aliis per seipsa est, ut etiam plerumque, ut dixi, non in peccatis, sed in ipsis rectè factis pede celeriore superveniat, & obrêpat. cap. 29.

Hoc superbus animus non sapit, sed magnus est Dominus qui persuadet quomodo ipse novit. Nam procliviores sumus quærere potius quid contra ea respondeamus, quæ nostro objiciuntur errori, quam intendere, quam sint salubria, ut careamus errore. Unde cum istis non tam disputationibus, quam pro eis, sicut pro nobis, orationibus est agendum. Non enim hoc eis dicimus, quod sibi iste opposuit: Ut esset causa misericordiæ Dei, necessarium fuisse peccatum. Utinam non fuisset miseria, ne ista esset misericordia necessaria. cap. 25.

Quod

cap. 31. Quod si altius scruteris & scisciteris, *cur etiam ipsam superbiam, quæ & in rectè factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet pro quâ sunandâ illi piæ animæ lacrymis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam, & quodammodò calcandam & auferendam dexteram conantibus porrigat?* Respondet Augustinus: *altius Dei consilium fateor me ignorare.* Addit equidem superbiam quasi de suo funere revicturam: *ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsâ lætitiâ caput erigit & dicit: ecce ego vivo. Quid triumphas? & ideò vivo quia triumphas. Ante tempus enim fortasse de illâ quasi victâ triumphare delectat cum extrema ejus umbra illâ meridie, quantum arbitror, absorbebitur.*

L. de Spir. & litt. c. ult. Concludit Augustinus: *Scio quod sicut impossibilitas, ita & iniquitas non est apud Deum. Et scio quod superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam. Et scio, quod illi, cui ne extolleretur, datus erat stimulus carnis Angelus Satanæ qui eum colaphizaret, semel & iterum & tertiò deprecanti dictum est: Sufficit tibi gratia mea: Nam Virtus in infirmitate perficitur. Aliquid ergò est in abdito & profundo judiciorum Dei, ut etiam justorum omne os obstruatur in laude sua, & non aperiatur nisi in laudem Dei. Hoc autem aliquid quis possit scrutari, quis investigare, quis nosse? Tam sunt inscrutabilia judicia ejus, & investigabiles viæ ejus. Quis enim cognovit sensum Domini, aut quis consiliarius illi fuit?*

SEC.

SECTIO III.

De posſibilitate vivendi ſine omni peccato Gratiâ adjuvante Divinâ.

IN hoc vivatne aliquis ſæculo vel vixerit vel victurus ſit ſine ullo omninò peccato, excepto *uno Mediatore Dei & hominum Chriſto Jeſu qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus*, quantâ ipſe diligentiâ vel facilitate potui diſſerendum enodandumque ſuſcepi, inquit Auguſtinus initio libri ſecundi de peccatorum meritis ad Marcellinum. Hoc opere completum vidimus libro præfato, *lib. de Spiritu & littera, de nat. & gratia &c.*

At Marcellinus reſcripſit, ſe fuiſſe permotum quod Auguſtinus dixerit: *fieri poſſe, ut homo ſit ſine peccato, ſi voluntas ejus non deſit ope adjuvante divinâ: quamvis nemo tam perfectæ juſtitiæ in hâc vitâ vel fuerit, vel futurus ſit. Quæſivit enim quomodo dixerit fieri poſſe, cujus rei deſit exemplum?* *L. 2. Retract. c. 37.*

Reſpondit Auguſtinus libro *de Spiritu & Littera* poſsibilia multa referri in Scripturis Saeris, quæ numquam facta ſunt. Numquam enim factum, *ut foramen acus Camelus tranſiret*, & tamen hoc dictum *poſſibile*. Duodecim millia Legiones Angelorum pro Chriſto ne pateretur pugnare potuiſſe, nec tamen factum &c. unde *non ideò negare debemus fieri poſſe, ut homo ſine peccato ſit quia nullus eſt hominum, præter illum qui non tantum homo, ſed etiam naturâ Deus eſt, in quo id perfectum eſſe demonſtrare poſſimus.* Itaque poſsibilitatem ſemper affirmat Auguſtinus, & impoſsibilitatem ſine omni peccato vivendi continenter negat. *L. de Sp. & litt. c. 1. & 35.*

L. 2. de Pec. merit. c. 6. *Qui dicunt esse posse in hac vitâ hominem sine peccato, non est eis continuò incautâ temeritate resistendum: si enim posse negaverimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc volendo appetit, & Dei virtuti vel misericordiæ, qui hoc adjuvando efficit derogabimus.*

Neque negandum est hoc Deum jubêre, ‘ita nos in faciendâ justitiâ esse debere perfectos, *ut nullum habeamus omninò peccatum: nam neque peccatum erit si quid erit, si non divinitus jubeatur, ut non sit.*

cap. 5. *Nec de hac re solis votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficaciâ voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur.*

cap. 16. Cur ergò *jubet*, inquiunt, *quod scit nullum hominem esse facturum.*

Respondet: *hoc modo etiam dici potest, cur primis illis hominibus jusserit qui duo soli erant, quod sciebat eos non esse facturos... eo modo ergò jubet omnibus hominibus, ut non faciant ullum peccatum, quamquam sit præscius neminem hoc impleturum, ut quicumque impiè ac damnabiliter ejus præcepta contempserint, ipse faciat in eorum damnatione quod justum est: quicumque autem in ejus præceptis obedienter, & piè proficientes, nec tamen omnia, quæ præcipit implentes, sicut sibi dimitti volunt, sic aliis peccata dimiserint, ipse faciat in eorum mundatione quod bonum est.* Et cap. sequenti repetit quod dixerat: *Voluntate humanâ, gratiâ adjuvante divinâ, sine peccato in hâc vitâ posse hominem esse.*

cap. 17.

L. de Spi. & lit. c. 35. Repetit hoc alibi, & quo pacto fieri possit, exponit: *confitebor posse per Dei gratiam & libeum ejus arbitrium.*

Fieret enim, si tanta voluntas adhiberetur, quanta sufficit tantæ rei " *vitia autem sunt quæ impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum bonum & ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est.* L. 2. de pec. merit. cap. 17.

Cum autem ab illo illius adjutorium deprecamur ad faciendam perficiendamque justitiam, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat, quod latebat, & suave faciat, quod non delectabat? cap. 19.

Si ab illo avertimur, nostrum est, & tunc secundum carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis id illicita consentimus. Conversos ergò Deus adjuvat, aversos deserit. Sed etiam ut convertamur, ipse adjuvat quod certè oculis corporis lux ista non præstat. Cum jubet dicendo: Post concupiscentias tuas non eas, nos quoque dicimus: scimus quia nemo potest esse continens, nisi Deus det: quid aliud dicimus, quam da quod jubes? Cum jubet dicendo: facite justitiam, nosque dicimus, doce me justificationes tuas, quid aliud dicimus, quam da quod jubes? cap. 5.

Denique Celestio objectanti: *quis tam demens est, ut dubitet fieri posse, quod Deum velle non dubitat?* L. de perf. Justitia. c. 3. Ratioc. 7.

Respondet Augustinus: *Si nollet Deus hominem sine peccato esse non mitteret filium suum sine peccato qui sanaret homines à peccato. Hoc fit in credentibus renovatione interioris hominis de die in diem donec fiat perfecta justitia tamquam sanitas plena.*

Et rursum: *si debet, potest. Et constat non aliud debere quam potest.* Item: *quia præceptum est potest.* Ratioc. 5. Ratioc. 6.

Augustinus respondet: *Cum videmus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus debet homo iste sine claudicatione esse: & si debet, potest: nec tamen cum vult continuò potest, sed cum fuerit abhibita cura.*

ratione sanatus, & medicina adjuverit voluntatem. Hoc fit in interiore homine. Item respondet: *Consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet, ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat, quæ interioris hominis ad sanandam peccati claudicationem* GRATIA DEI EST PER JESUM CHRISTUM DOMINUM NOSTRUM.

L. eodem c. 2 Ratioc. 1.

Itaque cum de vitandis peccatis omnibus agitur, etsi neget solis naturæ viribus vitari posse, prout inflatores liberi arbitrii prætendunt, *respondêmus* inquit, *vitari posse peccatum, si natura* vitiata sanetur *gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est, aut Cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit adversus Spiritum, & spiritus adversus Carnem, ut ea quæ non vult homo faciat.*

SECTIO IV.

Impossibilitas omne peccatum vitandi ab Augustino repulsa Jansenianam refellit præceptorum etiam graviter obstringentium quoad justos conantes impossibilitatem.

L. 2. de Pecc. merit. c. 3.

QUæ de Præceptorum possibilitate per Dei Gratiam per D. J. C. Doctor Gratiæ asseruit & quæ de impossibilitate negavit, magnam partem spectant hujus quæstionis de evitandis omnibus vel minimis peccatis. Nam libro secundo de peccatorum meritis ista quæstio tangitur, ubi objicitur: *nec præciperet homini quod esset humanæ impossibile voluntati.*

luntati. Quasi nostrum hoc ullus ignoret, inquit Augustinus.

De impossibilitate omnia vitandi peccata agitur, ubi Augustinus respondet: *dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse.* cap. 6.

De tali impossibilitate agebatur, ubi objiciebatur: *Nec præciperet Deus homini quod esset humanæ impossibile voluntati.* Ad quod Augustinus respondit: *quod ad nonnulla superanda totis aliquando opus sit viribus voluntatis.* cap. 3.

De hac impossibilitate agebatur, ubi Augustinus repudium dedit famoso suo acroamate: *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis.* De nat. & Grat. c. 43.

Hujusmodi impossibilitas à Celestio opponebatur per tot ratiocinia memorata Deum imputare peecatum *quod vitari non possit*: ubi Augustinus respondet: *Vitari potest, non quandò voluntas superba laudatur, sed quando humilis adjuvatur.* L. de Perfect. Justitiæ c. 6.

Impossibilitas hæc regerebatur ubi dicebatur: *frustrà prohiberetur aut juberetur quod vel caveri vel impleri non possit.* & *Quomodo negabimus posse esse hominem sine peccato?* Respondet Augustinus? *Ad hoc lex ista præcipit, ut cum in his adimplendis homo defecerit, non se extollat superbiâ tumidus, sed ad gratiam confugiat fatigatus.* Ratioc. 15. Ratioc. 11.

Hoc objiciebatur, cui ab eodem responsum legitur: *firmissimè creditur Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere*, & hinc nos admonêri *& infacilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* L. de nat. & grat. c. 69.

Et ubi difficultatem aliquam sentiunt, fidelissimis & perseverantissimis precibus, & misericordiæ promptis operibus facilitatem à Domino impetrare persistant. cap. 68.

Et alibi: *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis. Nec cum ea gravia sentit, desperando* De Perfect. Justitiæ c. 10.

frangatur sed ad quærendum, petendum pulsandumque cogatur.

Ex his diluceſcit primò quod S. Auguſtinus penſatis præſentis vitæ liberi arbitrii divinâ Gratiâ adjuti lacertis neminem quidem, excepto Mediatore ejuſque benedictâ Virgine Matre, ab omni peccato immunem vixiſſe, nec victurum exiſtimet, ſaltem excluſo ſingulari Privilegio.

Secundò, quod licet concedat Juſtis ac Sanctis non tribui vel *certam ſcientiam vel victricem delectationem*, nimirum ad minima quælibet reipſâ vitanda; numquam tamen admittat Præceptum omnia vitandi peccata eſſe impoſſibile; ſed ſemper poſsibile aſſerat, ne libero *arbitrio hominis, qui hoc appetit, & Dei virtuti, derogatum veniat.*

Tertiò quod per ſubtractionem illius efficacis gratiæ, quæ tribuat voluntatem tantam, quanta rei tantæ ſufficit, dicat non damnationis ſed humilitatis juſtis anſam præbêri, his verbis: *nec in eo ipſo vult nos damnabiles eſſe, ſed humiles, ne facilitatem in omnibus aſſecuti noſtrum putemus eſſe, quod ejus eſt.*

L. 2. de pec. merit. cap. 19.

Quô igitur animô excepturum credamus Auguſtinum, ſi objiceretur ei quod *impoſſibilia* docuerit *Præcepta Dei juſtis conantibus & volentibus ea ſervare & ab incommutabili bono nullo divortio ſeparari?* Non erat quod ab impoſſibilitate minimorum Præceptorum admittenda abſterruiſſet, dum hunc Camelum deglutiiſſet. Itaque Janſenianum Aſſertum de impoſſibilitate Præceptorum velut Pelagianum telum ab Auguſtino contritum dicimus.

L. 2. de Pecc. merit. c. 19.

Neque Janſenium à vulnere liberat quod homines juſtos juxtapræſentes gratiæ vires liberaverit, dum nempe nondum indepti ſunt eam, quæ cum effectu conjuncta ſit, potentiam ſeu

poſ-

possibilitatem; nam ob illius orbitatem dicere non poterat *impossibile*, quod Augustinus attentâ potentiâ longe minori circa minima versante, incunctanter Possibile non modò pronuntiat, sed & defendit. Quid namque erat ei proclivius, quàm Marcellino quærenti quomodò possibile est, quod à Nemine præstatur, respondêre juxta præsentem statum cursumque gratiæ, est homini *impossibile* sine peccato vivere, sed de absoluta Dei potestate est possibile, cui nihil est impossibile? Ita Pelagio ac Cælestio satisfactum oportuisset urgentibus semper non esse possibile, ad quod voluntas non erat expedita proximèque sufficeret. Sed maluit Augustinus in sua definitione persistere, quâ sanxerat: *ea esse in nostra potestate, quæ si volumus facimus, & si non volumus non facimus*, licet ad bonum voluntatem à Deo Præparandam & adjuvandam prædicaret.

Et quomodò non damnabiles in eo faceret justos suos, quos ad pœnitentiam non redituros sciret Deus, si possibilitate mandatorum lethaliter obligantium aliquandò destituat? neque ad humilitatem, sed ad damnationem vergit ista desertio & secuta prolapsio. Sed de hoc aliàs, ubi de secundæ primæ propositionis parte agendum, discutiendum erit.

CAPUT V.

De secundæ parte primæ Propositionis Ianseniane : deest quoque gratia, quâ possibilia fiant.

SECTIO PRIMA.

Ianseniane periodi hujus fundamentum panditur.

COrnelius Jansenius non dumtaxat pergit temerario illo ac Patribus inviso termino uti, & *non posse* cum *impossibili*, nec quicquam obluctante Augustino, convertere, & quod hic de injustis est veritus, Jansenius de justis, quidem conantibus & volentibus juxta præsentes, quas habent vires, continenter asserere; sed insuper impossibilitatis prætensæ causas edisserit sequentes. Ex eo quod vires voluntatis infirmæ sint, propter concupiscentiam à contrario bono retrahentem, cujus renisu fit, ut vires voluntatis diftrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integrè velit, non totâ voluntate velit. Talem autem voluntatem non esse idoneam, ut superet alteram vetustate roboratam, quia per illam nondum potest homo tantum velle, quantum sufficit, ut volendo faciat: poterit autem cum magnam habuerit & robustam.

L. 2. de pec. merit. c. 4. Hoc confirmat ex S. Augustino dicente nos orare: *ut si forte tentari experimus à concupiscentia nostrâ, adjutorio ejus non deseramus, ut in eo pos-*

possimus vincere, ne abstrahamur illecti. Exinde concludit hoc ipso clarissimâ voce nos profitêri, *deesse nobis sufficientem ad illa præcepta adimplenda potestatem.* Nempe Augustini verba complexus iterum adversus Augustini nititur sensum & voluntatem. Quasi illud nondum *perfectè velle & plenè velle* faciat hominis *impossibile* voluntati, licet alienas, seu Dei vires, in subsidium advocaverit.

Idemne est: imperfecta voluntas non potest magnos Concupiscentiæ assultus vincere, & homo hâc voluntate licet parvâ & imbecilli præventus non potest superare, cum in proclivi sit Potentiorem à petentibus in subsidium advocari?

Quasi vir justus voto continentiæ obstrictus & gravi Concupiscentiæ luctamine arietatus dicendus sit (quia hic & nunc integros & validos non habet ad resistendum, triumphandum lacertos:) ita imbecillis dici debet, ut votum sit *observatu impossibile*, etiam cum Dominum adit & deprecatur, sine quo continens esse non potest.

Item quasi impossibile dicendum sit obstricto ad Eleëmosynas, ad restitutionem &c. Cui hic & nunc non sunt præstò pecuniæ, etiam tunc cum eas ab aliorum misericordiâ & munificentiâ petere & obtinêre possit.

Esto igitur voluntas esset parva & invalida ad faciendum grande mandatum; ideòne hanc voluntatem habenti, & pleniorem indepisci valenti impossibile dici, sanus sensus admittet quod alieno præsidio non modò potest, adauctâ voluntate, observari, sed & reipsâ seu cum effectu observatur saltem ab his qui tantùm petunt & eô modô petunt, quomodò res necessaria petenda est?

Sed hanc orandi facultatem pro acquirendis ulterioribus viribus voluntatis sibi objiciendam præsagus Jansenius, alteram impossibilitatis causam subjicit his verbis.

L. 3 de Grat. Christi c. 13. pag. 335. *Quintum itaque ex eodem principio consectarium est, plurimis non dari istam faciendi præcepti possibilitatem, quæ precibus implorari solet. Quod ex tribus capitibus indubitatum est. Primò quidem quia multi fideles non convertuntur ad invocandam gratiam è quâ solâ vires illæ voluntatis nasci possent... secundo quia non omnes etiam qui petunt à Deo vires illas magnas præcepta faciendi & cupiditatem superandi impetrant, id quod petunt...* rationem dat: *non enim quodlibet quælibet impetrat oratio, sed fervens, sed immobilis, perseverans.* Quod probat ex verbis Augustini: *utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodò & quantùm res tanta petenda est.*

De nat. & Grat. c. 17. Ex eo verò quod justi vel non orent, vel non tantum quantum necesse est ut vires integras robustasque contra inimicas cupiditates obtinêre mereantur, concludit: Deum diu sæpè illam gratiam differre partim ut gratiæ necessitas *magis ipsâ subtractione commendetur*, partim ut homo sibi innotescat, & videat quibus viribus polleat.

Ut verò ostendat, mirum non esse quod homines justi optatas vires non obtineant, imò, quod non usque adeò orent, ut obtineant, fundamenti loco ponit: *Utriusque verò radicis assignatæ causa est, quia & orare Deum gratiæ spiritalis est, ut Ambrosius ait*; &, ut Augustinus: *& hoc ipsum est donum Dei, ut veraci corde & spiritaliter clamêmus ad Deum.*

L. de Don. Perf. c. 23. pag. 336.

Ex quo efficitur, ut & istam gratiam orandi seu postulandi vires voluntatis Deus cui voluerit, & quantum voluerit, largiatur ... Quâ de causa,

nec

nec orare delectat, aut lubet, nisi Deus ut lubeat, inspiraverit, & quando jam lubet, non semper tanto ardore lubet, quanto necessarius est, ut sic petamus, &c... Cum ergo plurimi non petant pag. 337. *gratiam illam quâ possint ac sufficiant præcepta facere, vel non ita petant &c.* concludit: apertissimum esse: *fidelibus multis deesse illam sufficientem gratiam, & consequenter illam perpetuam, quàm quidam prædicant faciendi præcepti potestatem...* Et hinc promanat Jansseniana ista præceptorum in justis conantibus volentibusque asserta impossibilitas.

Ex his enitescit, de mente Jansenii circa Præceptorum aliquorum quoad justos conantes & volentes *impossibilitatem* ambigendum non esse si de verbis loquamur, quæ & defensoribus ejus æquo duriora visa sunt. Quod si impossibilitatem non aliam obtendisset, quam illam impotentiam, quâ fit, ut justi, etiam citra culpam, & operandi & orandi facultate pro Dei beneplacito orbari possent & reipsâ orbentur, nec in hoc Augustinum cum Ecclesia concinentem audiet, sed reclamantem potiùs ac reboantem, ut si justus facere non possit, quod jussum est, citra culpam tamen non amittat, sicut nec omnem agendi, ita nec petendi facultatem. Sed hoc superest ut probemus.

SECTIO II.

Quibus fundamentis nixa sit Ianseniana impossibilitas seu impotentia orationis in justis etiam citra culpam personalem.

SPiritum, qui ubi vult spirat, sicuti *Spiritum gratiæ*, ita *& precum* effundere ubi voluerit, eumque justis propter peccatum originale etiam remissione deletum subducere posse, ita ut nec præcepta Dei servare valeant præsentium virium facultate, neque orare ut possint, primò probat Jansenius ex Doctore Angelico asserente ex S. Augustino divinum auxilium quibuscumque divinitus datur, *misericorditer dari, quibus autem non datur, ex justitia non dari in pœnam præcedentis, aut saltem originalis peccati, ut Augustinus dicit libro de Correptione & gratia.*

2.2.q.2.a.5. ad 1.

Iansſ. l. 3. de Grat. Chr. c. 13. p 337. S. Aug. de Correp. & Grat. c. 11.

Cum enim ibi dixisset Augustinus, inquit Jansenius Angelos & Adamum recenter conditum non fuisse peccaturos cadendo, si gratia ad standum defuisset, de homine jam lapso adjicit: *Nunc autem quibus deest tale adjutorium jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.*

Secundò huc collineat Jansenius, ubi probare contendit, desertionem gratiæ, excæcationem &c. esse effectum divinæ reprobationis: hanc verò fundari in peccato originali, licet remisso. Cumque inter justos reperiantur reprobi qui temporaliter justi sunt, his licet conantibus & volentibus perseverare justo judicio existimat subtrahi ad perseverandum & orandum vires; quia prædestinati non sunt ad regnandum cum Christo

Christo, vel quia non sunt à massa damnationis divinæ gratiæ largitate discreti. Itaque talibus non modò magnum perseverantiæ donum vult denegandum, sed etiam orandi & perseverandi potestatem, sic ut prius a Deo deserti sint quoad auxilium gratiæ orationis & operationis, quam Deum ipsi deserant per culpam. Tractat hoc Jansenius libro decimo de gratia Christi Salvatoris, ubi ait: *non aliam* Augustinum agnoscere reprobationis causam, nisi massæ perditæ meritum seu peccatum originale, quo tota Massa periit: & hoc esse causam non tantum negativæ reprobationis seu non prædestinationis, sed etiam positivæ, quâ videlicet tamquam indignus repellitur ab æternæ vitæ seu regni cælestis beneficio, sive iste parvulus, vel adultus fuerit, sive AD TEMPUS JUSTIFICANDUS, *sive in iniquitatibus totâ vitâ mansurus.*

Ianſ. l. 10. de Grat. Chriſti c. 3. p. 1014. & ſubſeq.

Et cum objiceretur *nihil esse damnationis iis qui sunt in Christo Jesu*, ac proinde non posse dici, quod reprobi, quibus istud peccatum dimissum fuerit, propter peccatum originale damnentur:

Respondet: *Quamvis verum sit, in multis culpam originalem Christi baptismate deleri, culpamque semel deletam non iterum relabendo reviviscere, nec propter illam jam deletam immediatè posse ex regni Cælestis excludi, simul tamen stabile verissimumque manet propter illam culpam, cui obnixus homo jacuit, noluisse Deum ipsi totale beneficium liberationis decernere... ac proinde voluisse eum finaliter in perditione relinquere. Accedit, quod ut ex reliquiis illius peccati, quas non abstersit Christi gratia, fiat quemadmodum diximus, ut in statum perditionis iterum cadat, in eoque maneat & moriatur. Quod eo magis originali peccato imputari debet.. quia concupiscentia ex qua relapsus ille pereuntium nascitur ex ipsius (Aug.) mente sic est originale peccatum, ut*

pag. 1021. &c.

quamvis reatu transierit, actu tamen maneat: & hac de causa, & quia ex peccato nata est, & ad peccatum provocat, peccatum etiam ab Apostolo nominetur.

Et alibi: *Hoc significat Augustinus, quoties vel excæcationis vel obdurationis hujusmodi, ut subtractâ gratiâ fiat homo cæcus aut durus, ad vindictam Dei refert, quâ vel peccatum originale, cui massæ meritò involuti sunt, vel alia peccata inde pullulantia judicij sui æquitate persequitur.* Et rursum: *Palam vides ipsam quoque derelictionem, seu desertionem, quâ Deus non miseretur, nec gratiam tribuit, quâ peccata caveantur, esse effectum reprobantis Dei.*

l. 10. de Grat. Chr. cap. 5. fol. 1024.

fol 1026.

SECTIO III.

Præjacta Jansenij fundamina subruuntur.

JUbemur de Spiritu Domini in bonitate sentire, qui se deserentes justè deserit, & misericorditer desertores sæpè convertit. Doctor Angelicus loquitur illic de Justis nullam desertionis divinæ causam personalem ponentibus, sed generâtim etiam de infidelibus.

Verba S. Thomæ sunt isthæc: *Si in potestate hominis esse dicatur aliquid excluso auxilio gratiæ, sic ad multa tenetur homo ad quæ non potest sine gratia præparante, sicut ad diligendum Deum & proximum, & similiter ad credendum articulos fidei. Sed tamen hoc potest cum auxilio gratiæ, quod quidem auxilium quibuscumque divinitus datur misericorditer datur &c.* neque Patrocinium Jansenio Augustinus exhibet citatus: Adjutorium enim quod deesse refert Augustinus in pœnam peccati (scilicet originalis ut exponitur etiam remissi) est iluld ipsum *quod alijs datur secundum gratiam*

non

non secundum debitum. Quibus id dare Deo placuit, tale est, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus: verum etiam tantùm ac tale sit, ut velimus. Est quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo & perseveranter tenendo non solùm posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. L. de Corr. & Gra. c. 11. Tale autem adjutorium, quod posibilitatem cum effectu conjunctam tribuit, ut alibi loquitur Augustinus, non *omnibus Justis conantibusque* præsto esse, finaliterque solis adesse Prædestinatis Augustinianæ Gratiæ peritis affatim exploratum damus.

Ideòne Jansenio largiendum, & agendi, & orandi potestatem, seu, ut ipse vocat, *possibilitatem* unam ob noxam in Sacramento regenerationis D. J. C. pio cruore detersam justo homini (ponamus à baptismo sinè personalis piaculi additamento emaculatum) denegatam vel denegatum iri? Saltem ad duriora consectaria ista non trahet nos Augustinus usque adeò Jansenio delicioſus. Enim verò ut abs citato libro *de Corceptione & gratiâ* non abeamus, non it inficias Augustinus lapsos à justitiæ tramite, & quidem contra correptiones adversus gratiam depugnantes, ante ruinam stare potuisse superni juvaminis quasi ope nudatos; quin potius & perseverandi facultatem adfuisse & orationis remedium non defuisse luculentissimè attestetur.

Nota est Jansenio, & notior, quam nobis esse debuit, ni vel ipsa intelligendi Augustinum facultas defecerit, Adrumetinorum contra correptionem ex Augustini gratiâ efficaci tela cudentium sæpè numero repetita querela: *Cur corripimur, arguimur, reprehendimur, accusamur? Quid facimus, qui non accipimus?* Qui hæc dicunt, *extra culpam se vidêri volunt, in hoc quod non obediunt* L. de Correp. & Grat. c. 6.

diunt Deo, quiautique obedientia munus ejus est, inquit, Augustinus. Unâ novaculâ poterat murmura hæc abradere Augustinus, si peccatum originale deletum omnis gratiæ peremptorium illi visum fuerat, ut prætendit Jansenius. Diceret namque Augustinus: potuisset hoc Adam dicere si in suæ honore naturæ manssisset, & gratiâ orbatus fuisset: ex quo autem se suamque stirpem vitiavit hanc sibi suisque impotentiam promeruit, quâ ejus vulnere usque adeò claudicemus, ut deletâ etiam culpâ per baptismum originali conqueri possimus, sic nec velle, nec posse, nec petere ut possimus, valeamus. Nimirum, quia licet adjutorium vel Angelo *vel homini cum primum facti sunt defuisset ... non utique sua culpâ cecidissent*; id in vobis locum non obtinet: quia *nunc quibus deêst tale adjutorium, jam pœna peccati est.* Igitur non contra Deum, non contra gratiam Dei utpote penitus indebitam, non contra correptiones, correptoresque murmuratio vestra currat, sed contra Protoplastos qui vos peremêrunt antequam genuêrunt. *Qui tamen postea juste vivendo* (non murmurando) *merito creduntur per Domini Sanguinem ab extremo supplicio liberati.*

L. 2. de pecc. merit. c. 34.

Non his equidem impugnatores prædicatæ a se gratiæ telis retudit; non hocce ratiocinio Adrumetinorum querelas ac murmura obstruxit; sed, quod nos dicimus, asseruit. Inter regeneratos & non regeneratos discrimen posuit: quia in his reatus manet, in illis verò peremptus fuit. In regeneratis perseverandi aliquam potestatem reliquit, ob quam qui lapsi erant excusationem non obtenderent: neque ipsam Adrumetinis conquerentibus de orbitate gratiæ, orandi vires abjudicavit.

Sed cum hoc capitale sit, demonstratum oportet luculentius.

Præ-

Præmissâ itaque Adrumetinorum murmuratione præmemoratâ, S. Augustinus sic eam dirimit. *Nec attendunt, si nondum regenerati sunt, primam esse causam, cur objurgati, quod sint inobedientes Deo, sibi debeant displicere: quia fecit Deus hominem rectum ab initio humanæ Creaturæ, & non est iniquitas apud Deum. Ac per hoc prima pravitas, quâ Deo non obeditur, ab homine est, quia ex rectitudine, in quâ eum Deus primitus fecit, suâ malâ voluntate decidens pravus effectus est...* Et de isto nondum regenerato Augustinus subdit: *Corripiatur origo damnabilis, ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur; si tamen qui corripitur filius est promissionis, ut strepitu correptionis forinsecus insonante atque flagellante, Deus in illo intrinsecus occultâ inspiratione operetur & velle. Si autem jam regeneratus et Justificatus in malam vitam suâ voluntate relabitur, certè iste non potest dicere:* non accepi, *quia* acceptam gratiam Dei sui in malum *libero amisit arbitrio.* Neque hîc de habituali gratia intelligi potest Augustinus, utpote Pelagianorum debellator, qui & in ista gratia & remissione peccatorum accepta latebras dolosas quæsiêrunt prout Pelagianæ versutiæ gnaris compertum est. De alia itaque Gratia actum fuit. Nimirum de quâ idem Doctor alio capite, ubi homini se excusanti dicit: *Homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles. An adhuc & iste nolens corripi potest dicere:* quid ego feci *qui non accepi, quem constat accepisse, & suâ culpâ quod acceperat amisisse?*

De Corrept. & Grat. c. 6.

cap. 7.

cap. 6.

Et quamquam Augustinus asserat: *Negare quidem non possumus etiam perseverantiam in bono proficientem magnum esse Dei munus;* excusantibus se tamen: *Quare damnamur, quandoquidem, ut ex bono reverteremur ad malum, perseverantiam non accepimus quâ permaneremus in bono?* Respondet:

cap. 7.

Non

Nullo modo hâc excusatione à justâ damnatione se liberabunt: si enim, sicut veritas loquitur nemo liberatur à damnatione quæ facta est per Adam, nisi per fidem Jesu Christi; & tamen ab hâc damnatione non se liberabunt qui poterunt dicere, non se audivisse Evangelium, cum fides ex auditu sit: Quanto minus se liberabunt qui dicturi sunt, perseverantiam non accepimus? Justior enim videretur excusatio dicentium non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perseverantiam. Quoniam potest dici, homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perseverares si velles: nullô modô autem dici potest quod non audieras crederes si velles.

Et cum alibi doceat S. Augustinus posse credere esse in nostra potestate, quia illa sunt in potestate; quæ si volumus facimus, quomodò minor erit excusatio dicentium non accepimus audientiam, quam dicentium, non accepimus perseverantiam, nisi justus habeat potestatem, per quam possit saltem obtinêre perseverantiam? Alioquin non major est justo potestas ut perseveret in eo quod accepit; quam infideli ut credat.

Itaque Augustinus vel suppositit Adrumetinos ante lapsum semper habuisse gratiam per quam stare possent, licet reipsâ non starent per eam, vel non habuisse. Si primum, ergò justis conantibus & volentibus juxta vires illas præcepta non erant impossibilia, nec deerat gratia quâ possibilia fierent, licet reipsa justitiâ excíderent: nam de talibus erat Adrumetinorum expostulatio. Si secundum, quomodò exprobrat Augustinus amissam sponte gratiam, quam non acceperant ne caderent? Et quid servit distinctio hominis nondum regenerati, & regenerati, si ob peccatum originale remissum non minus justus quam injustus omni actualis gratiæ subsidio exspoliatur, præsertim si electus non sit?

Et

Et si electi fuerint, non ad originale remissum respicit Augustinus, ut non exorbitent, ut non devient vel ad tempus, sed ne superbiant exhortatur verbis Propheticis & Apostolicis: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore, ne quando irascatur Dominus & pereatis de via justa.* Et, *cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini. Et si qui eorum deviant & exorbitant; etiam hoc ipsum eis proficere in bonum. Sed major causa justorum est, qui damnabiliter exorbitant, & non resurgunt.*

Alterum Jansenii fundamentum nutare faciunt ea S. Augustini testimonia, quæ satiatissimè ostendunt non ad originalem noxam baptismate absersam sed ad personales transgressiones referendam excæcationem, obdurationem, desertionemque: *Quandò legitis in litteris veritatis à Deo seduci homines vel obtundi vel obdurari; nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut justè ista paterentur*, inquit Augustinus... & libro de natura & gratia hominem ad perfectam justitiam perductum asserit non deseri a Deo nisi prius Deum deserat. Et antè in prævaricationem legis refuderat quod lux veritatis hominem deserat, & Pelagio objectanti: *Materiam peccati esse vindictam, si ad hoc peccator infirmatus est, ut plura peccaret*, respondet: *Nec cogitat prævaricatorem legis quam dignè lux deserat veritatis, quâ desertus utique sit cæcus, & necesse est ut plus offendat, & cadendo vexetur, vexatusque non surgat, ut ideò tantum audiat vocem laudis quò admoneatur implorare gratiam Salvatoris.* Imò Romanorum cæcitatem deserente luce sapientiæ invectam, non peccato originali sed personali acceptam refert, probatque ex Apostolo dicente: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificavêrunt aut gratias egêrunt, sed evanuêrunt in cogi-*

Aug. l. de Grat. & lib. arb. c. 21.

De nat. & Grat. c. 26.

cap. 22.

cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Deinde catenam texit graviorum prolapsionum velut præcedentium supplicia peccatorum. Et capite sequenti: *Fortasse respondeat, Deum ad ista non cogere, sed dignos deseri tantum deserere. Si hoc dicit, verissimè dicit: Deserti quippe, ut dixi, luce Justitiæ & per hoc contenebrati, quid pariant aliud, quam hæc omnia quæ commemoravi opera tenebrarum.* Diffusius id probat contra Julianum ostendens Peccata ista fuisse præcedentium pœnas peccatorum, concluditque: *Cum ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atque consentit, vincitur, capitur, trahitur, possidetur.* Et alibi non à peccato originali, sed à superbiâ timendam docet Dei desertionem: *Sola superbia etiam in rectè factis cavenda est. Undè admonentur illi, ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseque extollendo gravius pereant, quam si nil operarentur boni,* quibus dicitur: *Cum timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini: Deus enim est qui operatur in vobis velle & operari pro bonâ voluntate. Quare ergò cum timore & tremore, & non potius cum securitate, si Deus operatur: Nisi quia propter voluntatem nostram, sine quâ benè non possumus operari, citò potest subrepere animo humano, ut quod benè operatur, suum tantum modò existimet & dicat in abundantiâ suâ non movebor in æternum?..* Concludit exinde capite insequenti: *Non itaque dicitur homini, necesse est peccare ne pecces:* Sed dicitur homini: *Deserit aliquantùm Deus unde superbis, ut scias non tuum sed ejus esse, & discas superbus non esse.*

cap. 23.

L. 5. cont. Iul. c. 3.

De nat. & Grat. c. 27.

cap. 28.

Neque hujus desertionis causa esse potest quæ actu manet, *Concupiscentia quæ ex peccato est & ad peccatum inclinat:* nam ut ista inclinatio non facit

facit reum baptizatum nisi consentientem, ita nec Deum movere potest ut illam pœnam, quâ post orcinam atrocior non est, insonti impingat, scilicet desertionis, excæcationis obdurationisque. Alioquin quomodò de illa concupiscentia pronuntiat Augustinus, *ad Agonem interim manet, non sibi adillicita consentientibus nihil omninò nocitura*? Nonne plurimum nocitura, si vel hoc mereatur, soluto reatu, & obtineat tantum quia inest, ut ob eam homo exarmetur necessariô ad in Agone conflictandum vincendumque auxiliô; Si ejus obtentu divinâ opitulatione destertus, nec certare valeat, multò minus superare? Quomodò ad Agonem, & non ad plenum sui dominatum in regeneratâ naturâ perdurat in justis reprobis, si ejus intuitu & reprobentur & ita resistendi virtute destituantur, ut in *statum perditionis iterum cadant*? Neque enim hanc effugere poterunt deprecationis azylo dicentes: *& ne nos inferas in tentationem*, quandoquidem orationis sufficienti præsidio propter originale peccatum reatu abolitum sed actu inolitum meritò orbentur, si non pertineant ad electorum Gregem. Quomodò non nocitura permanet, si nudum & inermem effectura Agonothetam, eumque quâdam necessitatis lege in regnum proprium dominationemque revocatura, ut qui contagione malus fuerat ex Adam natus, actione jam pejor fiat in Christo renatus, & antequam deserat, certandi, vincendi, orandique suppetiis destitutus?

L. 2 de pecc. merit. c. 4.

Sic fortè intellexêre Pelagiani Augustinum dum calumniati sunt eum cum Catholicis asserere: *Baptisma non dare omnem indulgentiam peccatorum, nec auferre crimina, sed radere, ut omnium peccatorum radices in malâ carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata.* Sic & Augustinianæ calum-

L. 1. ad Bonif. c. 13.

niatores doctrinæ in Gallia intelligere visi sunt, quasi doceret: *Quod ab his qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum.*

S. Prosper in Sentent. sent. 2.

SECTIO IV.

Doctrina Ianseniana calumniis Gallorum contra S. Augustini doctrinam consona, à S. Prospero refutata

Objectio Gall. 3.

GAllorum calumnia est: *Quod non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint in Christo per baptismum generati, & piè justèque vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reserventur, donec ruant, & pereant: nec ante eos ex hac vita quam hoc eis contingat auferri.*

Ianenius.

Janseni vox est: Quamvis verum sit in multis culpam originalem Christi baptismate delêri, culpamque semel dimissam non iterum revivisce re, nec propter illam immediatè posse eos regni cælestis hæreditare excludi; tamen propter illam culpam voluisse Deum, finaliter in perditione relinquere.

Resp. ad Gal. obj. 3.

Utrosque Prosper refellit: *Non ex eo necessitatem pereundi habuerunt, quia prædestinati non sunt: Sed ideò prædestinati non sunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præsciti sunt. Quod autem non illos ex eo tempore, Quo in recta fide & bonis moribus erant, abstulit: ad occulta ejus judicia, quæ tamen numquam sunt injusta, referendum est. . . cum itaque non peccatum sit diu vivere, sed malè vivere: quod etiam in paucorum annorum ætate fieri potest. Igitur sicut bona opera ad inspiratorem eorum Deum, ita mala ad eos sunt referenda, qui peccant.*

Deinde

Deinde verba subnectit quibus eorum fauces premat & opprimat: NON ENIM RELICTI SUNT A DEO, *ut relinquerent* DEUM: *Sed reliquêrunt* ET RELICTI SUNT: *Et ex bono in malum propriâ voluntate mutati sunt.* Atque ab hoc licet fuerint justificati, ab eo tamen, qui illos tales præscivit, non sunt prædestinati.

Gallorum calumnia est, *quod per potentiam Deus homines ad peccata compellat.* Deprompta est ex libris contra Julianum signanter quinto, ubi docet quosdam ob præcedentia peccata per Dei potentiam tradi desideriis suis. Illud autem tradi, ut exponit Augustinus, est *desertum à Deo cêdere* desideriis, *consentire*, vinciri, *capi*, *trahi possideri.* *Gall. object. 11.* *Aug. l. 5. cont. Iul. c. 3. & 4.*

Jansenij autem vox est: *Ex reliquiis illius peccati* (originalis remissi) *fieri, ut in statum perditionis iterum cadat, in eoque maneat, & moriatur.*

Utrosque Prosper refellit: *Cum aliquos à Deo aut tradi desiderijs suis, aut* OBDURATOS LEGIMUS *aut* RELICTOS, MAGNIS PECCATIS SUIS *hoc ipsos meruisse profitêmur: quia talia eorum crimina præcessêrunt, ut ipsi sibi pœnas debuerint, quæ eis etiam supplicium verterent in reatum. Atque ita nec de judicio Dei querimur*, QUO DESERIT MERITOS *deseri: & misericordiæ ejus gratias agimus, quâ liberat non meritos liberari.* *Resp. ad obj. Gal. 11.*

Gallorum calumnia est, *quod quibusdam vocatis, & piè justèque viventibus obedientia subtrahatur, ut obedire desistant.* *Objectio 12.*

Jansenij doctrina est: justis conantibus & volentibus juxta præsentes quas habent vires aliqua Dei præcepta sunt impossibilia, deest quoque gratia, quâ possibilia fiant.

S. Prosper utrosque revincit: *Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & benè*

currentem cadere facit: ergò bonis mala retribuit, & injustè punit, quod ut fiat impellit. Quid tam perversum quid tam insanum dici aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus esse præscientiam Dei quod & voluntatem. Cum voluntas ejus numquam velit nisi bona, præscientia autem & bona noscit & mala. Dein ad causam nostram descendit: VIRES ITAQUE *obedientiæ non ideò cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit, sed quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit, ideò eum non prædestinavit.*

Sententi. 7. Gallorum calumnia est: *Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc perseverantiam non dederit, quia à massâ perditionis præscientiâ Dei & prædestinatione non sunt discreti.*

Jansenij vox sonat: *Palam vides ipsam quoque derelictionem, seu desertionem, quâ Deus non miseretur, nec gratiam tribuit, quâ peccata caveantur, esse effectum reprobantis Dei.*

S. Prosper utrosque refellit: *Si hoc vult firmare, quod Deus hujusmodi homines in bonis, quæ donaverat, noluit permanêre, & ipsa eis causa aversionis extiterit, contra justitiam Dei sentit. Quamvis enim omnipotentia Dei potuerit vires standi præbêre lapsuris; Gratia tamen ejus non prius eos deseruit, quam ab eis desereretur. Et quia hoc ipsos voluntariâ facturos defectione prævidet, ideò in prædestinationis electione illos non habuit.*

Similiter respondet ad sententiam duodecimam, & ad sententiam undecimam. De his qui à Deo deseruntur ait: Sentent. 11. *Relinqui à Deo ac sibi ac deceptoribus suis tradi propter præcedentia peccata meruêrunt, ut eis peccatum sit ipsa etiam pœna peccati.*

De

De Justificato autem homine ita loquitur: *Justificatus itaque homo ideſt, ex impio pius factus, nullo præcedente bono merito accipit donum quo medio acquirat & meritum: ut quod in illo inchoatum eſt per gratiam Chriſti, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrii, numquam remoto adjutorio Dei, ſine quo nec proficere, nec permanêre in bono quiſquam poteſt.* ad c. 6. Gall.

Ad objectionem, ut in ſententia, reſpondet: *Quia illos ruituros propriâ ipſorum voluntate præſcivit: & ob hoc à filiis perditionis nullâ prædeſtinatione diſcrevit. Nec tamen calumniandum Deo quare iſtis non dederit, quod aliis dedit.*

Vincentiana calumnia eſt: *Quòd hæc ſit voluntas Dei, ut magna Chriſtianorum pars ſalva eſſe nec velit nec poſſit.* Object. Vinc. Octava.

Janſeniana doctrina eſt: ob-noxam originalem etiam deletam, voluit Deus hominem, omni beneficio liberationis privare, ac finaliter in perditione relinquere, ita ut vel ſalvari nolit, aut ſi velit, non ita velit ut poſsit, & ſi non poſsit, nec orare valeat ut poſsit.

S. Proſper utrumque refutat dicens: *Dei voluntas eſt, ut in bona voluntate maneatur, qui & priuſquam deſeratur neminem deſerit, & multos deſertores ſæpè convertit.*

Vincentiana rurſus objectio eſt: *Omnes fideles & ſancti qui ad æternam mortem prædeſtinati ſunt, quando ad vomitum ſuum relabuntur, vitio quidem ſuo hoc facere videntur: ſed ipſius vitii cauſa eſt divina prædeſtinatio quæ illis latenter ſubtrahit bonas voluntates.* Similis eſt decima quarta. Objectio Vincent. 13.

Janſenii vox eſt: *deſertio effectus eſt reprobantis Dei.*

S. Proſper primò reſpondet ad objectionem duodecimam: *Et quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati. Eſſent autem prædeſtinati ſi eſſent* ad object. 12.

sent reversuri, & in sanctitate ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Deus multis est causa standi, nemini est causa labendi.

Respondet secundò: *etsi ex æternâ scientiâ præcognitum habet*, quid uniuscujusque immeritis retributurus sit, nemini tamen per hoc quod falli non potest aut *necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.*

ad object. 13.

Respondet tertiò: *Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit antequam deserat, & facit plerumque, ne deserat, aut etiam si discesserit, ut redeat. Cur autem illum retineat, illum non retineat; nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare; cum scire sufficiat, & ab illo esse quod statur, & non ab illo esse quod ruitur.*

ad object. 14.

SECTIO V.

Solvuntur argumenta ex S. Augustino deducta.

De Corrup. & Grat. c. 8.

PRimò objici potest illud Augustini: *Mirandum est quidem, multumque mirandum, quod filiis suis Deus quibusdam quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non dat perseverantiam; cum filiis alienis scelera tanta dimittat, atque impertitâ gratiâ suâ, faciat filios suos. Quis non hoc vehementissimè stupeat?* tandem concludit: *cur aliis detur, aliis non detur, sine murmure adversus Deum dignentur ignorare nobiscum.*

S. Prosper ad object. Gall. 7. ad sent. 7.

Similiter S. Prosper: *Confitendum est, & misericorditer eum dedisse quod Dedit, & justè non dedisse quod non dedit.* Aliter respondet ad sententiam septimam: *Quamvis enim omnipotentia Dei po-*

potuerit vires ſtandi præbêre lapſuris : gratia tamen ejus non prius eos deſeruit, quam ab eis deſereretur. ita penè loquitur S. Auguſtinus : *temporales ſunt, nec perſeverant, deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto.* De Correp. & Gra c. 13.

Reſpondeo de ipſo finalis perſeverantiæ dono, quô fit ut non niſi juſti uſque in finem perſeverent, Nos non agere. Sed cum juſtis conantibus & volentibus perſeverare poſsibile ſit, ſeu gratia adſit quâ poſſent perſeverare, & hâc dicimus citra culpam privari non poſſe; Quamquam perſeverandi poſsibilitas quâ *poſſint & velint* & reipſa perſeverent *divinæ gratiæ largitate donetur.* cap. 12.

Quod dixeris juſtos non electos perſeverare non poſſe, quia Auguſtinus aſſerit electos, *ideo poſſe*, quia *ſic volunt* : ideo ſic *velint*, quia *Deus operatur ut velint.*

Reſpondetur: Auguſtinum de perfecta & plenâ poteſtate quæ effectum infallibiliter inferat, loqui. Nam excuſationem non habituros aſſerit Auguſtinus eos, qui dicebant : *perſeverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono : quia eis reſponderi poteſt homo in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles.*

Neque iſta, quæ Juſtis non electis tribuitur non labendi facultas cum Adamæa convertitur, utpote quæ à gratiâ per ſe efficaci dimanat bonamque voluntatem & conantem complectitur, licet à ſuperveniente tentationis procellâ ſuperetur : quod ut ne eveniat ſpeciali Perſeverantiæ fulcimine opus eſt, ac ſingulari Protectionis divinæ Juvamine.

Secundò objici poteſt ex libro de bono perſeverantiæ : *ex duobus piis, cur huic detur perſeverantia uſque in finem, illi autem non donetur, inſcrutabiliora ſunt Judicia Dei. Illud tamen fi-* De Dono Perſev. c. 9.

delibus

delibus debet esse certissimum, hunc esse ex prædestinatis, illum non esse. Igitur è duobus volentibus & conantibus unum adjuvat Deus ne cadat, alterum deserit, & utrumque non deserentem se.

Respondeo aliud est conantem & volentem fortiori gratiæ munere non firmare, aliud omni persistendi potestate nudare. Quod ergò unum interiùs exteriusque singulari munere protegat, muniat, atque custodiat usque in finem, est gratuitæ Prædestinationis effectus; quod id neget alteri, occulti sed Justi est Judicii divini. Sicut non debuit Hominem stantem in Paradiso à tentatione præservare, sic non debet Justum lapsum perseverantiæ munere præmunire. Hâc lege quidem potuit originalem noxam remittere, ut contra relapsum habêret potestatem, sed non semper plenam cum effectu maritatam voluntatem.

cap. 16. Tertiò *Deum alia etiam non orantibus, sicut initium fidei; alia non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantiam.* Constat autem Justos non electos eam non petere quantùm & quomodò petenda est: *nam propter perseverandum oportet orare & non deficere.* Audiunt hæc & faciunt *quibus datum est; non autem faciunt, sive audiant sive non audiant, quibus non datum est.* Igitur Justis conantibus & volentibus, si non sint Prædestinati, potestas deest perseverandi, quia deest & gratia orandi.

cap. 14.

Respondeo vel sunt conantes orare vel non sunt. Quod non conentur & velint orare, ut debent, Præcedentium est pœna Peccatorum, quia divinæ gratiæ restitêrunt. Si autem conentur & velint orare, reipsâ ostendunt quod possint; & quod non orent ut debent, ut Perseverantiæ donum accipiant, sibi imputent quod

Spi-

Spiritum precum cupiditatis suæ frigore exstinxêrunt. Quomodò ista fiant quis comprehendat? *Numquid ideò negandum est quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est?*

Quartò S. Augustinus hanc Massilienſium objectionem contra Prædestinationem: *si qui obeditis, si præsciti estis reiiciendi, obedire cessabitis.* Verissimam esse asserit, sed *improbissimam, importunissimam, incongruentissimam, non falso eloquio, sed non salubriter valetudini humanæ infirmitatis appositam.* ergò verum est quod Justis conantibus volentibusque *subtrahentur obedientiæ vires,* si fuerint rejiciendi, sive reprobati. cap. 22.

Respondeo agi de viribus plenis & integris ad obedientiam actu præstandam: plenis & expeditis, quæ de singulari dono perseverantiæ veniunt.

Quod aliquæ vires in istis maneant, quæ impossibilitatem perseverandi tollant, indicat S. Prosper ad similem Gallorum objectionem, ubi in hunc modum respondet: *Vires itaque obedientiæ non ideò cuiquam subtraxit, quia eum non prædestinavit, sed quia recessurum ab ipsa obedientiâ esse prævidit, ideo eum non prædestinavit.* Et alibi: *non enim relicti sunt à Deo ut relinquerent Deum, sed reliquêrunt, & relicti sunt.* Object. 12. Gallorum. ad object. 3

Et rursus: *Si autem ab his receditur, & ad vitia atque peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit antequam deserat . . . cur autem illum non retineat, nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare.* ad object. 14. Vincent.

Et iterum; *nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant.* Casuri tamen & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur ad objct. 16.

Nemini tamen *aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi.* ad objct. 13.

Imo de lapsis justis dicit: *Qui voluntatem Dei speverunt invitantem; voluntatem Dei sentiunt vindicantem.* ad objct 16.

De-

Demùm objici potest Petri lapsus, qui antequam caderet, justus fuit, atqui tamen fuit à Deo desertus ita ut Christo fidelis permanêre non posset; igitur & aliis idem justis timendum, cum sit Petrus omnibus positus in exemplum. Major propositio ex Evangelio Joannis & SS. Patrum contestatione claret. Quod autem fuerit desertus ob levem præsumptionem, & derelictus gratiæ Magistrum negaverit, Patres quoque attestantur, & addunt, Petrum non *potuisse tenêre constantiam, non potuisse pro Christo mori &c.* ergo idem de justis quibusdam conantibus & volentibus asserendum & quod non possint, & quod sit eis impossibile. Nam

S. Basilius homil. 22. de humilitate.

De Petro dixit S. Basilius: *humanæ traditus est pusillanimitati, & prolapsus est in negationem; lapsu institutus ad pietatem.*

S. Chrysost. hom. 72. in Ioan. L. de Correp. & Grat. c. 9. Serm. 124. de tempore.

De Petri lapsu S. Chrysostomus ait: *Superni auxilii derelictu contigit*, Et alibi: *divino tamen subtracto auxilio cecidit.*

De eodem S. Augustinus: *avertit ab illo faciem suam Dominus.* Et rursus: NISI DESERTUS NON NEGARET; *respectus non fleret.*

S. Hilarius in Psal. 52. S. Chrys. ho. 31. in Ep. ad Hebræos, S. Aug. Ser. 106. de div. Serm. 24. de tempore.

De Petro lapso S. Hilarius ait: NON POTUIT *tenere Constantiam.*

De eodem rursus S. Chrysostomus dicit desertum, ut sciret: *quod absque Deo nihil potest fieri.*

De eodem S. Augustinus: *secutus est Dominum passurum, sed non potuit sequi passurus.*

Item: *Ideò Beatum Petrum Paululum Dominus subdeseruit, ut in illo totum humanum genus posset agnoscere, nihil se sine Dei gratiâ prævalêre.*

Respondetur 1. cum Sancti Patres non in culpam originalem, sed in actualem S. Petri culpam refundant hanc Petri sub-desertionem; hinc collabi fundamentum de-relictionis & desertionis à noxâ originali dumtaxat petitæ. Res-

Reſpondetur ſecundò Petrum non ita fuiſſe deſertum, ut eſſet ei *impoſſibile* Chriſtum non negare.

Reſpondetur 3. S. Petrum fortè non fuiſſe de Numero conantium & volentium, & juxta Domini monitum vigilantium & orantium, ſed de Numero præſumentium & in abundantia cordis dicentium: *Non movebor in æternum*: de quo dicit S. Auguſtinus: *ſibi feſtinando tribuens, quod ei fuerat à Domino poſtea largiendum, avertit autem ab illo faciem Dominus & factus eſt conturbatus.* L. de Corr. & Grat. 9.

SECTIO VI.

An ſinat Deus hominem Iuſtum in peccatum lethale prolabi damnabiliter ob ſuperbiam venialem?

A Poſtolorum verticem ob levem quidem præſumptionem ſibi eſſe relictum & in negationem Domini ac Magiſtri ſui prolapſum fuiſſe, ſuperius vidimus. Sed hôc lapſu ad *pietatem inſtitutum* dixit Magnus Baſilius. Sed *confeſtim divinam nactus eſt gratiam*, inquit Theodoretus. Deſertum reliquit, *ut ſuam ipſe intelligeret imbecillitatem*, ait Chryſoſtomus. Sed nunc quæritur num ob leve ſuperbiæ peccatum Deus hominem juſtum in peccatum mortale, è quo numquam reſurgat, cadere permittat? S. Auguſtinus refundit in ſuperbiam quod Dominus Deus bonus Sanctis ſuis alicujus operis juſti non tribuat vel *certam ſcientiam vel victricem delectationem, ut cognoſcant non à ſeipſis, ſed ab illo eſſe lucem, quâ illuminentur tenebræ eorum, & ſuavitatem quâ det fructum ſuum terra eorum.* Et rurſus: *idcirco etiam Sanctos & fideles ſuos in aliquibus*

quibus vitiis tardius sanat, ut in his eos minus, quam implendæ ex omni parte justitiæ sufficit, delectet bonum, sive cum latet, sive cum etiam manifestum est... Nec in eo ipso vult nos damnabiles esse sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam, ne facultatem in omnibus assecuti nostrum putemus esse quod ejus est. Qui error multum est religioni pietatique contrarius. Non ideò tamen in eisdem vitiis nobis permanendum esse existimemus, sed adversus ipsam maximè superbiam, *propter quam in eis humiliamur*, & nos vigilanter conemur, & ipsum deprecemur ardenter, simul intelligentes & quod sic conêmur, dono illius nos habere.

L. 2. de Pec. merit, c. 19.

Multum equidem nos ferire debet illa sententia: *Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore: ne quandò irascatur Dominus & pereatis de via justa.* Quid ostendens, nisi ut non superbiamus, sed humiles simus? His verbis usus est & Apostolus, ubi ait: *cum tremore vestram ipsorum salutem operamini.* Non habebat hunc timorem & tremorem, qui dicebat in abundantiâ sua: *Non movebor in æternum*: sed quia erat filius *promissionis*, non *perditionis*, Deo Paululum deserente quid esset ipse, *Domine*, inquit, *in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem; avertisti faciem tuam & factus sum conturbatus. Ecce doctior, & ob hoc etiam humilior tenuit viam jam dicens & confitens in voluntate sua Deum decori ejus præstitisse virtutem, quod sibi ipsi tribuens & de se præsumens in tali abundantia quam præstiterat Deus, non de illo qui illam præstiterat, dicebat: non movebor in æternum. Factus est ergò conturbatus ut se inveniret, & humiliter sapiens non solum æternæ vitæ, verum etiam in hâc vita piæ conversationis & perseverantiæ, in quo spes habenda esset, addisceret*: hæc vox & Apostoli Petri esse potuit: dixe-

dixerat quippe & ipse in abundantia: *animam meam pro te ponam, sibi festinando tribuens, quod ei fuerat à Domino largiendum.* L. de Cor. & Grat. c. 9.

Multùm etiam movere non debet quod idem Doctor ad Marcellinum: *Ignorantiæ igitur & infirmitas vitia sunt, quæ impediunt voluntatem ne moveatur ad faciendum bonum, vel ab opere malo abstinendum. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates: Quâ ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ: sive contra ipsam suam superbiam, judicandi & erudiendi, si filij sint misericordiæ.... Nullius proinde culpæ humanæ in Deum referas causam. Vitiorum namque omnium causa superbia est.* L. 2. de Pecc. merit. c. 17.

Ideò quisque nostrum opus suscipere, agere, implêre nunc scit, nunc nescit; nunc delectatur, nunc non delectatur, ut noverit non suæ facultatis sed divini muneris esse vel quod scit, vel quod delectatur: ac sic ab elationis vanitate sanetur.

Non credo tamen Justos damnabiliter deserendos ob superbiam quam penitus in hac vitâ superare, calcare & obterere non possunt quantumque cum tremore Domino serviant salutemque operentur. De quâ superbiæ plenâ victoriâ hîc numquam obtinendâ idem Doctor: *Altius Dei consilium me fateor ignorare, cur etiam ipsam superbiam, quæ & in factis animo insidiatur humano, non citò Deus sanet, pro qua sananda illi piæ animæ cum lacrimis & magnis gemitibus supplicant, ut ad eam superandam, & quodammodò calcandam & obterendam dexteram conantibus porrigat. Ubi enim lætatus homo fuerit in aliquo bono opere se etiam superasse superbiam, ex ipsâ letitiâ caput erigit,* & dicit: Ecce ego vivo: *quid triumphas? Ante tempus enim fortasse de illâ quasi* De nat. & Grat. c. 31.

victâ

victa triumphare delectat, cum extrema ejus umbra illà meridie, quantum arbitror absorbebitur.

cap. 19.

Proinde nec in eo ipso vult *nos damnabiles esse sed humiles* supernus Medicus, qui licet omnia sanare possit, hic agit *judicio suo, nec ordinem sanandi accipit ab ægroto.*

L. de nat. & Grat. c. 27.

SECTIO VII.

Sitne consentaneum Divinæ bonitati hominem Iustum ab omni noxa veniali adhuc immunem orbare gratiâ tam orationis quam operationis, sic ut nec possit Dei præcepta servare, nec petere ut possit? atque ita ob peccatum ex tali impotentia commissum damnetur?

Cornelius Jansenius id facilè affirmabit divinæ bonitati, quæ etiam justa est, apprimè congruere, cum sentiat desertionis ac derelictionis causam esse reprobationis, divinæ decretum; causam verò reprobationis quatenus excludit media salutis æternæ, esse *peccatum originale*, licet remissum. Propter quod fiat, ut homo adultus v. g. baptizatus *in statum perditionis iterum cadat, in eoque maneat & moriatur.* Sed quam sint ista horrifica ex S. Augustini principiis demonstratum imus.

Primò, S. Augustinus ad quæstionem sibi propropositam, cur remisso peccato maneat debitum mortis, cum mors ipsa sit peccati effectus, cur non ob noxam ejectus Adam jam eductus de peccato in Paradisum seu sedem deliciarum restitutus?

L. 2. de pec. merit. cap. 34.

stitutus ? Respondet : *remissionem peccati factam, ne homo à vitâ percipiendâ impediretur æternâ*: subsecutum vero illius comminationis *effectum, ut pietas hominis in illâ humilitate exercerêtur atque probaretur. Sic & mortem corporis propter hoc peccatum Deus homini inflixit, & post peccatorum remissionem propter exercendam justitiam non adêmit.* Censet igitur Augustinus post remissionem peccatorum non potuisse permanêre illam pœnam per quam homo à *vitâ percipiendâ impediretur æternâ.* Nam in hoc consistit Antithesis inter *remissionem peccati & mortem corporalem*; quod hæc vitæ æternæ non obsit, sicut obesset si culpâ usque ad alteram vitam protelaretur. Juxta Jansenium verò post remissionem culpæ originalis manet pœna per quam certò & infallibiliter homo baptizatus à vitâ æterna percipiendâ impeditur : quia eam consequi non potest homo ille nisi observando mandata Dei; quæ utique servare non potest qui gratiâ destitutus est, quia saltem orare possit, ut ea adimpleat; atque ita necessitatur ut in perditionis statum revolvatur. Quanta ergò erit illa remissionis gratia, post quam infallibiliter sufficienti destitutus auxilio filius Dei adoptatus ad servitutum diaboli continuò redit, & à percipiendâ cælesti hæreditate exulare quâdam peccandi necessitate compellitur ? Quas ille Regeneratori gratias debet qui si regeneratus non fuisset mitissimam damnationem incidisset; nunc autem gravissimam quia Sanguinis Christi conculcator, Sacramenti temerator, pactique violator effectus, & aliter juxta indeptas ad standum in justitia vires esse non potuerit ? Sane Augustinus non eas tribuit remisso peccato vires, ut post hanc vitam obsint, sed ut ad certamen fidei in agone justitiæ justos exerceant & erudiant quæ permanent pœnæ. Nam

L. 2. de Pec. merit. c. 33. objicientibus Pelagianis *si peccato mors ista corporis accidisset, non utique post remissionem quam redemptor nobis tribuit, moreremur;* respondet: Non intelligunt quomodo res, quarum reatum, *ne post hanc vitam obsint, Deus solvit, tamen eas ad certamen fidei sinit manere, ut per illas erudiantur; & exerceantur proficientes in agone justitiæ. Ut* c. 34. *magnus a proficientibus superetur . . . cujus timorem qui vincit ex fide, magnam ipsius fidei comparat gloriam justamque mercedem.*

At verò pœna ista, quam ex peccato donato superstitem Jansenius comminiscitur, id est, omnis divinæ *gratiæ desertio*, quæ & ipsum posse *orare* eripit baptizato, nonne ad hoc servit, ut *post hanc vitam* obsit, utique per peccatum quod individuum ceu corpus umbram illam desertionem sequitur? Non ista pœna ad perditionis statum reum suum revocat, & orco restituit? Non ad erudiendum aut exercendum in agone Palæstritam juvat; sed in perpetuam cladem præcipitat. An non habet hic unde quæratur quod ita non deserens Patrem Filius, à Patre misericordiæ tamen deseratur? Sic obedientiæ viribus exuatur, sic à pietate deturbetur ac si inter filios Dei nunquam fuisset censitus? Absit ut Deus cujus natura bonitas, cujus opus misericordia est, qui homini Spiritum suum dedit, Spiritus adoptionis, & divinæ naturæ consortem efficit, qui & pretiosa dona ei dedit, immerentem deserat, omnibus actualibus dispoliet auxiliis, nudumque & inermem hostibus vulnerandum, jugulandum, mactandum objiciat. Non patiebatur olim justitia Dei, auctore Augustino ut Imago illa *Insons Pelagiana, infantilis innocentia* alienaretur à Vita Dei; spernetur à Deo, & jam sinet ut regeneratus in Christo, ablutus sanguine, dotatus fide, ita spernatur,

ut

ut nîl actione peccaverit, necessariâ salutis ope, necessariis ut possit Deo inhærere adminiculis ita destituatur, ut nec possit tenêre adoptionis Gratiam quam accepit, nec stare in Domino à quo accepit, nec adjutorem invocare, sine quo nec velle, nec posse habet, nec facere? Sed hæc est secunda probatio Augustini ratiocinio adversus Pelagianorum Principem diducto stabilienda.

Itaque cum diceret Julianus: *Quos enim fecit quia voluit, nec condemnat nisi spretus, si cum non spernitur, faciat consecratione meliores, nec detrimentum Justitiæ patitur, & munificientiâ miserationis ornatur*, scilicet aliquos per baptismum adoptando, alios non adoptando quos utrosque rebatur innocentes.

Respondet Augustinus: *Si non condemnat nisi spretus, dic utrum spernat imaginem suam nisi spretus? Quod si non audes, dic unde spernat parvulos quos non adoptat, in quibus eum spretum non invenies, nisi eos invenias in Adam, ubi simul invenias ut spernantur deberi omnes per justitiam, nec tamen sperni omnes propter ineffabilem & inscrutabilem gratiam?* Ubi urget Augustinus quod Deus imaginem suam licet insontem sperneret non tamen ab ea spretus, si Parvulum à reatu liberum gratiæ adoptionis faceret exortem, atque ita propter baptismi denegationem à regno suo exulem faceret. Quod à fortiori locum obtinet in parvulo non modò innocente, sed jam adoptionis gratiâ facto meliore, & jus ac pignus cælestis hæreditatis consecuto, & cum ad adultam ætatem emerserit etiamnum innocente. Minus enim erat spernere imaginem naturâ bonam, qualem finxêre omnem parvulum Pelagiani, & baptismi prærogativâ excludere, quam adoptionis gratiâ factum ex malo bonum & ex filio

L. 1. op post. cap. 40.

diaboli filium Dei ac membrum fratremque Salvatoris destituere necessariô salutis remediô, quod procul dubio cuilibet adulto est medicinalis gratia Christi, quæ non tantum ad hoc necessaria est ut peccata remittat, sed & ut justificatus peccata valeat evitare, & præcepta servare. Siccine ergò non spretus (nam quod per Adamum spreverat in baptismo donatum est) Deus ob noxam remissam spernet imaginem suam piô Unigeniti cruore tinctam, ut quam accêpit in pignore, non possit opere ac meritis obtinêre salutem? Non possit ad quod conditus est & regeneratus homo conditorem Redemptoremque pro officii sui debito diligere, ac mandata ejus adimplêre?

Non minus premit horridam hanc inclementiam ejusdem Doctoris alterum responsum. Intonat Julianus: *Christus, qui est sui operis Redemptor auget circa imaginem suam continuâ largitate beneficia: Ut quos fecerat condendo bonos,* Ibid. c 53. *facit innovando adoptandoque meliores.*

Augustinus autem reboat: *Cur ergò cetera multis negat Deus parvulis qui sine hâc gratiâ in illâ ætate moriuntur?* Cur, inquam, *non eis datur illuminatio Spiritalis, adoptio filiorum Dei, Municipatus Hierusalem Cælestis, Sanctificatio, atque in membra Christi translatio; & possessio regni cælorum? Hæccine tot munera tam necessaria, tot imaginibus suis* NULLUM SECUNDUM VOS PECCATUM HABENTIBUS *negaret Deus, penes quem summa potestas, cum hoc beneficium non à se prohibeat voluntas contraria parvulorum?.. Non igitur eam Dei omnipotentis æquitas negaret innumerabilibus parvulis, qui sine hâc sub ejus omnipotentiâ moriuntur, si mali nihil in ejus occulto judicio mererentur.* Vis argumenti ea est: Si parvuli nil habeant, ob quod occulto Dei judicio à baptismo, & aliis inde

inde profluentibus bonis arceantur, si hoc beneficium non à se arceat seu voluntas seu iniquitas imaginum Dei, prout tu Juliane adversus Ecclesiam Catholicam sustines, non est æquum ut Deus illos non faciat naturâ bonos, etiam adoptionis consecratione meliores, & regni sui Cohæredes.

Lubet simili argumento uti: Si baptizatus nullum habeat peccatum, si veram est consecutus originalis culpæ remissionem, cur ei Deus tam necessarium munus nullum peccatum habenti, nec Deum offendenti negaret, cum hoc beneficium gratiæ (quâ possit in bono perseverare) non à se prohibeat voluntas baptizati? Æquius enim erat hominem naturâ bonum baptismi privare beneficio, quam filium Dei adoptivum, divinæque naturæ consortem, opitulationis paternæ necessariæque ad permanendum in bono potestatis munere spoliare. Si-quidem Pelagianus iste insons parvulus necdum jure fuerat potitus vel adoptionis vel municipatûs cælestis; & tamen vel ex eo quod innocens assereretur, non videbatur Augustino justè privandus, quia procul dubio noverat magnam esse pœnam non esse in Patria, alienari à vitâ Dei imaginem Dei. Quomodò ergò potuisset æquum videri quod filiius Dei alienaretur à vita Dei ob culpam quam non ob aliam causam vitare non potest, quam quia à Deo Deique beneficio segregatus fuit? Alioquin regerere poterat Julianus: Si tibi justum est Augustine, quod homo justus & sanctus adoptionis gratiâ donatus privêtur auxilio gratiæ, sine quo ad salutem pertingere non potest qui ad salutem æternam pignus accêpit: quomodò injustum erit, quod aliquos, licet innocentes, adoptionis gratiâ non dignêtur? Gratia enim ista est indebita. Et si tua sit indebita bap-

tizato, hæc minus debita fuit naturaliter tantum bono.

Quod si unius ob noxæ reatum regeneratione deterſum omni actualium genere gratiarum orbitate dignus, uti & morti corporali obnoxius maneat baptizatus.

Argum. 1. *L. 2. de pecc. merit. c. 5.* Ut quid Auguſtinus aſſerit de Deo: *Converſos adjuvat, averſos deſerit?*

Argum. 2. *De nat. & Grat. c. 28.* Ut quid ſuperbienti intorquet: *Deſerit aliquantum Deus unde ſuperbis. Ut ſcias non tuum ſed ejus eſſe, & diſcas ſuperbus non eſſe:* Si Deus deſerat necdum ſuperbientem, nondum offendentem Deum?

Argum. 3. *Ut quid* Juſtos & ſanctos omnes, ut ſuperbiam fugiant, ut cum timore & tremore Deo ſerviant, ne deſerantur, jugiter inhortatur, ſi & antequam ſuperbiant pro debito originalis peccati ſemper deſeri mereantur?

Argum. 4. *Ut quid* Sanctimonialibus timorem incutit, ne manu ſuperbiæ Virginitas decutiatur, ſi Adamæa ſuperbia id reliquit eis inſitum, unde certò ruatur?

Argum. 5. *Ut quid* Adrumetinis orbitatem gratiæ in excuſationem adſciſcentibus, Adamæam in quâ peccaverunt, non regerit voluntatem, ſed amiſſam, quam acceperant, improperat gratiam?

Argum. 6. *Ut quid* Excæcatorum & obduratorum pœnas magnis imputat ſceleribus propter quæ ſuis deſideriis relinqui meruêrunt; cum una ſat ſuperque id præſtare valeat Adami inobedientia generatione attracta, & regenerarione donata, cujus merito univerſa generis humani maſſa indigna perſevêrat Liberatoris auxilio & omni gratiæ beneficio, utpote una ipſa ſufficiens ferali reprobationis decreto? Si enim ob hanc originalem culpam homo recens è baptiſmo emaculatus

jam

jam rationis compos priusquam vel minimo famine immaculatam innocentiæ receptæ tunicam aspersit etiam dignus habeatur, qui stándi in bono potestate exarmetur, quantò magis qui culpas leves accumulaverit; licet in gravia nondum delapsus?

Ut quid tam disertè asserit Deum non *deserere nisi deseratur*, si antequam vel leviter se ab eo averterit deseratur? *Argum.* 7.

Ut quid ad legis prævaricationem convolat, ut inveniat meritum quo lux occidat veritatis, cum, priusquam legem violet, ob Prævaricationem Adæ meritò in tantis tenebris relinquatur, ut nec pateat quid agendum sit omittendumque: aut si non lateat, non delectet: vel ut lex impleatur, vel Dei adjutorium implorêtur? *Argum.* 8.

Ut quid per bona opera certam nostram electionem facere ab Apostolo commonêmur, cum illa, quæ in Dei memoria permanet, originalis noxa sat momenti habeat, ut benè viventes à pietate deturbet, accedente etiam venialium turbâ peccatorum? Quæ jam suppetent prædestinationis nostræ pia præsagia & solatia, quæ corrigant, anxietatemque deprimentem depellant, si ad ruinam mortemque secuturam sempiternam sufficiat in Adamo cecidisse illis qui per secundum Adamum erecti fuerint atque sanctificati, Christique Spiritu vivere studuerint eumque imitari? *Argum.* 9.

Profunda quidem esse gratuitæ Prædestinationis mysteria non ambigimus, quia de perseverantiæ munere incerti sumus; verumtamen de Domino sentire jubêmur in bonitate, cujus ea indoles est ut immerentem non deserat. Et licet ob culpam originalem miseriis hujusce vitæ animæ & corporis obnoxium, non tamen illius vinculi reatu constrictum habet sic ut nec mala cavêre,

nec bona velle & facere, aut saltem auxilium quo possit, valeat à Domino virtutum efflagitare.

SECTIO VIII.

Famosum illud S. Augustini effatum discutitur: Deus .. non deserit si non deseratur. l. de nat & grat. c. 26.

Jans. l. 3. de Grat. Chr. c. 19. f. 367.

fol. 365.

SI desertionem Dei, quæ fit actualis gratiæ subtractione spectare voluerimus, nimis enormiter ab Augustini mente discedunt, qui ei illud paradoxum, & quidem postquam per Adami lapsum in statum damnationis & iræ Dei, præcipitati sumus, imponere volunt, inquit Cornelius Jansenius. Proinde contendit sensum esse: *Quod Deus Neminem deserit ab eo discedendo, ipsa scilicet subtractione Justitiæ, nisi homo prius Deum per inobedientiam deserat, quod ex diversis Augustini locis, ubi illam sententiam vel fundamentum ejus tangit, evidenter liquet.* Jansenii fundamenta erunt argumenta posteà diluenda. Itaque

Dico S. Augustinum laudato in loco de solius habitualis gratiæ seu justitiæ, per quam Deus hominem justum inhabitat, desertione non esse intelligendum, sed etiam de subtractione actualis gratiæ ad benè vivendum requisitæ Pro cujus elucidatione

Prænotandum censeo de habituali gratiâ Augustinum cum Pelagianis non fuisse umquam conflictatum, prout fatêtur & probat ipse Jansenius: hanc enim Pelagius & julianus disertè admisêrunt; sed in hoc illos reprehendit Augustinus atque rejicit hæreticos, quod illud auxilium, non habituale, sed actuale tollerent quod

pro

pro futuris peccatis vitandis etiam justi petere jubentur oratione Dominicâ : *ne nos inducas in tentationem.*

De Pelagio constat : nam in Commentario epistolæ ad Romanos cap. 5. scribit : *Quare multa peccata dimisit abundantia donationis Spiritus sancti? Quia multa sunt dona. Ipsa enim justitia donatur per baptismum, non ex meritis possidetur.*

Dicunt Pelagiani hanc solam non secundum merita nostra dari gratiam, quâ homini peccata dimittuntur, inquit S. Augustinus : *videtisne* inquit alibi, *quemadmodum non dicat necessariam misericordiam ne peccemus, sed quia peccavimus ?* Refutat autem: *Numquid quia deleta est iniquitas, finita est infirmitas ? Prorsus verum est, deleta sunt cuncta peccata in Sacramento baptismatis : cuncta prorsus, dicta, facta, cogitata, cuncta delera sunt. Sed hoc est, quod infusum est in via oleum & vinum.* L. de grat. & lib. arb. c. 6. De nat. & Grat. c. 26. Serm. 2. de Verb. Apost. cap. 6.

Nam utique errori ejus indultum fuit : *& tamen sanatur languor ejus in stabulo.*

De Juliano pariter claret : *Nam baptismi gratiam spiritalibus locuplêtem donis credit, quæ multis opîma muneribus ac reverenda virtutibus pro infirmitatum generibus & humanorum statuum diversitatibus una tam remediorum collatrice quam munerum virtute medicatur.* Item : *quod diversas species reatuum vi consecrationis abstergat.* Item : *gratia infusa semel, uno virtutis suæ impetu atque compendio diversa & plurima delet crimina.* Et de baptismo parvulorum palam edicit quod quos Deus fecerat *condendo bonos, facit innovando adoptandoque meliores.* S. Aug. l. 1. op. imp. f. 58. L. 2. f. 314. Fol. 421. L. 1. f. 53. & l. 3. cont. Iul. c. 3.

Proinde libro de natura & gratia contra Pelagium disceptanti de gratia habituali, deque ejus permansione donec homo Justificatus mortaliter delinquendo Deum justificantem deserat nequivit palmaris ea vidêri controversia. Nam

sine sui erroris præjudicio poterat Pelagius illud dissidium componere & dexteram dare. Itaque lis erat, num sat esset hominem ad perfectam sanitatem, hoc est, justitiam esse perductum per medicantem habitualem gratiam; num verò ultra hoc præter oleum vinumque vulneribus infusum non sit ea Medici præsentia quæ eum curet, præservet, & bene currere seu benè vivere faciat, utique actualis medicamento juvaminis.

Objicit Pelagius: *Medicus ad curandum jam vulneratum paratus esse debet; non debet autem ut sanus vulneretur optare.* Arripit hanc similitudinem Augustinus, & ostendit Deum plus aliis Medicis præstare, utpote qui non modò saucium curat & sanat, sed etiam sanato & immanet atque ita commanet, ut & à vulnere præservet, ni medici manus sponte deserat. *Sanat ergò Deus*, inquit, *non solum ut deleat, quod peccavimus* (quod Pelagius concedebat in adultis) *sed ut præstet etiam, ne peccemus.*

Totum textum inspiciamus: *Sicut ergò vulnere verbi gratiâ claudicans ideò curatur, ut sanatò malò futurus dirigatur incessus: sic mala nostra non ad hoc solum supernus medicus sanat, ut illa jam non sint, sed ut de cætero rectè ambulare possimus; quod quidem etiam sani non nisi illo adjuvante poterimus. Nam Medicus homo cum sanaverit hominem, jam de cetero sustentandum elementis, & alimentis corporalibus, ut eadem sanitas apto subsidio convalescat, atque persistat, Deo dimittit: qui præbet ista in carne viventibus, cujus erant etiam illa, quæ, dum curaret, adhibebat. Non enim quisquam Medicus ex his rebus, quas ipse creaverit, sanat, sed ex illius operibus, qui creat omnia necessaria sanis atque vitiosis.*

Ipse autem Deus cum per Mediatorem Dei & hominum hominem Jesum Christum spiritaliter sanat ægrotum vel vivificat mortuum, id est justificat impium,

pium; & cum ad perfectam sanitatem, hoc est, ad perfectam vitam Justitiamque perduxerit, NON DESERIT SI NON DESERATUR. At quid? UT PIE SEMPER RECTEQUE *vivatur*. Quomodò non deserit? Quia Gratiam habitualem non eripit nisi deseratur, inquit Jansenius. Ergòne illa est gratia, quâ Deus non deserit hominem ut *piè semper rectèque vivatur*? Ergò cum gratiâ illâ non destituit Deus hominem, habet *unde rectè & piè vivat, habet ut recti passibus ambulet*: ergò vicêre Pelagiani Gratiam benè vivendi constituentes in libero arbitrio vel gratiâ habituali. Si non de gratiâ habituali tantum agitur, vicimus Jansenium & Jansenianos, sicut Augustinus ipsi Pelagium & Pelagianos triumphavit.

Sed quantum vel in hoc ipso Capitulo Pelagianorum errorem horruerit Augustinus, similitudine aptissimâ declaravit verbis sequentibus: *Sicut enim oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis hujus adjutus non potest cernere: sic homo etiam perfectissimè Justificatus, nisi æternâ luce Justitiæ divinitus adjuvetur, rectè non potest vivere.* Sic pelimpidat Augustinus qualiter supernus medicus sanet sanatumque custodiat, ut rectè ac piè vivere non desinat, suo non deserat auxilio, Luce Justitiæ utique sanatos asserens indigêre oculos. Unde & concludit quanta sit illa Medici cura erga sanatum seu Justificatum. *Sanat ergò Deus non solum, ut deleat quod peccavimus* (en Gratiam, en Justitiam habitualem) *sed & præstat etiam ne peccemu.* En Gratiam actualem, uti Pelagianis inimicam, ita Augustino caram.

Non est ergò Paradoxum enormiter ab Augustino devians assertum Augustini: *Deus non deserit, si non deseratur*, ad actualis gratiæ substractionem protendere; sed est Augustinum hostibus suis Pelagianis confœderare, eâ quæ ipse de non

desertione gratiæ asserit in causa Justorum, soli habitualis Gratiæ subtractioni vendicare, ut jam affatim monstratum est. *Sed protliviores sumus*, ait Augustinus, *quærere potius quid contra ea respondeamus quæ nostro objiciuntur errori, quam intendere, quam sint salubria, ut careamus errore.*

S. Aug. de nat. & grat. cap. 25.

Porrô quâ ratione supernus Medicus luce Justitiæ sanatos oculos aliquandò adjuvet, aliquandò deserat, declarat alibi: *Sicut oculus corporis non adjuvatur à luce, ut ab eadem luce clausus aversusque discedat, ut autem videat adjuvatur ab ea, neque hoc omnino, nisi illâ adjuverit, potest: Ita Deus, qui lux est hominis interioris, adjuvat nostræ mentis obtutum, ut non secundum nostram, sed secundum ejus justitiam boni aliquid operemur.* SI AUTEM AB ILLO AVERTIMUR *nostrum est, & tunc secundùm carnem sapimus, tunc concupiscentiæ carnis ad illicita consentimus.* CONVERSOS ERGO DEUS ADJUVAT, AVERSOS DESERIT: *Sed etiam ut convertamus, ipse adjuvat, quod certè oculis corporis lux ista non præstat...* Cum ergo Deus jubet: *intelligite ergò qui estis insipientes in populo*: & nos illi dicimus: *Da mihi intellectum, ut discam mandata tua*: Quid aliud dicimus: *quam da quod jubes*? Cum jubet dicendo: *post concupiscentias tuas non eas, noſque dicimus: scimus quia nemo potest esse continens nisi Deus det*: quid aliud dicimus, *quàm, da quod jubes?*

L 2 de pecc. merit. c. 5.

Nec hic objeceris Augustinum dicere: *Cur autem illum adjuvet; illum non adjuvet: istum tantum, illum verò non tantum: istum illo, illum isto modo, penes ipsum est & æquitatis tam secretæ ratio, & excellentia potestatis.*

Magnum enim arcanum est quòd è duobus aversis unum convertat: Et quod è duobus ad se conversis, sed non ut debent orantibus, unum plus, unum minus exaudiat. Alioquin si omnes

pete-

peterent, quantum debent, sicut habent Deum fidelem promissorem, ita & justissimum redditorem acciperent. Enervari enim non potest certa & in concussi promissio: *petite & accipietis.* Ad quam Apostolus respicit dicens: *fidelis enim Deus*, &c. Sed ad propositum redeamus, & ab eodem libro *de natura & gratia* non abeamus.

Nonne capite 27. ne actuali destituantur auxilio admonet justos, *ne dona Dei suæ potestati tribuendo seseque extollendo gravius pereant?* ne de vita justa excidant, cum timore & tremore salutem operentur? ne à Deo deserantur, qui velle & perficere operatur pro bonâ voluntate?

Nonne cap. 28. superbientem convenit, & actuali desertum auxilio dicit: *Deserit aliquantum te Deus, unde superbis?*

Nonne cap. 32 in viâ justâ ambulantes exterruit voce Propheticâ: *Servite Domino in timore, ne homo dum quod Dei est deputat suum, amittat quod Dei est, & redeat ad suum?*

Nonne libro de *correptione & gratia* lapsos de via justitiæ atque de prævià actualis gratiæ desertione se excusantes, Augustinus retundit asserens eos gratiam adeptos, sed illos eam *libero dimisisse arbitrio*, utique supponens à Deo non desertos, nisi unde desererentur avertendo se abeo utcumque causam didissent? Alioquin prona erat responsio: *Spiritus Dei ubi vult spirat, & quem vult adjuvat*, & quem vult, etiam justum immerentem nudat dato munere, dispoliat, exarmat.

Quid dicemus de aliis S. Augustini voluminibus, in quibus desertiones, cæcitates, obdurationesque saltem vel in originalem irremissam, vel in actuales hominum desertiones translatas cupit? Nec opus est actum agere, aut S. Prosperi contra Augustini Calumniatiores rursum acinacem stringere.

SEC-

SECTIO IX.

Ianseniana argumenta seu fundamenta convelluntur.

Conc. Trid. Sess. 6. c. 11. OBjicit Jansenius (loc. cit.) fundamenti sui loco Concilium Tridentinum quod verbis illis S. Augustini sess. 6. c. 11. de Justificatione utitur: *Deus namque suâ gratiâ semel justificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur*: definiens utique Justos, licet venialiter subinde peccent, non propterea desinere esse Justos, quia non abscedit ab anima per gratiam suam Justificatâ, nisi anima mortaliter eum ante peccando deseruerit. Unde consequens videtur quod Augustinus ipse sententiam suam eidem sensui subjecerit, nempe quod Deus non deserat Justum quoad Justitiam habitualem, nisi ipse per actualem ab eo gravem discesserit iniquitatem.

Fol. 367.

Respondetur, concesso hoc Tridentini Concilii Commentario, illud dumtaxat consectarium esse, quod Augustinus ibidem etiam agat de desertione Justi per lethalem culpam & desertione gratiæ sanctificantis seu habitualis ex parte Dei; Hoc enim videtur indicare Antithesis superni Medici & temporalis, quòd Deus qui est vita seu anima animæ justæ non abscedat ab anima à se sanatâ, nisi per culpam voluntariam letiferamque fugatus. Sed non sequitur quod non item agat de alterâ desertione, ob quam Deus hominem justum & sanum contra languores munire desinat, & quâ cessante ex parte hominis, adjuvare non desinat. Ad actualem namque Dei opitulationem pertinet quod additur: *ut rectè pièque vivatur*. Item: *sanat non solum ut deleat*

quod

quod peccavimus, sed præstat etiam ne peccemus. Et hoc postremum capitalius magis feriebat Pelagium, quàm primum, de quo non nisi obiter & incidenter actum oportêbat: nam, ut supra claruit, nullum erat de gratiæ habitualis sive permansione sive desertione cum Pelagianis dissidium.

Confirmat Jansenius fundamentum suum, ut ipse retur, ex scopo S. Augustini; qui est, differentiam ponere inter animæ nostræ Medicum Deum, & inter medicum Corporum, quod Medicus Corporum *cum sanaverit hominem abscedit ab eo; cum verò Deus spiritaliter sanat ægrum vel vivificat mortuum, ideſt justificat impium*, non deserit, si non deseratur *ut pie semper justèque vivatur*: hoc est, non discedit ab eo quem justificat sicut medicus corporum, sed manet in eo, quia ipsemet est vita ejus, sine quâ impossibile est animam esse justam, aut vivam. At

Respondetur non in hoc solo cardine versari differentiam, cum hanc non (diffiterentur Pelagiani) sed etiam in eo, quod Medicus Corporum non solum deserat ægrum sanitate donatum, sed alienis alimentis & elementis fovendum dimittat, *ut eadem sanitas apto subsidio convalescat atque subsistat*; Animæ verò Medicus id propriis præstet beneficiis, suppetiis, auxiliis, quibus efficit ut piè justèque vivatut, & non tantum deleat quod *peccavimus*, sed *etiam ne peccemus*. Hoc autem officium est gratiæ actualis, non habitualis.

Igitur desertio illa, quæ non obtingit justificato, nisi Deus deseratur, non spectat habitualem gratiam, sed actualem, prout hoc respicit: *Ut semper piè justèque vivatur.*

Secundò objicit alias Augustini comparationes, quibus confirmat cæleſtem Medicum non aliter

deserere infirmum se deserentem, nisi subducendo seipsum quatenus animam inhabitantem.

Atque imprimis ubi docet non sic hominem & sapientem fieri, UT CUM AB EO FACTUS FUERIT JUSTUS ABSCEDAT, *sicut à Corporis Medico* SANATUR, ET ABIT. *Non ita Deus operatur hominem justum, ideſt, justificando eum, ut si abscesserit maneat in absente quod fecit; sed potius sicut aër præsente lumine non factus est lucidus, sed fit, quia si factus esset non fieret, sed etiam absente lumine lucidus maneat: sic homo à Deo sibi præsente illuminatur; absente autem continuò tenebratur, à quo non locorum intervallis, sed voluntatis aversione discreditur.* Similia profert ex conc. 2. in psal. 70. huc adducit illud de verb. Apostoli: *Non timens Deum timentem tibi:* PECCAS ET DIMITTO TE. Et ex libris confessionum: *Te nemo amittit, nisi qui dimittit:* & rursum; *Verbum ipsum clamat ut redeas* ad se, *& ibi est locus quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor si ipse non deserat.* Hoc est, ubi amor amantis non deseritur ab objecto quod amat, nisi ipse amor mutetur, ut propriâ voluntate Deum amatum deserat. Sed esto, concedantur hæc omnia: nihil proficiunt adversus famosum & litigiosum locum libri de naturâ & gratia, ubi ad lubar solis meridianum rutilat actualis gratiæ disertio non deserta, ni hoc justificatus mereatur. In libro de *natura & gratia* non ivimus inficias de habitualis Gratiæ desertione incidenter tractari. Et modò ultrò demus de sola habituali his locis agi, nihil inde fluit contra conclusionem ante solidissimè stabilitatem. Non enim assertio unius, est alterius negatio. Egerit hîc Augustinus de habituali: Ideòne semper & ubique? Quomodò ergò vicit Pelagianos qui habitualem agnoscentes, actualem esse necessarium pernegavêrunt?

Fol. 365. L. 8 de Genesi ad litt. cap. 12.

l 18. de Verb. Apost. c 6. l 4. Conf. cap. 9. cap. 11.

Sed

Sed elâbi non poteſt argumentum ex lib. 13. de Civit. Dei cap. 15. ubi tractans Auguſtinus illum locum Geneſis : *In quocumque die comederis, morte morieris* quæ ibi mors intelligatur exponens, *Si eam*, inquit, *ſolam intelligamus, quæ fit cum anima deſeritur ſuâ vitâ, quod illi Deus eſt* (NON ENIM DESERTA EST UT DESERAT, SED UT DESERERETUR DESERUIT) *tamquam diceret quâ die me deſerieris per inobedientiam deſeram vos per juſtitiam.* Ubi declarat, inquit Janſenius, per exemplum Adami, quomodò Deus non deſerat niſi antè deſeratur. Nempe quià non diſcedit ab anima *Deus tamquam vita ejus, niſi peccando diſceſſerit.* Sed *Fol.* 366. *Gen.* 2.

Reſpondeo illic Auguſtinum nullam inſtituere nobiſcum comparationem ob quam Exempli loco attulerit iſtam habitualis gratiæ deſertionem. Dumtaxat oſtendit Adamum prius *reliquiſſe Deum, quam relinqueretur à Deo*, & primam fuiſſe cauſam mortis animæ receſſiſſe à Deo: adeòque mortem tam corporis, quam animæ in Adami tranſgreſſionem refundendam. Hoc autem nîl pertinet ad præſentem controverſiam, an homo juſtus in nullo trangreſſus legem Dei propriâ voluntate ſicut non incurrit in mortem animæ, (quæ fit deſerente Deo hominem inhabitante) deſeri poſſit a Deo adjutore; ſic ut deſertus redeat in illam mortem, cui ob Adami tranſgreſſionem fuerat obnoxius. Vult Auguſtinus oſtendere originem boni à Deo, *mali verò ab hominis voluntate* promanaſſe, prout eodem capite dicit: *ad malum quippe ejus* (Adami) *prior eſt voluntas ejus, ad bonum verò ejus prior eſt voluntas creatoris ejus.* Fatêmur equidem, quod ſicut Adamum non deſeruit inhabitans Deus niſi ab Adamo deſertus, ita nec quemlibet juſtum deſerat vivificans & inhabitans Deus, niſi relictus ab homine. Sed plus ultrà pergimus cum Augu-

Augustino & dicimus, quod sicut Adamum non deseruit Deus, antequam desereret & Deum, non modò quatenus erat vita ejus, sed etiam quatenus adjutor ejus, ita nec modò justum deserat, sic ut omnem ei standi potestatem auferat, nisi ille Deum deserat, seu avertendo se seu aliô quôlibet sive effabili, sive inexplicabili modò.

Fol. 368. Objicit ulterius Augustinum totâ mole doctrinæ hoc agere, ut evincat Deum adjuvare vel non adjuvare hominem hoc, *vel illo modo, plus aut minus deserere*, aut non deserere, prout ei visum fuerit, quia Spiritus ubi vult spirat. Nihil enim celebrius in Augustino, quam quosdam divinô adjutoriô deseri etiam justos ex occultis judiciis Dei.

Respondeo Augustinum non agere semper de justis. Et dum de justis agit, non diffiteor Deum non æqualiter illos adjuvare. Quidam enim accipiunt magnam, quidam minorem bonam voluntatem, undè aliquibus facilia, aliquibus difficilia sunt Dei mandata magna. Hi in facilibus monentur quid facere debeant, illi in difficilibus quid debeant postulare. Quidam præbent minoris adjutorii causam per superbiam, quidam humilitate plus adjutorii promerentur. Item plus, alii minus orant, alii non orant ut adjuventur. Alii minus alii plus in benè factis sibi placent, unde Deo displicent. Et cum non in Deo, sed in hominibus causa sit cur non adjuventur, ad occulta causæ & culpæ humanæ, ob quas justos deserat referendum est. Quod autem non pro lubitu, Deus justum deserat patet: quia humilibus & ritè orantibus gratiam promisit. Et cum S. Augustinus pro causa desertionis tam frequenter assignet superbiam, humilitatemque pro contutando cælesti juvamine tam impensè commendet,

sæpè plus merentem deseri, minus deserit volens in hoc ostendere gratiæ beneficium, cum possit utrumque deserere?

SECTIO X.

Discutitur famosum illud Apostolicum: Fidelis autem Deus est qui non patietur vos tentari supra id quod potestis. 1. *Corint.* 10.

PRomissio Dei *certa, rata, fixa, inconcussa, fidelis, & omni dubitatione carens quæ consolatur afflictos. Tota enim vita humana super terram, sicut scriptum est, tentatio est. Nec quasi prospera eligenda est, & sola adversa devitanda, sed utraque cavenda est; illa ne corrumpat, ista ne frangat. Ut unicuique hominum in quocumque statu rerum in hâc vita egerit, non sit refugium nisi Deus, nec ullum gaudium, nisi in promissis Dei.* Et quæ sunt promissa Dei? *Petite & dabitur vobis. Omnis qui petit accipit.* Secundum fidem, quâ credimus, fideles sumus Deo: *secundum vero illam, quâ fit quod promittitur, etiam Deus ipse fidelis est nobis:* hoc enim dicit Apostolus: *fidelis Deus qui vos non permittet tentari super id quod potestis.* Quæstio verò occurrit ad quos homines promissa Salvatoris & attestatio Apostoli de fide data pertinêre censeantur? Cornelius Jansenius, quo stabiliat Assertum suum de impossibilitate Præceptorum quorumdam respectu plurimorum justorum, quos & agendi & orandi potestate orbatos occulto Dei judicio continenter pronuntiat, addit, quod S. Augustinus illum Apostoli locum quo dicit *fidelem esse Deum, qui non patitur vos*

S. Aug. in ps. 74.

L. de Sp. & litt. c. 31.

det, quomodo arbitrarium ipse censuerit Deum deserere vel non deserere Justum immerentem, nec superbientem? Quomodo libro de S. Virginitate ait: *Permittere Deum ut permisceantur numero Sacrarum Virginum multæ casuræ, ut his cadentibus, timor augeatur, quò superbia comprimatur, quam sic odit Deus, ut contra hanc unam se tantum humiliaverit Altissimus?* Dicerent enim: sive humiliemur, sive superbiamus, equidem Spiritus Dei ubi vult spirat, & occulto suo judicio justum deserit etiam non superbientem & immerentem non adjuvat prout vult. Non est quod comprimatur tumor, quia semper manebit timor ne deseramur sine causa. *L. de S. Virg. cap. 40.*

Pergit instare Jansenius: Nam ad quid quæso, fideles omnes tantâ instantiâ orant Deum, ne inferantur in tentationem, hoc est ne deserantur adjutorio ejus, si nemini justo accidit, ut Dei adjutorio deseratur? Stultum est enim orare ne eveniat quod numquam evenit; sicuti stultum esset orare, ne Christus nos in hostia consecrata deserat, quam numquam deserit. *Ibid.*

Respondeo, quia licet multa det Deus non orantibus, perseverantiam non dat nisi orantibus. Paratus est adjuvare, sed vult se invocari, vult ut indigentiam nostram confiteamur. Et cum orationem ipsam præceperit, non orando Deum prius desereremus. Neque enim asserimus justis nihil agentibus nihilque orantibus semper adesse gratiam vincendi tentationes; sed saltem gratiam quâ petere valeant, ne operationis gratia destituantur, nisi & ipso orationis auxilio ob aliam culpam privari meruerint. Evenit itaque sæpius quod justi in tentationem inferantur, & victrici deserantur auxilio quia hoc implorare negligunt: nam fidelis Deus non nisi petentibus, quærentibus, & pulsantibus se debitorem fecit. Unde non deficiet Dei opitulatio, si non deficiat deprecatio.

Præterea nescit homo an Deo deserendi se causam non posuerit, ob quam occulto & justo judicio deserat, & ideò quisque meritò supplicat, ne indignationis fortè pœnam incurrat elatus, sed potius gratiæ adjutorium accipiat humilis juxta illud S. Augustini: *humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires tuas.*

L. de Catech. rudibus c. 25.

Quod si objeceris justos eo ipso esse desertos orationis gratiâ quo non orant, adeòque prius à Deo desertos, quàm Dei fuerint desertores.

Respondetur, Spiritui precum non minus resisti, quam Spiritui actionis bonæ; adeòque justos ulteriori orandi fervore destitui, atque deseri quia desertores fuerunt & Spiritui restiterunt & aversi à Deo deseri meruerunt.

Quod si omnem orationis Spiritum exstinctum velis in quibusdam justis, & magnum inesse languorem, ut nec legere libeat, nec orare delectet, respondebit Bernardus: *Net dubites causam esse superbiam, etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius scis. Quod enim tu neseis, scit Deus, & qui te judicat ipse est.* Hanc quisquis vincere studuerit non inferetur in tentationem Domino custodiente introitum & exitum suum.

Et quorsum divina eloquia & Augustinus in superbiam referunt, *quod homo de viâ justâ pereat, avertat Deus faciem suam, supra vires tentari sinat*, si occulto suo judicio, cujus ratio ab homine dari non possit, *Spiritus ubi vult spirans adjuvet vel non adjuvet, deserat vel non deserat*, nullo modo avertentem se à Deo nec se offendentem? Si penitus occultum est hocce judicium Dei deserentis hominem, quomodo desertionis causa profertur? Et quo modo si talis causa detur, nimirum superbia, ab Augustino dicitur *investigari non posse quod occultum est?* Nisi quia occultæ sunt nobis causæ quas Deus in homine videt; & quia

sæpè

tentari, supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione proventum, ut possitis sustinere, nullo modo tam indiscretè intelligat, ut hoc in omnibus omninò fidelibus observetur: *Noverat enim hoc non exiguum esse divinæ gratiæ beneficium, quod propterea quia gratia est, non promiscuè cuilibet etiam credentium tribuat; sed tantum orantibus, ac de divino adjutorio sicut oportet confidentibus, adeòque ferè electis.* Jansenio ergò ea stat sententia ad *solos ferè electos* pertinere Domini Salvatoris promissionem: *petite & accipietis,* ad quam intendit Apostolus *fidelem* Deum nuncupans; idque quia soli ferè electi petunt quemadmodum, *seu quomodo & quantum res tanta petenda est.* Verumtamen, quamquam S. Augustinus perseverantem usque in finem justorum orationem & perseverantem Dei opitulatione victricemque delectationem justitiæ finalem solis electis propriam faciat; nusquam tamen ad solas electos *aut ferè electos* aut Dominicam promissionem petentibus factam, aut Apostolicam fidelitatis divinæ commendationem restrinxit.

pag. 328.

Non enim solos electos *aut ferè electos* consolatur Augustinus locô citatô dicens: *unicuique hominum in quocumque statu rerum in hâc vitâ egerit, non sit refugium nisi Deus, nec ullum gaudium, nisi in promissis Dei.*

in ps. 33.

Non ad ferè electum loquebatur quandò dicebat: *Pascebat Dominus contemnentem se: & deseret timentem se?* Et rursum: *Impium te quæsivit, ut redimeret; & redemptum deseret, ut pereat?*

in ps. 68.

in ps. 58.

Non ferè electum solum animabat dum exclamabat: *O! Nomen sub quo Nomini desperandum: Deus meus misericordia mea.*

in ps. 61.

Non de ferè electo dumtaxat loquebatur cum ait: *Qui dat potestatem tentatori, ipse tentato præbet*

bet misericordiam. Ad mensuram enim permittit tentare diabolum. & POTABIS NOS, *inquit,* IN LACRYMIS IN MENSURA. Noli ergò timere permissum aliquid facere tentatorem. *Habes enim misericordissimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis. Ut qui te nesciebas, à teipso inveniaris. Nam ubi vel unde nisi de hâc Dei potestate & misericordiâ securi esse debemus? Secundum illam Apostolicam sententiam: fidelis enim Deus, qui non permittit vos, &c.* *in Psal. 61.*

Non solis electis & ferè electis timorem mitigat, ubi sic solatur: *Omnibus modis instat diabolus, quemadmodum dejiciat... sed non timeamus. Sic sunt diabolus & Angeli ejus quasi milvi. Sub illius Gallinæ alis simus, & nos non potest contingere. Gallina enim, quæ nos protegit, fortis est. Infirmata est propter nos, sed fortis est in se Dominus noster Jesus Christus.* Et alibi: *qui pretio Sanguinis sui te redemit & mortuus est, quomodò perdet servum mortuum, cujus mors est pretium tuum?* Et ante: *Nec te credas à misericordiâ ejus derelinqui, qui tibi aut blanditur dando ne deficias, aut corripit exultantem, ne pereas... Melius est tentari & probari, quam non tentatum reprobari.* *in ps. 62.* *in ps. 144*

Non ad electos *aut ferè electos* loquebatur (nam humilibus omnibus gratiam Deus repromisit) dum rudes Catechizans ità animaret: *Humilis esto Deo, ut non te permittat tentari ultra vires.* Et rursus: *opera misericordiæ cum humilitate impetrant à Domino ut non permittat servos suos tentari* PLUS QUAM POSSUNT SUSTINERE. & libro de S. Virginitate: *de viribus vestris expertis cavete, ne quia aliquid ferre potuistis, inflemini: de inexpertis autem orate, ne supra quam potestis ferre, tentemini.* *L. de Catec rudibus c. 25* *cap. ultimo.* *L. de S. Virg. cap. 52.*

Neque ad solos electos *aut ferè electos*, sed ad humiles (quales multi saltem temporales sunt) Augustinus Psalmum alterum applicat divinâ protectione humiles consolantem, ubi ait: *Custodiat Dominus introitum tuum & exitum tuum.*

in ps. 120. *Quid est introitum tuum, & Exitum tuum? quid est introitum tuum? quid est Exitum tuum? Quando tentamur, intramus. Quando vincimus tentationem eximus. Audi introitum, audi Exitum. Vasa figuli probat fornax, ait scriptura, & homines justos tentatio tribulationis. Sic sunt* OMNES JUSTI, *quomodo vasa figuli. Necesse est ut vasa figuli fornacem intrent. Et non quando intrant securus est figulus; sed cum exierint. Dominus autem securus est qui novit qui sunt ejus.*

Et novit qui infornace non crepent. *Illi autem non crepant qui non habent ventum superbiæ.* HUMILITAS ERGO CUSTODIT *in omni tentatione. Custodit Dominus introitum tuum, ut salvi intremus, sanâ fide simus. Quando accedit tentatio, & custodit exitum ex hoc nunc & usque in sæculum.* Audi Apostolum idipsum commemorantem: *fidelis Deus*, &c. *Ecce introitus tuus custoditur, quando non sinit* Deus tibi accidere tentationem, quam non possis ferre. Videte, si custodit & exitum: *sed faciet*, inquit, *cum tentatione etiam Exitum, ut possitis sustinêre.*

Neque ad electos *aut ferè electos* restrictum est Salvatoris Præceptum, neque promissum: *Petite & accipietis.* Neque oratio ipsa Dominica, quasi solum electis aut quasi electis daretur petendi auxilium; unde omnes justi fiducialiter orant: *ne nos inducas in tentationem*, licet certa, de quibus Apostolus, electionis suæ indicia nondum deprehendant. Et Augustinus orationem Dominicam Exponens allato testimonio Apostoli, *fidelis Deus, satis ostendit*, inquit, *non id nobis*

L. 2. de serm. Dom. in mon. cap. 9.

nobis orandum esse ut non tentemur, sed ne in tentationem inducamur. Inducimur enim si tales acciderint quales ferre non possumus. Et alibi: *Oremus & ingemiscamus ad Dominum, ut servetur erga nos quod Apostolus dicit: fidelis Deus qui non sinet vos tentari ultra quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione exitum.*

Ecquis ambigat Justorum plurimos, exceptis electis & ferè electis, sicut veram licet temporalem, consecuti sunt Justitiam, ita veram habere fidem, Spem, & orationis Spiritum, etiam illum quo efficaciter vincant tentationem, licet postea à suâ excidant firmitate? Nam & oravisse constat, & triumphasse frequenter, adeòque orationis adimplesse conditiones. Ni lubeat Hæterodoxorum placita æmulari, qui solis electis eas virtutes vindicant, quas temporalibus Justis Communes esse semper tenuit orbis Catholicus.

Ecquis Sacrosanctæ Synodi Tridentinæ Canonem adversum voti continentiæ criminatores ad solos electos, *aut ferè electos* coarctare præsumat de iis, qui continentiam voverunt definientis Deum rectè petentibus non denegare donum castitatis: *cum non patiatur nos supra id quod possumus tentari?* Et tamen Jansenius id audet, & audet Augustino imponere Apostolicum effatum: *Fidelis Deus*, &c. Electis aut ferè electis appropriandum. Votifragi ergò heu nimis numerosi, qui & Numerosiores evadent, ubi electionis seu Prædestinationis argumenta in se non compererint; & mox auditi non fuerint cum Dominum in adjutorium cæperint invocare, aut orationis Spiritum defervêre persenserint; dubitantes utique an sint de numero isto paucorum quibus facta Sponsio divina: *petite & accipietis.* Proindè

Sess 24. Can. 9.

quemadmodum fides, Spes & Charitas, ita & oratio ad plures protenditur quam ad electos aut ferè electos; illisque fidelis Deus sæpè numero promissam præstat opem, ut non superentur à Concupiscentiâ suâ abstracti & illecti, vel à diabolo decepti. Excidunt autem quia orare pigrescunt ac tandem desinunt. Deserunt & deseruntur non tantùm Judicio Dei occulto; sed & pro actuali neglectu, retribuente quod Justum est. Alioquin *cum videris non à te amotam tuam, securus esto, quia non est amota misericordia ejus.* Neque deprecandi potestatem omnem, quâ petere possis ut possis tentatione non vinci, autumo sine culpâ, si id mereatur, penitùs tibi ereptum iri. Nam qui eo nuditatis atque inopiæ redacti creduntur, ut nec velle orare, nec orare, nec benè velle aut agere, vel mala posse vitare videantur, suis id meritis accepto ferre debêre Augustinus crebriùs affirmat.

SECTIO XI.

Solvuntur Argumenta.

L. 3. *de Grat. Christi c.* 13. *pag.* 328. *Aug. l.* 13. *de Grat. c.* 19.

OBjicit Jansenius Augustinum ita differentem: *Tantum pro conditione mortalitatis hujus adversari finitur diabolus, quantum eis expedire novit, de quo Sacræ litteræ personant per os Apostolicum." Fidelis Deus qui non permittet vos tentari, supra id quod potestis, sed facier &c.* Sed circa eos ista servantur de quibus Apostolus dicit: *Scimus quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis qui secundum propositum vocati sunt Sancti.*

Respondeo Augustinum non excludere alios Justos benè petentes. Quod autem dicat ista servari circa electos mirum non est, quia hi fina-

lem

lem soli victoriam referunt quia usque in finem perseverant; perseverant autem quia usque in finem petunt *quomodo & quantum res tanta petenda est.* Imò si & hi interdum titubant & exorbitant prodest ipsis tentatio sicut prolapsio, eò quod humiliores resurgant. Prætereà non omnes electi semper petunt prout petere debent; unde & cadere permittuntur sicut alii, licet finaliter tentatorem debellent. Ad temporales igitur Justos etiam dominica promissio pertinet qui & ipsi exitum fortunatum è tentatione consequuntur illud implentes : *petite & accipietis.* Neque solos electos aut ferè electos orare docuit Dominus : *Ne nos inducas in tentationem.* Quod igitur de finali tentationis victoriâ agat Augustinus, claret ex eo quod etiam electi aliquandò vincantur sicut alii Justi, ut patet in Petro Apostolo aliisque in tentatione turbatis & postea humilitatis.

Instat Guilielmus Estius in hunc locum Apostoli: *Quod non ad omnes sed ad solos electos Apostoli verba referenda esse, manifestè probat quod sequitur: Sed facit etiam in tentatione proventum.* Græcè: *Sed faciet cum tentatione etiam exitum, eventum, evasionem.*

Respondeo sicut bina est Justitia temporalis, & finalis, ita binus tentationis exitus temporalis & finalis. Hic solis electis proprius est, iste communis. Præsidio hujus orationis : *Ne nos inducas in tentationem* sæpè exitum faciunt Justi feliciterque evadunt, quamquam finaliter vincantur, deserant, & deserantur.

Objicit idem Doctor Augustinum lib. de dono Perseverantiæ c. 9. in ps. 61. 77. & 120. quo postremo loco dicitur : *Dominus securus est qui novit qui sunt ejus, quæ est electorum notio.*

Respondeo libro *de Perseverantiæ dono* de finali dumtaxat victoria agi, quæ procul dubio electis propria est. Ultimo verò loco eundem respicere ad finalem exitum dum ait: *Novit qui sunt ejus.* Verumtamen quod præmiserat de humilitate, ad alios pertinere quis inficias eat: *humilitas ergò custodit in tentatione.* Nisi humilitatem humilemque orationem Electorum paucitate coarctemus? Nulli ergò reprobi ab humilitate in superbiam prolapsi sunt? Nulli reprobi eum Justi fuerunt cum Fide, Spe, Charitate, humilitate oraverunt? Nulli temporalem continentiam orando impetrare meruerunt? Nulli Justi non electi hanc orationis Dominicæ partem ulla ex parte impleverunt: *ne nos inducas in tentationem*?

Nulli Justi non electi Mandatum servaverunt: *petitè & accipietis*, ut facerent Deum fidelissimum debitorem? Igitur quotquot & quamdiu in veritate Charitate, castitate stetêrunt (stetisse autem extra ambiguum est) non orationis munimine protecti steterunt, sed gratiæ Cælestis Juvamine non petentibus impartito. Quis ista digerat? Igitur non tantùm suos finaliter Deus servat à malo, sed & non suis se deprecantibus felicem tribuit exitum, seseque fidelem præbet quibus promisit: *Petitè & accipietis.* Et si perseveranter orarent, etiam perseveranter adjuvaret, qui in promissis fidelis est & seipsum negare non potest.

Obiicit Similiter Hormisdam ad Possessorem Episcopum scribentem: *Deus qui per beatum Apostolum dixit: qui vos non dimisit tentari supra id quod potestis: ipse pro suâ pietate quos suos elegit esse de laqueis adversariorum, sicut semper, eripiet.* Eosdem intellexit sub nomine filiorum Gregorius. lib. 14. Moral. cap. 14.

Ref-

Respondetur: vel agitur de ereptione finali à tentationis malo & diaboli laqueis, & manus damus: hoc enim solis electis concedimus. Vel de ereptione ab omni tentatione; sed nec hanc Justi licet electi evadunt semper nisi dum orant, ut debent; hoc autem & alios Justos præstare sæpè monstratum est, igitur & illi eripiuntur divinâ pietate à diaboli laqueis.

Idem respondendum ad Epistolam S. Leonis ad S. Flavianum ubi ait: *Providentia Dei per se suis necessarium præstat auxilium.* S. Leo ep 27.

Ceteroquin satis generatim idem Pontifex loquitur Serm. 7. de Jejunio decimi mensis agens de homine jam baptizato: *Sicut illi numquam deest unde corruat, ita semper Præsto est, unde subsistat*, dicente Apostolo: *fidelis enim Deus, qui vos non patiêtur tentari supra id quod potestis, &c.*



LIBER SECUNDUS

De primâ Janſenianâ ut fulgurita ſeu ab Apoſtolicâ Sede damnata.

DEgeneres à Cornelii Janſenii Illuſtriſsimi Iprenſis Antiſtitis erga Sedem Apoſtolicam ſubjectione ac devotione diſcipulos, iniquos damnatæ Pentados ejus vindices, *iniquitatis filios, malorum zizaniorum in agro Dominico Seminatores*, Eccleſiæ Catholicæ *perturbatores, turpiſſimi Schiſmatis Authores*, imò Janſenianæ hæreſeos Defenſores ab Urbe, ab ipſa Petri Sede Africanum Tribunal jugiter appellantes, non æquis oculis Africanus ille Phœbus aſpexit; ſed, ut olim Anguem Britannicum Romam pepulit, inde Reſcripta objiciens, quibuſcum (causâ finitâ) errorem oportuit eſſe finitum. Admiſit, ſicut & olim in gratiis cum pervicacibus geſtum legitur, ad tribunal licet incompetens ab Apoſtolicâ ſede appellantes, meritòque ad Apoſtolicum remittit judicium, quos ſub doctrinæ ſuæ phalerâ videt ſuffugium quæritare, cum quibus nihil vult habere commune. Iniquè appellantes quos ipſe refutavit remittit

Petri

Petri acinace, nî resipiscant, jugulandos, neque eo titulo purgationi locum dari quod aliquos detestentur errores, nisi damnent suos: quia possunt duo errores sibi esse contrarii, & ideò detestandi, quia ambo contrarii sunt veritati. Sic vicit Manichæos, sic vicit Pelagianos, sic tandem Jansenianos vicit in prima Pentados propositione Augustinus, firmavitque ipsam summorum Pontificum definitionem de quibus dicere potuit in causa Jansenianæ hæresis, quod de Innocentio I. in causa Pelagiana dixerat: *Quid enim potuit vir ille sanctus respondere, nisi quod antiquitus Apostolica sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?* Sed quia & litteram & sensum ceu proprium Cornelii Jansenii fœtum ex ejus libro cui titulus: *Augustinus*, pertinacissimè negant excerptum, Romanosque Pontifices secus definientes impietatis ac perjurii arcescunt; modò pro ipsâ damnatæ propositionis justissima damnatione conflictandum reor, ut palam fiat, Apostolicam Cathedram, sicut ab Africani Syderis splendore se non subduxit Augustinum Iprensem perstringendo: ita nec à veritate deviasse de facto Jansseniano ac sensu dijudicando, atque damnando. Itaque sit.

L. 1. cont. Iul. c. 4.

CA-

CAPUT PRIMUM.

De facto Ianſenianæ primæ quoad Litteram.

SECTIO PRIMA.

Prima propoſitio damnata eſt è libro Cornelij Ianſenij excerpta, non loco ſuo dolosè avulſa & exhibita.

ORatores Epiſcoporum Galliæ in breviſſima quinque propoſitionum in varios ſenſus diſtinctione oblata SS. D. Innocentio Papæ X. primam propoſitionem Janſenianam ita ponunt. *Aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus Secundum præſentes quas habent vires ſunt impoſſibilia. Deeſt quoque gratia quâ poſſibilia fiant.*

Hanc, quia caret diſpunctione ſeu commate dixerunt *à loco ſuo dolosè avulſam & exhibitam.* Sed eſto ita exhibita fuiſſet, nîl mali doli, quod Janſenio officeret, admiſſum foret, cum in Janſenii ſenſu propoſitio librata & judicata ſit, ad quem ab errore vendicandum inaniter à commatis aut diſpunctionibus azylum quæritur. Nam cum Janſenius non abſolutam omnimodamque, qualem *Manichæi*, *Calviniſtæ*, & *Lutherani* commenti ſunt, *impoſſibilitatem* adſtruxerit; nîl juvat commata poni vel intermitti, parumque intereſt, illud tò *impoſſibile* applices his vocibus: *Secundum præſentes quas habent vires*; ſive *conantibus & volentibus*, ut mox patebit.

Pro-

Propositio damnata sic sonat: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque gratia, quâ possibilia fiant.* Editio libri cui titulus: *Augustinus* de anno 1640. sic exhibet: *esse præcepta quædam quæ hominibus non tantum infidelibus &c. sed fidelibus quoque & justis, Volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, quâ fiant possibilia.* L. 3. de Grat. Chr. c. 13. pag 334.

Arnaldus ita damnatam refert: *Quædam præcepta justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires esse impossibilia deesse quoque illis gratiam quâ possibilia fiant.* Sic tamen sonantem damnabilem censet idem Arnaldus, licet alio quam Jansenii sensu. Imò sic Jansenium repræsentat acerrimus ejus vindex Palladius in spongia notarum. V. Propos. pag. 26. Neque de littera scrupulosius agendum concedit, modò subjectum ei sensum innoxium reddat, quod se eviciisse autumat dum lucidè demonstraverit Jansenium *absolutam impossibilitatem* numquam cum Hæterodoxis asseruisse; ut proinde injuria Perduellium Ecclesiæ classi accenseatur. Sed hoc probando nil profecit contra Ecclesiæ definitionem, utpote quæ Jansenianam non ut veterem, sed ut novam veritati vetustæ inimicam hæresim profligatam voluit. *Arnaldus in quæstion. juris sect. 4.*

Neque propositionem ex cap. 13. excerptam obliterat multifaria, quam admittit Jansenius cap. 15. *possibilitas*, ni velis Palinodiam cecinisse, (quod non admittent propositionis famosæ Patroni) signanter ubi agit de illis qui tantum aliquid gratiæ sunt consecuti; quia possibilitas illa remotior est, quam ut damnatam possit ab errore vindicare. Proinde inanis est criminatio Panegyristæ Jansenium defensantis, & propositiones

tiones oppositas quinque damnatis oggerentis, dum oppositam primæ seu contrariam excerpit ex cap. 15. libri 3. de gratiâ Christi Salvatoris ubi Jansenius ita differit: *Respondemus præcepta Dei esse homini possibilia, seu posse ab homine fieri, & consequenter potest ea homo facere. Etenim si jam* pag. 342. *justificatus est, habet Charitatem seu bonam voluntatem, per quam Deum diligere, & consequenter totam legem implère potest: plenitudo enim legis est dilectio*, inquit *Apostolus. Si autem fidelis quidem, sed nondum justificatus est; habet aliquid bonæ voluntatis quatenus credit: nam ubi est initium fidei est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis. Per hanc autem potest mundari, potest uberius auxilium invocare, & consequenter rectè pièque vivere.*

Si namque hæc possibilitas sat momenti habere visa est Jansenio, ut Præcepta possibilia fiant, quomodò se abduci passus est, ut non tantum justis, sed & justis *volentibus & conantibus præcepta servare*, ea dixerit *impossibilia*, gratiamque subductam, quâ possibilia fiant? Anne conantibus volentibusque impossibile duxerit, quod nondum volentibus, imò nondum justificatis esse possibile tam disertè pronuntiavit? Ergò crescente gratiâ, si Diis placet, ipsa præceptorum possibilitas decrevisse censenda erit. Igitur aut Jansenius sui immemor, aut pœnitens extitit, aut possibilitatem cap. 15. ad mitigandum dicti rigorem assertam ut remotam nimis atque insufficientem statuit.

Exertè atque diffusè cap. 13. ex S. Augustino, qui usus fuerat voce *non posse* homines sive justos sive peccatores aliquâ facere, & ideò *petere ut possint*, evictum dare voluit: Primum, esse quædam homini præcepta secundum statum & vires in quibus constitutus est, impossibilia. Secundum, non adesse semper gratiam, quâ possumus,

hoc

hoc est, quo eadem illa præcepta implêre sufficiamus .... tertium hanc impotentiam reperiri non solum in excæcatis, obduratis & infidelibus... sed etiam fidelibus & justis, qui & fidem Christi & charitatem justitiæ susceperunt... Quartum hanc impossibilitatem fidelibus accidere, non tantum quando nolunt præcepta facere: sed etiam quando volunt... hæc igitur omnia (concludit) *plenissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini Doctrinâ certius ac fundatius, quam esse præcepta quædam quæ hominibus, non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam quâ fiant possibilia.* pag 325. & seq. pag. 334. *Hoc enim S. Petri exemplo aliisque multis manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere.* Et cap. 19. *nihil celebrius in Augustino, quam quosdam à divino adjutorio deseri, etiam justos ex occultis judiciis Dei.... hanc doctrinam si rectè apprehenderent, statim cernerent nihil absurdi esse, si talis gratia sufficiens non detur justis.* pag. 363. Fundatur hæc doctrina in altero Principio, quo putat idem Jansenius, *nullam Christi gratiam effectu operis ad quem efficiendum voluntati datur, ullâ voluntatis pervicaciâ frustrari*, prout docet l. 3. de gratiâ Christi S. cap. 4. quod *Et hæc sufficiens gratia juxta doctrinam ejus solidissimam non est alia, nec, ut videtur sine errore alia dici potest quam illa quæ voluntatem facit facere, & in ea operatur velle & operari.* pag. 262. pag. 275. cap. 5. Hinc fluit Janseniana illa impossibilitas seu impotentia in justos volentes conantesque præcepta servare, sed nondum reipsa servantes, orare desiderantes, sed nondum quomodò & quantùm orandum est revera orantes. Prorsus ergò remota & peregrina debet Jansenio

nio fuisse potestas illa multo ex capite claudicans quam cap. 15. objecto comminiscitur idem Jansenius.

SECTIO II.

Jansenius stylo propositionis primæ Sacræ Tridentinæ Sanctionis temerator esse videtur.

QUamquam inficias eam Jansenianam propositionem Lutherano vel Calviniano Erroneo sensui subjectam, atque in illorum sensu ab Innocentio X. aliisque Pontificibus Apostolicis damnatam, Equidem non video quo jure Jansenius innoxius sit à violatione Tridentinæ prohibitionis hujus: *Nemo temerariâ illâ & à Patribus sub Anathemate prohibitâ voce uti: Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Jansenius enim non modo *justificatis* seu justis, sed etiam *justis volentibus & conantibus* asserit *aliqua præcepta Dei esse impossibilia, deesse quoque gratiam quâ possibilia fiant.* Neque obstat additio Jansenii: *secundum præsentes quas habent vires*: Quia equidem *impossibilia* nuncupat, & impossibilia impossibilitate quæ potestatem auferat, & omnimodam orandi & agendi impotentiam invehat, necessitatemque prævaricandi præcepta inducat; quæ ad eam sufficit impossibilitatem quam Patres Anathemate dignam censuerunt. Neque enim Manicheam solum impossibilitatem peccandique necessitatem exhorruêre Patres, sed & eam quam Pelagiani Catholicis objecêrunt asserentibus naturam sine gratiæ adjutorio neutiquam sufficere ad mandata Dei servanda. Naturæ quidem quâ tali & segregi

Sess. 6. cap. 11.

gregi à gratia *impossibile* dixit Augustinus benè velle & operari; at homini ad gratiam comparato possibile semper asseruit quia si non possit homo facere, quod jubetur, *monetur petere quod non possit*. Et si justificatus fuerit, *non deserit nisi deseratur, ut pie semper justèque vivatur.*

Quod si cum Palladio responderis: interdictà dumtaxat *hæc Generalis Sectariorum assertio: Præcepta Dei homini justificato esse ad observandum impossibilia*:

Respondeo Assertionem hanc non esse generalem. Quid si enim quis omnia præcepta Dei possibilia assereret, excepto uno v. g. *non concupisces*, ad quod omnes homines obstrictos sub mortali docent Lutherani, nonne & ipse in Tridentinum impingeret? Nullum autem esse impossibile affatim dicta synodus declarat Augustini verba consecrans adoptansque: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet facere quod possis, & petere quod non possis*, & addit: *& adjuvat ut possis.* Ut indicet non omnem justificato ademptam esse adimplendi potestatem, ut censendus sit incurrisse impossibilitatem.

Vidit id oculatius sapientissimus Arnaldus, qui licet à Jansenio non se plenè dispescat, quod facere nititur, Jansenianam hanc carpit his verbis: *Falsum est hominibus justis volentibus & conantibus aliquâ Dei præcepta esse impossibilia secundum præsentes vires, & deëse illis gratiam* &c. Et alibi ad eandem propositionem: *Quod absolutè dictum nullâque cum exceptione quamcumque voluntatem complecti potest adeoque sub litterali significatione terminorum, Lutheranorum & Calviniſtarum hæresim comprehendit*, &c.

Arnaldus Dissert. p. 4 art. 13. de Gratia effic.

In' scripto de quæstione juris sect. 4.

Cui licet non assentiar, quod Jansenii verba damnatum ad Calviniarum & Lutheranorum abducat sensum; equidem non malè judicasse reor

quod Janſenius à temeraria illa voce in Tridentino prohibita non ſe elongaverit.

Inſtat Palladius in ſpongia ſuâ: *Non penitus ablatum ab omni Catholicorum uſu vocabulum* IMPOSSIBILE *etiam* INTUITU MANDATORUM DEI. *Quid enim ſi quis dicat:* NATURÆ VIRIBUS ESSE IMPOSSIBILIA HOMINI PRÆCEPTA DEI, *ut poſt Concilium Tridentinum aſſeruit magnum Lovanienſis & Duacenæ Academiæ Decus Eruditiſsimus Eſtius? Quid ſi quis edicat eſſe impoſsibilia ſervatu ſine Gratia Chriſti? an continuò impinget in Tridentinum? Quæ autem tanta diſparitas eſt inter hæc duo:* IMPOSSIBILE EST PRÆCEPTA DEI *implêre ſine Gratia Chriſti; &*, IMPOSSIBILE *eſt quædam Præcepta Dei magna, quæ magnâ & robuſtâ gratiâ opus habent implêre per Gratiam infirmam, quæ tantas vires non impertit; vel quædam Præcepta Dei magna per vires gratiæ languidas & invalidas ſunt ſervata impoſſibilia? Attamen hoc eſt univerſum quod Janſenius aſſeveravit.*

Reſpondeo vocem ſolam non eſſe horridam, quia quibuſdam nativam.

Sed Periodus iſta horrifica: *Juſtificato homini Præcepta ſunt impoſſibilia*, & quidem hoc addito: *Deeſt quoque Gratia quâ poſſibilia fiant.*

Quod propoſitio iſta non ſit ſynonima cum allatis, obſervavit Arnaldus ipſe. Generatim illa propoſitio aſſerit & indefinitè deeſſe quoque iis juſtis volentibus & conantibus gratiam, quâ mandata poſſibilia fiant, *quod univerſè ſumptum Calvini hæreſim repræſentat.* Sed aliter

Loco ſupra citato.

Reſpondeo longè hæc diſſidêre: *naturæ viribus impoſſibilia ſunt homini præcepta Dei: & juſtis conantibus & volentibus impoſſibilia ſunt præcepta Dei.* Prima namque *impoſsibilitatem* viribus naturæ tribuit rectè, quia hoc Anti-Pelagianum eſt: ſecunda præſenti gratiæ, quâ pollet homo, impoſſi-

possibilitatem affricat, quæ non convenit. Esto namque conatus & voluntas parva per se non possit, potest tamen saltem cum gratia altera quâ possit petere ut possit. Unde aliud est gratiam parvam bonæ voluntatis aliquid non posse, aliud homini bonâ gratiâ & bonô voluntatis & orationis non posse. Ideoque argumentum illud præoccupat Augustinus; & ex illo Tridentina Synodus subjiciendo: *Petere quod non possis.*

Cum igitur Jansenius non tantum dicat conantibus & volentibus justis præcepta esse *impossibilia* per solum illum conatum parvamque voluntatem; sed nec aliunde habere potestatem orandi quâ voluntas conatusque augeatur; manifestum est ejus propositionem non converti cum allegatis in argumento. Quamquam & negari possit quod homini per vires parvas instructo, qui majoribus indiget auxiliis ad agendum impossibile dici debeat quod non agitur. Negat enim Arnaldus ipse impossibilitatem illam dicens falsum esse deesse gratiam justis illis *Conantibus & volentibus excitantem & sufficientem Thomistico sensu, quæ non complectitur omnia ad agendum necessaria. Et qui hoc damnatum à Pontifice velit adversus illum minimè pugnabimus.* *Arnaldus Dissert. de Grat. effic. sect. 13.*

SECTIO III.

Ianſenius uti Auguſtino, ita Concilio Tridentino in primâ ſuâ famoſâ Propoſitione abuſus eſt, ex illa voce non poſſis, *inferens illud :* impoſſibile.

QUam immaniter ab Auguſtino famoſus ille Janſenii Auguſtinus exorbitaverit complexus Auguſtini verba, & contra Auguſtini mentem impoſſibilitatis duritiem extorquens, aliàs ſatiatiſſimè demonſtratum credimus. Parili gradu Tridentini Concilii verba, quæ ipſâ ſunt Auguſtini, apprendens, unde Concilium poſſibilitatem Præceptorum Dei in homine juſtificato creditam voluit, impoſsibilitatem Janſenius intulit. Siquidem poſt citata Auguſtini verba à Concilio Tridentino conſecrata, *Deus impoſsibilia non jubet* &c. Janſenius concludit: *ex hâc indubitatâ Doctrinâ, quædam non parvi momenti ad hanc rem ſpectantia inferuntur & clareſcunt. Primum quidem eſſe quædam homini præcepta ſecundum ſtatum & vires, in quibus conſtitutus eſt, impoſsibilia.* Dein pergit ut illam impoſsibilitatem in alios etiam juſtos, & volentes & conantes traducat, ſed ſtupenda & novâ conſecutionis lege.

pag. 325.

Concilium namque damnat Hæreticos *impoſsibilia* homini juſtificato imponentes. Quod ut ſtabiliat, Auguſtini Teſtimonio elimpidat oſtenditque aliud eſſe juſtum aliquid *non poſſe*, aliud hoc illi eſſe *impoſsibile*. *Deus*, inquit, *impoſsibilia non jubet*. En definitionem. *Sed jubendo monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis.* En declarationem ſolidamque ex Auguſtino rationem.

tionem.

tionem. *Quam Augustini Doctrinam*, ut fatetur Janſenius: *Tridentina Synodus tamquam Catholicam Sanxit.* Ex Auguſtino Tridentina Synodus impoſsibilitatem ſubruit, ex Auguſtino Janſenius *impoſsibilitatem* erigit. Ex illo Auguſtini, *& petere quod non poſsis* Tridentina Synodus Deum impoſsibilia non præcepiſſe homini juſtificato colligit; at ex eodem Janſenius Capite juſtorum impotentiam impoſsibilitati ſupparem eruit. Imò quod ſtupeas vehementius, hoc ipſum quod Tridentina Synodus damnat, à Tridentinâ Confirmatum cupit, & quod ſub Anathematis interminatione interdictum voluit, *juſtificato Præcepta Dei ſunt impoſsibilia*, hoc ipſo vocabulo quoad ſenſum ſaltem eandem ſynodum uſam eſſe aſſeveravit. Argumentum enim Janſenianum compendio iſto concluditur: *Auguſtinus* docet juſtos aliquos non poſſe, & ideo petere debere ut poſsint; igitur id quod nondum poſſunt, eſt ipſis modò impoſsibile. Similiter Tridentinum dicit juſtificatum petere, ſi non poſſit, igitur cenſet præceptum eſſe impoſsibile, pro cujus adimpletione rogat ut poſsit. *Ibid.*

At nonne hoc eſt Concilium Tridentinum ſibi committere & Hoſtibus ludibrium facere? Nam quod Sacro-Sancta Synodus illis abſtuliſſe viſa eſt dicendo: *Deus impoſsibilia non jubet, ſed jubendo monet facere quod poſsis*; hoc alterâ manu reſtituit dicendo: *& Petere quod non poſsis. Non poſſe* enim, aiet & Lutheranus atque Calvinianus, cum *impoſsibili convertuntur*; Proinde quod impoſsibile negaverunt Patres conſcripti, hoc nobis ultrò conceſſerunt. Quid ad hæc pro Eccleſiâ Sancta Dei tantus olim ejus defenſor regerere poterit niſi palinodiam cecinerit, ſuamque ipſe impoſſibilitatem demolitus fuerit? Alioquin ſenſus Sacro-Sancti Concilii deridiculus erit: *Deus im-*

possibilia non jubet, sed monet ut quæ impossibilia sunt, petendo possibilia faciatis. Sed quid si Jansenio ulterius objiciatur: sed non habet homo justificatus gratiam unde petatur? Ergo & petere & facere, utraque impossibilia permanebunt. Non sic olim Lovanienses de impossibilitate sensêrunt, non Duacenses. Qui objicientibus sibi Molinistis præceptorum impossibilitatem non Manichæam non Calvinianam seu absolutam ut alii vocant, sed respectivam ad præsentes hominis vires, si non adesset semper gratia quâ impleri possit præceptum, numquam ullam impossibilitatem admiserunt cum Concilii Tridentini, tum S. Augustini Doctrinâ muniti: *Deus impossibilia non jubet* &c.

Assertio Scholæ oppositæ erat: *Totâ Scriptura plena est præceptis & exhortationibus, ut peccatores convertantur ad Deum; atqui Deus non præcipit impossibilia; ergo dat illis sufficiens auxilium, ut possint converti.*

Censura Lovan. ad Asser. 3.

Respondent Lovanienses in censura secuti Concilium: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis.* Sentit ergò ad Dei implenda mandata non habêre semper omnes sufficiens auxilium, ut quisquis hoc sibi deesse senserit, petere admoneatur quod nondum accepit. Cui simile est illud prosperi: *Ideò dari præceptum, ut præcipientis quæratur auxilium. Ex quo intelligi potest, ut nihil præcipi dicatur impossibile, satis esse, ut in virtute ac bonitate Dei sufficiens sit paratum auxilium, quo implêri, quod jubetur, possit, etiamsi nullum adhuc ejus habeatur beneficium, quod dici sufficiens queat.*

Censura Duacena.

Duaceni autem Respondent: *Inepta collectio: Qui enim jubet ut faciamus simul jubet ut petamus, sive quod sufficiens auxilium nondum habeamus. Unde Patres Concil. Trid. verbis ex Augustino desumptis:*

sumptis: DEUS IMPOSSIBILIA NON JUBET, SED JUBENDO MONET FACERE QUOD POSSIS ET PETERE QUOD NON POSSIS. *Si autem petentes quidam non possunt, quantò minus non petentes, imo nec petere volentes, nec eum à quo petatur, agnoscentes? Nec ob id putandum est* ALIQUID IMPOSSIBILE JUBERI... Et infrà? *Non enim præcepta & exhortationes convincunt jam omnibus datum esse, jamque ab omnibus haberi tale auxilium, sed remittunt ad illum qui dare potest, ut ab eo petant, quod nondum acceperunt.*

Ecce nequidem in non petentibus admiserunt veteres illi Doctores præceptorum *impossibilitatem*, licet cum Augustino & Concilio Tridentino apertissimè confiterentur aliquos sive justos sive injustos, sive petentes sive non petentes nondum præcepta observare posse. Eadem premebant Jansenium argumenta: cur non paribus armis ea retudit? Cur non similiter consecutionem negavit, & cum Augustino & Tridentino reposuit: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis*? Sed evenisse arbitror viro isti magno ab oppositâ sententiâ immaniter abhorrente, ut Augustini mentem assequi nimium sollicitus, Augustini stylum saniorem amiserit, & adimpleſſe quod Palladius Jansenianus non minimus asseveravit: *Scio quosdam non numquam longius provehi, quam ab initio decreverant.* Qui error quam rectè illi tribui possit, secutura documenta docebunt. Sed oportebat Jansenium *impossibilitatis* vocabulo sensûs sui singularem duritiem exprimere, cum impotentiam quandam morali saltem impossibilitati æquivalentem, imò necessitatem plusquam moralem Justis conantibus volentibusque impingeret omni penitus ad Præceptorum observationem sufficienti Præsidio destituens, ita ut nec ea adimplêre possent, neque orare ut possent.

CAPUT II.

De obvio damnato primæ Ianſenianæ ſenſu.

JAnſenii vindices qui primam damnatæ Pentados Propoſitionem propriis terminis è libro, cui titulus *Auguſtinus*, excerptam eſſe diffitêri nec volunt, nec poſſunt; ſenſum tamen damnabilem in præfato libro repertum pertinaciſſimè negant, aſſeverantes Janſenii ſenſum & Auguſtinianum eſſe, & apprimè Catholicum: adeòque Romanos Pontifices plus errori obnoxios fuiſſe, ſi hunc ſenſum ferierint Janſenianam propoſitionem in ſenſu libri illius condemnando, quam Janſenius ipſe ſcribendo. Alii ſibi perſuadêre nequeunt damnatores iſtos ad ſenſum nativum propriumque & obvium, qui è contextu libri etiam ex-ſculpendus eſt, animum intendiſſe; ſed verba prout jacent & ſonant, ſine reſpectu libri damnata concèdunt, utpote Calvinianam aut Lutheranam redolentia peſtem. Alii ſenſum illum damnabilem nequidem verbis in obviâ litterâ tribui poſſe concedere voluerunt, ſed qui *affingi poſſit*. Ita de omnibus propoſitionibus ſentire ipſis collubitum fuit. Omnes iſti exorbitantes immaniter à mente Sedis Apoſtolicæ ſenſus modò veniunt refutandi. Itaque ſit de obvio damnatæ primæ Janſenianæ ſenſu

SEC-

SECTIO PRIMA.

Sensus obvius damnatus non est Lutheranus aut Calvinianus ut vult Arnaldus.

ARnaldus post citatam Propositionem primam, & signanter postremam periodum: *Deest quoque Gratia, qua possibilia fiant*, subjungit: *quod universè sumptum Calvini hæresim repræsentat, & S. S. Concilij anathemate damnatum: Si quis dixerit Præcepta homini etiam justificato & sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia, anathema sit. Ex quo*, inquit Dissertatione de Gratiâ efficaci *Constitutionis Innocentij X. intelligentia pendet ipsis adversarijs fatentibus, qui illa ipsius verba (ante damnatam declaramus) ad Concilium Tridentinum referunt.* At si Arnaldi adversarii id fassi sint, non censeo equidem fatendum. *In quæstione juris sect. 4.* *Diss. p. 4. art. 13.*

Et loco prius citato id probatum venit. *Summus Pontifex cum primam propositionem damnaret clarè innuit, non à se alio sensu acceptam; cum dicat propositionem se damnare jam anathemate damnatam, nimirum in Concilio Tridentino;* ANATHEMATE DAMNATAM ET HÆRETICAM DECLARAMUS. *Certum est autem*, etiam teste Bellarmino Cardinali, *non aliud anathemate hoc Tridentino perculsum, quam quod hæretici asserebant, numquam Justis eam adesse gratiam quâ divina præcepta implere possent; sed quidquid agerent illi sanctius, id pro peccato vel lethali vel certè veniali, habendum esse.* Ideò dicit: *Sub eadem litterali significatione primam propositionem Lutheranorum & Calvinistarum hæresim comprehendere, numquam à Justis mandata Dei servari docentium quæcumque illis ea servandi voluntas sit; utcumque Spiritu Dei adjuventur, ait Calvinus.* Sed his repugnat.

Pri-

Primò quod Innocentius X. hanc propositionem damnaverit ut excerptam è libro Jansenii cui titulus *Augustinus*, & quidem in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento; ut qui Jansenius Lutheranorum vel Calviniſtarum sensui non consensit in libro præmemorato.

Assumptum claret, quia Jansenius dumtaxat de imperfectè conantibus ac parvâ voluntate volentibus parvamque, qualem S. Petrus habuit ante lapsum, Charitatem habentibus loquitur dum Præcepta illis impossibilia asserit: & hoc confirmat ex eo quod juxta S. Augustinum & Tridentinum etiam justi aliquando non possunt quod volunt, & ideò petunt, ut possint, & si Deus exaudiat, Deus adjuvat ut possint, Exaudiri verò eos *qui sic petunt, & tantum petunt, quantum res tanta petenda est.* Adeòque admittit orandi gratiam occulto judicio justis aliquando subtrahi, ac sic pro illo tempore Præcepta Dei impossibilia fieri. Imò Perfectissimam in quibusdam possibilitatem admittit cap. 15. ejusdem libri 3. de gratia Christi Salvatoris: *Quartò completissimè dicimur posse, quando Sancti Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nudè posset, sed etiam velit. Tali gratiâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. Dat enim non solum posse si velis, sed & velle quod potes. Hoc posse numquam habetur, nisi quando reipsâ quoque agitur, & est proprius effectus non fidei, aut Charitatis seu bonæ voluntatis habitualis,* SED ILLIUS GRATIÆ ACTUALIS, QUAM CHRISTUS ATTULIT HOMINIBUS INFIRMIS PER CRUCEM SUAM. Non igitur Jansenius cum Calvino vel Luthero docuit aliqua præcepta homini justificato sub quacumque gratia constituto esse impossibilia (nam sub magnâ gratiâ asseruit omnia etiam maxima & gravissima præcepta esse possibilia) sed tantum parvâ gratiâ

pag. 340.

gratiâ parvisque & nondum provectis Charitatis Lacertis roborato.

Quod verò nunc spectat Innocentii X. mentem, constat eum, propositionem non ut avulsam ab Authore, prout multæ damnari assolent, sed ut Jansenianæ voluminis germanam sobolem peremisse. Nam agit de propositionibus, de quibus occasione libri Jansenianæ in Gallia controversia fervêbat: Verba Pontificis sunt: *Cum occasione impressionis Libri, cui titulus Augustinus Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, Præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propositiones nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam ac perspicuam ferremus sententiam.* Quod autem quinque illæ propositiones & quoad sensum, & quoad litteram respectivè discussæ fuerint, an Jansenianæ Libro nativè essent; testatur nobis ejusdem Apostolicæ sedis Antistes & successor, ut oculatus gestorum testis. Ita namque præfatur adversus eos, qui aliorsum torquêbant Propositionum istarum sensum Alexander Papa VII. *Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis filij prædictas quinque propositiones, vel in libro prædicto Cornelij Jansenij non reperiri, sed fictè & pro arbitrio compositas esse vel in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christi fidelium scandalo, non reformident; Nos qui omnia, quæ in hac re gesta sunt, sufficienter, & attentè perspeximus, utpote, qui ejusdem Innocentij Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus congressibus interfuimus, in quibus Apostolica Authoritate, eadem causa discussa est, eâ profecto diligentiâ, quâ major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis*

sis impositerum auferre volentes, ut omnes Christi fideles in ejusdem fidei unitate sese contineant, ex debito Pastoralis officij, ac maturâ deliberatione, præ-insertam Innocentii Prædecessoris nostri constitutionem, declarationem, & definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus, & quinque illas propositiones ex Libro præmemorato Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est Augustinus, exerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse declaramus, & definimus, ac uti tales, inustâ scilicet singulis nota, &c. Deinde CORNELII JANSENII HÆ-
Anno 1656. RESIM, *in Galliis præsertim, serpentem, ab Innocentio X. fel: recordationis Prædecessore ferè oppressam dicit.* Sed, *cum ad instar Colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & Cavillationum deflexus iret, formulam ob omnibus Archiepiscopis, nec non aliis quibuscumque Ecclesiastici ordinis, tam Regularibus, quam sæcularibus, etiam Monialibus, doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus ac Magistris subscribendum mandavit.* Formula seu formulare notum est: *Ego Constitutioni &c.*

Ex quibus liquet non Lutheranam aut Calvinianam, sed Jansenianam è libro Cornelii Jansenii excerptam hæresim ab Innocentio X. fuisse damnatam, prout hic successor Alexander VII. & subsequentes damnatam indissonabili consensione damnaverunt. Qui si quid in facti hujus quæstione (quod verendum non erat) dubietatis inveniissent, omissô Jansenii nomine, propositiones illas famosas perstrinxissent. At cum secus acciderit, tolerandi non sunt qui damnatam propositionem Luthero & Calvino transcribunt, ut novam Jansenio hæresim abjudicent contra sedis Apostolicæ scita toties in Jansenium pii, & in Apostolicam Cathedram sive in Sanctum Petrum injurii. Neque

Neque obviant Arnaldi argumenta. Primò quia propositio Jansenii cum non dicat omnia præcepta sunt impossibilia, *sed aliqua*, neque justis omnibus, sed *conantibus & volentibus secundum præsentes vires*, esto ad Librum Jansenii non respiceretur, à Lutherano & Calviniano errore dispesci poterat; cum hic justos omnes complectatur, quamtumcumque volentes & per gratiam efficacissimam conantes.

Secundò quia nullo indicio claret Innocentium X. ad Lutheranos aut Calvinianos reflexisse, sed potius ad Librum Cornelii Jansenii. Damnat quidem propositionem, ut damnatam; sed non dicit à Concilio Tridentino.

Nam & Concilium ipsum à Patribus damnatam asserit vocem *impossibilitatis justificato attributam*. Sicut igitur Tridentinum damnavit in Luthero & Calvino impossibilitatem Præceptorum respectu justorum omnium sub quocumque gratiæ præsidio constitutorum quia similem loquendi duritiem a Patribus damnatam novit; ita & Innocentius X. in Jansenio similem rigorem, seu *impossibilitatem*, licet alio sensu intellectam damnare potuit. Adversarii Arnaldi qui Jansenium ad Tribunal Tridentinum revocant, aljud in Concilij sensu à Lutherano & Calviniano dogmate disjunctum fortè invenêrunt, unde justis gratiam non deesse adstruerent. Siquidem Augustini sententia, *Deus impossibilia non jubet* à Tridentino assumpta & contra Manichæos vera est, & contra Pelagianos non absolutam, sed respectivam objicientes impossibilitatem. Quantùm debellat primos, tantùm postremos expugnat: atque ita etiam Jansseniana impossibilitas illic vapulat. Et hoc fortè in Jansenio temerarium dicitur, quod temerariâ voce illâ usus sit *impossibilia*.

Et

Et fortaſſe accidit, quod ante Alexandri VII. declarationem multi exiſtimarunt, Pontificem Innocentium X. ad Tridentini Anathema reſpicere cum Arnaldo in quæſtione juris Sect. 3. ubi ait: *Cum Innocentius X. primam propoſitionem proſcribat ſub Anathemate damnatam, omneſque conſentiant ad Tridentinum Anathema alludere &c.* Sed excuſandi non ſunt; quia Innocentius X. in alio Brevi ad Epiſcopos Galliæ anno 1654. declarat: *damnavimus* in 5. Propoſitionibus Janſenii *doctrinam ejus Libro contentam.*

SECTIO II.

Prima propoſitio non eſt etiam damnata in ſenſu quem legitimè ſumpta non habet, ſed malignè affingi poſſet ut voluit tripartita ſenſuum diſtinctio Innocentio X. exhibita anno 1653. relata in Panegyri Ianſeniana Pag. 105.

ORatores Galliæ qui Janſenii cauſam tuiti ſunt, exhibuerunt triplicem ſenſum propoſitionis primæ, unum qui malignè Propoſitioni affingi poſſet; alterum verum, ut putabant, Janſenii ſenſum; tertium primæ propoſitioni contrarium. Primum cenſuêre Calvinianum aut Lutheranum, & à Concilio Tridentino damnatum: medium in Auguſtino fundatum, atque à Concilio Tridentino definitum: tertium quem Molinianum aiebant, eſſe Pelagianum vel Semi-pelagianum.

Juxta primum ſenſum propoſitio formata ſic ſonat: *Juſtis omnibus quantumlibet volentibus & conan-*

conantibus secundum præsentes quascumque vires, quæ à gratiâ magnâ & efficace habentur, mandata Dei sunt impossibilia. Deest quoque illis semper, & quamdiu vivunt, gratia, quâ possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplêre. Hujusmodi propositionem loco primæ Jansenianæ obtrudere, quid aliud censeri debuit, quam Apostolicæ Sedi illudere? Quæ propterea dictam quinque propositionum in tres sensus distinctionem explosit. Siquidem *in Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & universalis inquisitionis & SS. D. N. Innocentij Papæ X. post condemnatam suâ Constitutione editâ pridie kalendas junij anni incarnationis Dominicæ* 1653. *in* 5. *propositionibus Augustini Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis doctrinam, ne occasione Doctrinæ Prædictæ in mentes Christi fidelium aliquod dubium vel error obrepat; eundem Augustinum Cornelij Jansenij iteratò unà cum aliis infrascriptis libris prohibet & damnat. Inter istos autem libros invenitur brevissima* 5. *propositionum in varios sensus distinctio, apertaque de iis tum Calvinistarum, tum Lutheranorum, tum Pelagianorum & Molinistarum, tum S. Augustini, ejusque Discipulorum sententia, sive Typis, sive scripto extet.*

Et cum in hoc affecto Jansenianæ propositioni persisterent Clerici in Gallia, sed *numero pauci*, qui quinque propositiones proscriptas damnare se quoque profitebantur, *sed alio planè sensu, quam qui à Jansenio traditus & explicatus est; Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Parisiis congregati Scripsêre Pontifici* die 28. Martii 1654. *Nos in hac urbe Parisiensi Congregati censuimus, & per Epistolam Encyclicam his Litteris adjunctam declaravimus propositiones illas & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii à Sanctitate vestra damnatas disertis & manifestis*

verbis. Quid ad hæc reſcripſiſſe arbitrabimur ipſum propoſitionum damnatorem Innocentium X.? Erraſſe Epiſcopos, ſe propoſitiones dumtaxat in ſenſu Lutheri aut Calvini, non autem Janſenii Anthematizaſſe? abſit. Nam à zelo, qui ſecundum ſcientiam eſt, Laudat Epiſcopos, eorumque ſententiam Apoſtolicæ lucis Authoritate perfundit atque corroborat hiſce Reſcriptis de die 29. Septembris anni 1654. *Jucundum ſanè accidit probari nobis luculentius veſtræ pietatis Zelum in iis partibus obeundis, quas nos omnibus Paſtoralis officii Adminiſtris injunximus, ut quâ par eſt obedientiâ, ubique ſervari curent Conſtitutionem noſtram, quâ die* 31. *Maij* 1653. *damnavimus in* 5. *propoſitionibus Cornelij Janſenij doctrinam ejus libro contentam*, cui titulus Augustinus. Ut proinde Alexander VII. Prædeceſſoris ſui mentem plenè planèque in Formulario ſuo ſit proſecutus.

Verè itaque Janſeniana Doctrina, quam Innocentius X. aliique ſecuti Romani Pontifices damnatam eſſe voluerunt, non Calviniana, aut Lutherana Janſenio afficta. Quod uberius probandum. Proinde ſit



SECTIO III.

Obvius primæ propositionis sensus non est ille medius in damnata 5. Propositionum in Varios sensus distinctione velut Jansenianus positus, scilicet: Aliqua Dei præcepta aliquibus justis volentibus & conantibus invalidè & imperfectè secundum præsentes quas habent vires, parvas scilicet, & infirmas seu auxilio efficaci ad plenè volendum & operandum necessariò destitutis, impossibilia sunt proximè & completè, seu ab iis adimplêri proximè non possunt. Deest quoque illis gratia efficax quâ præcepta illis proximè possibilia fiant, seu deest illis speciale auxilium sine quo justificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in acceptâ justitiâ, id est, observatione mandatorum Dei perseverare non potest.

PRimò id probatur ex diversitate verborum propositionis Jansenianæ & hujus exponentis. Jansenius enim absolutè dicit *impossibilia*; hæc autem cum clausulâ, & quidem alienante, *proximè & completè*: quæ supponit remotam non deesse potestatem, quæ sufficit ad veram Præceptorum possibilitatem, modò sit ità remota, ut proximam & completam valeat per præsentem gratiam advocare.

Secundò aliud est deesse gratiam quâ præcepta fiant, seu proximè possibilia fiant; & aliud quâ simpliciter possibilia fiant. Jansenius non

modò primum adstruit, sed etiam secundum, quia non solum benè agendi, sed etiam, ut oportet, orandi potestatem Justis illis abjudicat.

Tertiò nihil singulare diceret Jansenius, quod Molinistæ non admitterent, si tantum proximam & completam benè agendi potestatem justis conantibus aliquandò deesse docêret: Nam & illi, & quotquot cum Alphonso Momio gratiam orandi ab agendi gratia hoc limite distinguunt, quod hæc efficax sit, ista plerumque non nisi sufficiens: facilè concedent aliqua Dei præcepta esse proximè & completè impossibilia, & deesse gratiam quâ possibilia fiant; idest, non possunt ab illis proximè implêri potestate cum actu conjunctâ, nullum aliud auxilium requirente ut in actum prorumpat. Ut quid ergò Jansseniana Doctrina Vaticanum fulmen inde conseciviſſet? Dicere autem Augustinum Cornelii Jansenii sub Augustini Hisponensis lauru intactum mansisse sine atroci Apostolicæ Sedis contumelia quis ausit asserere?

Quartò Jansenius potentiam veram ab actu distinctam ad benè agendum orandumve semper repudiat; imò sine eversione fundaminum Augustinianæ Doctrinæ in statu naturæ lapsæ admitti non posse asseverat: & eam gratiam quæ dat posse & non operari, monstrum appellat ad Pelagianorum fines amandandum. Nam Christi gratiæ proprium & essentiale definit *dare velle quod potest*, & semipelagianos in hoc errasse, quod talem gratiam admitterent quæ tantum posse, & non operari impertiret voluntati, & alia, de quibus suo loco. Justi autem imperfectè volentes & conantes non operantur quod volunt; igitur ex mente Jansenii deest illis gratia non modò illa quæ effectum inferat; sed & illa quæ potestatem tribuat, adeòque tanta est impotentia,

tia, seu potentiæ absentia, ut impossibilia impræsentiarum censeantur mandata Dei capiendo *impossibile* pro *impotentiâ* omnimodam necessitatem inferente & contradictionis libertatem evertente.

Objicit Author Confutatæ Epistolæ Leodiensis hunc sensum esse propositionis: *Præcepta quædam hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sed quibus adhuc deest gratia necessaria ad ea actu complendum, sunt non quidem simpliciter impossibilia, sed impossibilia hoc sensu quod nondum habeant posse plenum & perfectum quo actu illa impleant, deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant, eâ possibilitate quæ complectitur omnia ad ea actu implendum necessaria. Falsi convictus ipse sim*, inquit, *si alium ex contextu Jansenii sensum eruere possit Defensor.* Sed solutio fluit liquidò ex præmissis. Præter bis idem, dicit illa expositio & æquipollet huic: Justi conantes & volentes aliquandò non habent posse *plenum & perfectum* ideòque præcepta sunt impossibilia proximè seu carent posse, quo actu impleant, & deest gratia dans plenum & perfectum posse, quô actu præcepta adimpleant. Instat: *Jansenius ipsâ voce impotentia, quâ utitur satis indicat, se de propriè ac simpliciter dicta impossibilitate non loqui, sed de quadam impotentia, quæ ex eo nascitur, quandò adhuc desunt vires ad præcepta actu implenda.*

Defensio epist. Leod. resut. fol. 74.

Fol. 72.

Respondeo: etsi non admittat impossibilitatem Manichæam, aut Calvinianam seu Lutheranam, admittit equidem justificato homini imporentiam inferri, ut moraliter sit impossibile præcepta servare. Et quemadmodum in sententia Calvinistarum impossibile est in hoc statu per gratiam maximam præcepta servari, ita in sententia Jansenii impossibile est per gratiam præsentem parvam,

vam, per quam non potest majores vires à Deo impetrare. Et sicut Hæterodoxi illi auferunt potestatem justo sub magna gratia constituto omnia mandata Dei adimplendi, ità Jansenius omnem adimit potestatem homini conanti & volenti sub parva gratiâ ad aliquorum præceptorum observationem pertingendi; cum posse agere & posse orare in non orante, & non operante reperiri posse inficietur: semi-pelagianam enim vocat gratiam & Medicinalis gratiæ titulo indignam quæ dat posse ab actu disjunctum. Ac proinde omnem gratiæ medicinalis potestatem à justis illis submovendo, impossibilitatem, etsi non Lutheranæ aut Calvinianæ similem, saltem admodum æmulam inducit. Nam & hi quoque facilè regererent, per Dei potentiam omnia mandata servari posse ab homine justificato, sed modò eam non suffragari homini in hac infirmitate constituto, neque impartiri tantas vires quibus omne peccatum ab actibus suis excludat: adjicientque per impossibilitatem præceptorum non nisi impotentiam sese intelligere, quam nulla præsenti vitæ auxilia gratiæ auferant. Ceterum omnia Deo possibilia fore consensuri sunt.



SECTIO IV.

Damnatus Ianſenianæ ſenſus obvius non ex nudis Ianſenij verbis, ſed ex Ianſeniani Libri contextu Antecedentium & conſequentium nexu dijudicandus eſt.

REvixit cum jubilo Janſeniana Phalanx ſeu potius Paucitas, ubi Innocentius alter, Nempe XII. obvium Janſenianæ Pentados ſenſum declaraverat eum, *quem ipſamet propoſitionum verba exhibent.* Hic nactos ſe autumabant cauſam primogenias argutias & cavillationes reſorbendi, Janſenium inſontem cenſendi, dummodò Propoſitiones prout ſonant damnarent; ſatisfacturos ſe rati ſi ad Calvinianos vel Lutheranos eas ſenſus poſtliminiò reducerent, & non ut novam ſed ut alias in Tridentino damnatam eam Anathematizando, corde interim ſentientes in ſenſu libri Janſeniani non modò eſſe Auguſtinianas, ſed inter fidei dogmata accenſendas. Ità Pontificem Innocentium cum Innocentio committere non ſunt veriti, quaſi poſterior Prioris Conſtitutionem alteraſſet. Sed & hi in umbrâ captatâ turpiter deluſi ſunt, cum Innocentius XII. propriâ interpretatione Brevis ſuæ haſce offucias diſpulit. Siquidem non tantum conſtitutionem Innocentii X. & Alexandri VII. confirmavit; ſed etiam puniendos ſancivit Janſeniſtas qui proprios ſenſus à ſenſu Apoſtolicarum conſtitutionum diſſentaneos edunt. Et altero *Brevi*: *non ſine grandi admiratione intelleximus, nonnullos in iſtis*

diœcesibus reperiri, qui verbis & calamo ausi fuerint affirmare supra dicto nostro Brevi alteratam seu reformatam esse constitutionem Alex. VII. 16. Oct. 1656. editam, nec non Formularium ab ipsomet pronuntiatum, cum dicto Brevi utrumque specificè confirmetur, & omninò intenderimus, & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur à prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliquâ ejus minimâ parte, sed quod in omnibus & singulis ejus partibus uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari.

Quod ipsum repetit Clemens XI. in constitutione: *Vineam Domini.* Ubi & illos perstringit qui asserunt " *Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Jansenii libri sensum in antedictis quinque propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet; sed satis esse, si de eâ re obsequiosum* (ut ipsi vocant) *silentium teneatur. Tandemque præcipit, damnatum in quinque propositionibus Jansenii libri sensum, quem illarum verba præ se ferunt, ab omnibus Christi fidelibus ut hæreticum non solum ore, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec aliâ mente, animo aut credulitate supradictæ Formulæ subscribi licitè posse*, &c

Cum autem Jansenii libri sensus non sit Calvini, non sit Lutheri sed ipsius libri fœtus, quem Jansenianam hæresim Pontifex appellat; operam perdit Palladius cum suis summistis magnis conatibus eum à Calvinismo & Lutheranismo dispescendo. Inest ergò propria quædam impossibilitas Jansenii volumini quam Romani Pontifices in eo damnaverunt. Primam verò propositionem hâc Censurâ notârunt: *Temerariam, impiam, blasphemam, Anathemate damnatam, & hæreticam declaramus.*

SECTIO

SECTIO V.

Apostolica primæ Ianseniane propositionis damnatio propugnatur.

PROPOSITIO PRIMA.

ALiqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt IMPOSSIBILIA, *deest quoque illis gratia quâ* POSSIBILIA FIANT.

CENSURA APOSTOLICA.

TEmerariam, impiam, blasphemam, Anathemate damnatam, hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Innocentius X.

ARGUMENTA JANSENIANA.

ARGUMENTUM PRIMUM.

SI tam acri censurâ perstringi mereatur illa propositio, vel id habet ex consonantiâ cum Manichæis, vel Calvinianis, vel Lutheranis; sed ostendi non potest Jansenium eò impietatis delapsum, ut cum illis consenserit, ergò.

RESPONSIO.

PRopositio est temeraria, quia constat voce à Patribus olim damnatâ & à Tridentino prohibitâ. Est impia & blasphema, quia asserit Deum Justum & bonum, & quidem homini bono & justo præcepisse aliquid impossibile, quod non tantum Augustinus in Manichæis est insectatus, sed & in Pelagianis contra gratiæ necessi-

tatem sibi objectantibus est execratus, prout ostensum fuit cum de Augustini mente tractaretur. Et quamquam Jansenius Manichæorum insaniam non sapiat, nec Calvinianam Lutheranamve resuscitet hæresim; ex ea tamen parte, quâ hominibus justis volentibus & conantibus omnem veram præcepta adimplendi potestatem eripuit, eaque *impossibilia* asseveravit, eorum æmulator exstitit, & novam hæresim condidit peccandi necessitatem justis imponens. Huc respexisse potuêre Romanæ Sedis Antistites, qui hunc Jansenianum errorem ceu noviter invectum à Jansenio hæreticorum dogmatum classi inseruerunt.

ARGUMENTUM II.

Accusatur negatæ primâ propositione Præceptorum possibilitatis Jansenius. Ambigua criminatio prius explicanda, quam diluenda. Quæro enim omnemne omninò potestatem observandi mandata justis volentibus & conantibus abjudicasse dicitur Jansenius, an certam quandam & certi generis possibilitatem? Si primum, manifesta calumnia est, ut vel ex titulo cap. 15. libri tertii de gratia Christi Salvatoris constare potest: in quo Jansenius multis modis mandata esse possibilia citrà gratiam sufficientem profitetur.

Si secundum: ergò certam hanc ac certi generis potestatem, cujus negatæ arguitur Jansenius, primum definitam oportuerat, ne tota disputatio hujus vocis ambiguo fluctuaret. Ita Palladius in spongia notarum in V. Propositiones, an in Jansenio,

RESPONSIO.

Accusatur, & justè. Nec certi generis possibilitatis negatæ arguitur puta proximæ, sed & remotæ: cum Jansenius gratiam possibilitatis

litatis explodat nisi effectui conjugata sit, & semipelagianismi insimulet gratiam quæ dat posse & non facere in statu naturæ lapsæ: quia alioquin subversum iri existimat Augustinianum status naturæ & lapsæ quoad possibilitatis gratiam discrimen. Proinde Calumnia non est, sed veritas non tacenda. Quod autem cap. 15. varios possibilitatis modos recenseat, hanc accusationem damnationemque non elidit, quia agit ibidem de possibilitatibus valdè remotis, etiam in illis qui gratiâ supponuntur à Deo destituti, & hoc sensu possibilia dicit quia possunt adimplêri per gratiam, quam Deus dare potest, & cujus homo capax est. Qualem nec Lutherus nec Calvinus forte negabunt non ignorantes Deum omnipotentem. At verò si agatur de possibilitate, quam cum potentia aliquandò confundit, claret, eam, per quam agere posse Jansenius admittit justum, possibilitatem deesse, ubi imperfectus est conatus & voluntas invalida cum nullum posse admittat nisi quod agere, sive quod cum effectu suo conjungatur. Unde gratiæ medicinali Christi obicem numquam poni profitetur, eò quod illa non tantum det qualecumque posse, quod ipse inutile vocat, sed posse utiliter, sive velle & operari.

ARGUMENTUM III.

AUgustinus, imò ipsa Synodus Tridentina admittunt justos aliquandò præcepta observare non posse, & ideò petere debêre ut possint, igitur præcepta sunt ipsis impossibilia, quia deest potentia pro quâ supplicandum; alioquin quid stultius quam petere ut possis si jam possis?

RESPONSIO.

ET Augustinus & Concilium Tridentinum ità non posse asseruêrunt, ut & posse non negaverint:

gaverit: nam si nullum verum posse concederent, non minus quam Jansenius ipse, impossibilia esse præcepta asseverarent. Cum verò horridam illam vocem disertissimis verbis eliminatam velint ab ore Catholico, liquet quod aliud illis visum sit *non posse*, & aliud *impossibile*. Nimirum quia *non posse* intelligi potest ob defectum alicujus ad opus reipsâ ponendum desiderati, sed quod equidem obtineri potest; *impossibile* verò omnem submovet potestatem, dum possibilitas ex parte potentiæ, non ex objecti pensatur, prout eam Jansenius expendit. Neque rigorem mitigandum reor ex eo quod in gratia habituali & in ipsa fide aliquid possibilitatis agnoscat: quia novit hanc possibilitatem nec à Pelagio fuisse negatam; sed de alia possibilitate agitur, per quam præcepta adimplêri posse saltem sufficienter dicuntur. Quæ si desit, impossibilia dicuntur juxta præsentes vires juxta principia Jansenii, qui nequidem in ipsis conatibus & voluntatibus imperfectis gratiam possibilitatis agnoscit.

ARGUMENTUM IV.

Vind. c. 6. *Docet Henricus Norisius, vir de Augustino & litteris benè meritus, in suis vindiciis, non semper justis adesse proximam præceptorum servandorum potestatem; cum desit illis aliquandò præpotens illa & valida gratia, cui voluntas numquam non obsequitur. Si quæras ab illo, quænam ergò tunc potestas justis adsit: remotam concedit, proximam negat. Et hæc ipsa remota in quibusdam bonis cogitationibus ab illo collocatur semper effectu carentibus, quæ certè in hoc ipso de quo agitur loco Jansenius admittit.*

Finge Jansenium hâc doctrinâ imbutum, ut revera fuit; nonne ad illam exprimendam his verbis

uti

uti potuit: aliqua Dei præcepta justis imperfectè infideliterque volentibus & conantibus sunt impossibilia proximè & immediatè: deest quoque illis gratia quâ possibilia proximè & immediatè fiant? En ipsissimam Norisii sententiam Scholasticis verbis conclusam: quid si, ubi satis aliunde expressisset de infirmo se ac debili conatu loqui, ac de proxima, non remotâ potestate, & gratia immediatam non mediatam potestatem largiente se tantum agere, resecatâ illâ verborum congerie mentem suam pressius sic efferret: ALIQUA DEI PRÆCEPTA HOMINIBUS JUSTIS VOLENTIBUS ET CONANTIBUS, SUNT IMPOSSIBILIA, DEEST QUOQUE ILLIS GRATIA QUA POSSIBILIA FIANT; *Quid tandem esset in illa propositione eô quo diximus sensu intellecta, quod culpari meritò possit? ergo hæc verba per se idonea sunt quæ Norisii sententiam Romæ ac passim alibi probatissimam significent?* Ita Palladius in spongia fol. 4.

RESPONSIO.

JAnsenium à Norisio longô intervallô abire, vel hunc potius ab illo magnô tramite deviare. Hic enim remotam potestatem concedit, Jansenius eripit. Unde Jansseniana phrasis *impossibilitatem* ex parte Agentis plenariè eripit, Norisius si sic efferret fors aliter intelligeretur, quamquam propositio sine additione *completè*, etiam minus rectè sonaret. Nam & ipse Arnaldus ob eam causam propositionem ut falsam suspectamque aspernatur. Neque Jansenius si sibi constiterit, admittit vel admittere potest potentiam servandi mandata distinctam à proximâ; quia vel illam largiretur gratia Christi medicinalis vel natura, vel gratia naturæ integræ seu Adamæa: ultimam in statu naturæ lapsæ ablegat ad semipelagianorum castra. Naturæ id tribuunt pelagia-

lagiani. Primam verò gratiam hoc limite concludit Janſenius, *ut ab effectu inſeparabilem* aſſerat, & quidem illo ipſo capite 15. ubi varios poſſibilitatis gradus enumerat. Nam cum egiſſet finaliter de completo poſſe ſubjungit: *De tali poſſe tamquam vero effectu gratiæ Chriſti actualis, quod cum velle indiſtinctum eſt, ſæpè Auguſtinus mentionem facit.* De tali autem velle agit quod completum poſſe tribuit. Præmiſit enim: *Hæc igitur actualis gratia completum poſſe tribuit, hoc ipſo quo velle tribuit.* Et alibi frequenter aſſerit: *Chriſti gratiæ proprium eſſe atque eſſentiale, dare velle quod poteſt. Quod hâc gratia non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum agere adjuvatur. Quod ponat actum in poteſtate voluntatis*, &c. Ergò ex mente Janſenii juſtis imperfectè volentibus non adeſt remota poteſtas, quam Chriſti gratia largiatur: quia dicit *nullam actualem gratiam, ab Auguſtino pro vera illâ Chriſti gratia agnoſci, niſi quæ agit & peragit effectum ſuum.*

pag 341.

pag. 340.

L. 2. de Grat. Chr. c. 32. pag. 335.

Conſequens fluit uberrimè, Janſenium, dum poſſibilitates varias recenſet cum multis, cum multis equidem ſentire non potuiſſe.

ARGUMENTUM V.

COnſentiunt Thomiſtæ nulla bona unquam opera ſine prævià efficaci gratiâ fieri, nec voces illas defugiunt: *ſine efficaci gratia nullum opus bonum fieri poteſt: nulla gravis tentatio ſuperari.* Quod ſi quis pro voce *non poteſt* vocem *impoſſibile* uſurpâre velit: his certè verbis Thomiſticam doctrinam exprimat: *aliqua Dei præcepta juſtis volentibus ſunt impoſſibilia, ideſt, non poſſunt ab illis implêri. Deeſt quoque gratia quâ poſſibilia fiant*, poteſtate cum actu conjunctâ, ſeu poteſtate nullum aliud auxilium requirente ut in actum prorumpat

RES-

RESPONSIO PRIMA.

DIscrimen est ingens inter Jansenium & Thomistas : hi namque veram potentiam agnoscunt in illis quibus gratia efficax seu actionis deficit, adeòque in phrasi Thomisticâ minus offenderet ista locutio : cum non negent adesse gratiam sufficientem ad præcepta implenda. Jansenius autem omnem sufficientem ab opere disjunctam, ut spuriam projicit, etiam Thomisticam. Agens enim de gratia, quam Scholastici nominant remotè sufficientem, qualis est Thomistica consistens in piis motionibus quibus invitamur ad bonum, dicit : *Talem sufficientem* gratiam *fortasse non difficulter S. Aug. admitteret : quamvis esse veram illam Christi gratiam, de qua quæstio est, pernegaret.* Totus verò Jansenius in eo est, ut probet non esse Christi gratiam, quæ non velle & operari in homine operatur, nec eô respectu quô non operatur, hoc nomen merêri.

L. 3. *de Grat. Christi c.* 1. *pag.* 249.

RESPONSIO SECUNDA.

NEque in sententia Thomistarum propositio ità pronuntiata sine addito *completè*, sive potestate cum actu conjuncta, notam effugeret, quia prout verba perexhibent, omnem potentiam etiam posse simpliciter datam justis conantibus & volentibus abnegarent. Hinc Arnaldus licet adstrueret Petro ante lapsum defuisse gratiam sic ut perseverare non posset, veritus est dicere, id Petro fuisse *impossibile*, atque ita à damnata se dispescere studuit, & palàm confessus est, propositionem prout sonat esse falsam : *Falsum est*, inquit, *hominibus justis volentibus & conantibus aliqua Dei præcepta esse impossibilia secundum præsentes vires, & deesse illis gratiam excitan-*

Arnaldus' Dissert. p. 4. *art.* 13. *de Gratia effic.*

citantem & sufficientem Thomistico sensu, quâ possibilia fiant eâ potestate, quæ non complectitur omnia ad agendum necessaria: & qui hoc damnatum à Pontifice vellet, adversus illum minimè pugnabimus quare affirmet. Et alibi: *omnibus justis conantibus & volentibus orare, non deesse gratiam actualem ad orandum Thomistico sensu sufficientem. Neque enim sine ea orare vellent & conarentur.*

Art 7. n. 7.

De Petro, *utrum adfuerit actualis orandi gratia, hoc sensu sufficiens, id est, utrum habuerit aliquas excitationes internas ad orandum, nescire me ingenuè fateor. Habuit quidem, si voluit & conatus est; sed utrum conatus sit, omninò mihi non liquet, malimque super eo aliorum audire sententias, quam meam expromere.*

num. 8.

Fruſtrà ergò Palladius ad Thomiſtarum placita devocat ſuum Janſenium qui cum ipſo Janſenio Thomiſtico-ſufficientem non modò abjicit, ſed & explodit, ut ex ſequentibus lucebit.

ARGUMENTUM VI.

QUiſquis juſtis volentibus & conantibus vel ſolam molinianam, vel cum actu conjunctam poteſtatem aliquandò negat, in fidem Catholicam nihil peccat; atqui Janſenius poteſtatem implendi mandata non niſi geminô illô ſenſu juſtis certis in caſibus eripit: igitur in fidem Catholicam nihil peccat; etſi durius ſenſum ſuum his verbis expreſſerit: aliqua Dei præcepta &c. Palladius pag. 8.

RESPONSIO.

Suprà monſtratum eſt, quod non modò molinianam, ſed Thomiſticam poteſtatem juſtis eripiat Janſenius, hoc eſt eam quâ poſſit poteſtate ab actu ſejunctâ; adeòque non tantum durius locutus eſt, ſed etiam hæreticè.

ARGU-

ARGUMENTUM VII.

TOtus est in hoc duplici Capite Jansenius, tum ut Molinæ gratiam funditus subruat, tum ut efficacis, quæ non omnibus adest, gratiæ necessitatem astruat. Manifestum est autem ad utrumque caput obtinendum duplicis illius potestatis negatione satis esse. Cur ergò negasset alterius generis potestatem, & sic Librum suum non necessariâ invidiâ oneravisset? Pall. ibid.

RESPONSIO.

JAnsenium longius abreptum percitum odiô Molinianæ Doctrinæ, & præamasse omnem gratiam adstruere efficacem, quam vel unam dare sufficientem: ideòque negasse potestatem penitus deficere, ubi quæ effectum donat, abesse cognoscitur. Ne videretur Molinianus, Thomista esse pertimuit, & dum formidare perrexit, etiam Augustinianus esse desivit. *Et olim Pelagiani* aiunt Duaceni in censura sua, *quam longissimè à Manichæis recedere voluerunt, & à Sabellianis Ariani, & à Nestorianis Eutichiani ac Monotholitæ.* Invidiam quidem non ultrô incurrit, sed tamen incurrit vel nescius & voce usus duriori & sensu intolerabiliori progressus, utpote potentiam agendi & orandi non agentibus & non petentibus invidens, dum sic Christi gratiam extulit, ut minuerit: sic exposuit, ut coarctârit. De quo latius ad propositionem secundam.

Censura Duacensis ad assert. 3.

ARGUMENTUM VIII.

OMnibus Theologis probantibus, aliquibus Justis volentibus & conantibus imperfectè immediatam & proximam alicujus præcepti potestatem aliquandò negare licet. Palladius Lemmate 2. præstructo argumento secundo. Et addit ex Norisio de gratia orandi: *Licèt quis sit fidelis, non habet*

in singulis momentis præsens divinum auxilium proximè sufficiens ad orandum.

RESPONSIO.

SIcut alia est gratia dans operari, alia dans posse operari; ita alia dans orare, & alia dans posse orare, licet utraque Augustinianè sit efficax quoad unum effectum; proinde non plus favet hic Norisij locus quam præcedens Jansenio instituto. Audivimus ipsum Arnaldum *Conantibus & volentibus orare, non deesse gratiam actualem ad orandum Thomisticô sensu sufficientem.* Norisius de conantibus non meminit jam citatus.

ARGUMENTUM IX.

IN *illo loco ex cap. 13. l. 3. de Gratiâ Christi Salvatoris deprompto*: Hæc igitur planissimè & plenissimè demonstrant, &c. *Jansenius solam agendi gratiam seu implendi præcepti immediatam potestatem, nullô modô autem mediatam & remotam justis volentibus & conantibus aufert. Nec dubiis id argumentis constat, sed certis & perspicuis. Nam in illo ipso loco, ubi deesse justis ejusmodi potestatem asserit, id ex eo probat, quod ad eam obtinendam Deum invocemus.* „ *Ad hanc igitur*, inquit, *Sanitatem voluntatis assequendam, Ut quemadmodum subinde necessarium est, fortiter plenè atque integrè velle possimus, repugnantesque libidinis seu contrariæ voluntatis motus vincere, gratiam invocamus, hoc ipso clarissimâ voce profitentes deesse nobis sufficientem ad illa præcepta facienda potestatem.* „ *Nemo autem ita fatuus umquam extitit, ut gratiam orandi deesse ex eo probaret, quod aliquis Deum invocet, cum sit propositio seipsum, ut loquuntur, falsificans.* Pall. ibid.

Jansen. pag. 337.

RESPONSIO.

NE iterum actum agamus, negamus. Inconsequentissimè namque ex defectu potentiæ proximæ intulisset impossibilitatem illam meritò

ritò inviſam. Cum Auguſtinus, cum Tridentinum, cum Thomiſtæ univerſi talem poteſtatem deeſſe fateantur aliquandò juſtis, & tamen impoſſibilitatem negent, quam Janſenius eripit illatam. Affatim probatum eſt, quod nullum *poſſe* quod à gratia actuali profluit, ab effectu diſtinctum admiſerit Janſenius, ſed illud ſolum de quo Auguſtinus ab ipſo citatus: *Tunc utile eſt velle cum poſſumus, & tunc utile eſt poſſe, cum volumus.* L. de grat. & lib. arb. c. 15.

Quod Palladius addit de orandi poteſtate, nil proficit cauſæ Janſenianæ: non enim probatur negaſſe poteſtatem orandi in orantibus ut oportet, ſed non orantibus, & orare conantibus. Unde ſicut propoſitio ejus ſonat de non operantibus ſed operari conantibus, ità de non orantibus, ſed orare conantibus: Præceptum orandi juſtis quibuſdam orare volentibus & conantibus eſt impoſſibile ſecundum præſentes vires, deeſt quoque gratiâ, quâ illis poſſibile fiat.

Equidem veriſſimum eſt quod Janſenius ſine reſpectu ad orantes pro obtinendâ gratiâ operis dixerit Præcepta eſſe impoſſibilia, quia præſens poſſe pro nullo habuit quamdiu effectus non eſt per orationis gratiam impetratus.

Eôdem modô refutanda venit objectio de proxima orandi poteſtate, quam ſolam negatam vult Palladius. Non enim Janſenius plus dedit potentiæ orandi quam operandi juſtis; ac proinde ſicut non admiſit potentiam operandi ab opere ſegregem, ita nec orandi prout oportet. Cum utraque à Medicinali Chriſti gratia profluere debeat, de quâ dicit: *quod nulla prorſus effectu caret*, nempe ſicut operis, ita & orationis.

Quatuor concluſionibus non negaſſe Janſenium orandi poteſtatem ſeu gratiam, quin potius ex orandi gratia quæ adſit, probaſſe non adeſſe gratiam concedimus Palladio; ſed ideò magis ſtupemus,

pemus, quod cum orandi gratiam ſupponat illic Janſenius, audeat propter abſentiam efficacis gratiæ per orationem impetrandæ impoſſibilitatis probro Præcepta Dei in talibus juſtis infamare. Nam & Moliniani etſi orandi gratiam ab operandi diſpeſcant, impoſſibilitatem tamen pernegant. Neque oportebat terminos S. Auguſtini tranſiliri, qui ſic non poſſe aſſeruit, ut ſimul impoſſibilia eodem Sermonis contextu pernegaret. Imò longe durius ſonat impoſſibilitatem adſtruere ſub præſenti orandi poteſtate conſtitutô, quam eâ deſtitutô. Itaque quod quatuor concluſionibus iſtis Janſenius gratiam orandi non auferat, ſed ſupponat, cauſam ejus ingravat, & propoſitionem primam efficit rudiorem ac ſi diceretur: *aliqua Præcepta juſtis conantibus & volentibus juxta præſentes vires, imò & orare potentibus & orantibus ſunt impoſſibilia.* Cum impoſsibilitas minus apprehendatur ligare homines orare volentes & potentes impetrare quod petitur, quàm illos, quibus nec orandi nec operandi poteſtas ſuppetit. Sed compulit Janſenium alta perſuaſio iſthæc quod illud *poſſe* quod præcedit gratiam operis pro nullo ducendum ſit, quia inutile eſt & enerve, nec inter Chriſtianæ gratiæ munera computandum; ideòque totam poſsibilitatem per efficacem orationem emendicandam. Unde & quintâ Concluſione, ait iſtam *præcepti faciendi poſſibilitatem, precibus implorari ſolere.* pag. 335. *Plurimis* tamen non *dari, vel cum non petant gratiam illam quâ poſſint & ſufficiant præcepta facere, vel non ita petunt, ut ad impetrandum neceſſarium eſt, nec omnibus gratiam vel ferventer petendi, vel omninò petendi Deus largiatur.* pag. 337. Et ante quintam concluſionem illud Apoſtoli, *Fidelis Deus qui non permittet vos tentari* &c. ad ferè electos coarctavit, eo quod illi ſoli orent ſicut oportet.

AR-

ARGUMENTUM X.

VErum dogma rejici non debet propter alicujus falsi dogmatis adjunctionem : verum enim falsi adjunctione verum esse non desinit.

RESPONSIO.

JAnseniana propositio numquam vera fuit, nec est, nec erit, neque secundum se spectata, neque ad mentem Jansenii librata. Adeòque falsi admixtione non indiget adscitii, cum abundet suô. Per se namque falsum, Deum impossibilia præcepisse homini justo conanti & volenti. Falsum est hominem justum verâ privatum benè vivendi potestate, quandò reipsâ non implet præcepta. Falsum est justo *impossibile* esse orare dum non orat. Falsum est deesse potestatem benè orandi dum orare conatur. Falsum est justum conantem volentemque peccandi aliquandò necessitate compediri. Quod consectarium fluit ex primâ Jansenianâ : quia ubi *impossibile est præcepta servare*, necesse est præcepta violare. Quod præsertim in illis obtinet justis, qui etiam orandi gratiâ sufficienti fuerint denudati, prout denudatos censet Jansenius, dum cum effectu non orant prout oportet, ut vires mandata servandi impetrent. Spiritus enim, inquit, qui ubi vult spirat, sicuti *Spiritum gratiæ, ita & precum effundit* ubi vult. *Et nihil*, ait *celebrius in Augustino, quam quosdam à divino adjutorio deseri etiam justos ex occultis judiciis Dei.* cap. 19. pag. 363.

Jansenius ut probet justos orationis etiam dono interdum destitui adducit Testimonium S. Augustini l. 1. q. 2. Ad simplicianum profitentis : *Nonne aliquandò ipse oratio nostra sic tepida est vel potius frigida & penè nulla, imò interdum ita nulla ut neque hoc in nobis cum dolore advertamus? Quia si vel hoc dolemus jam oramus. Quid*

aliud nobis ostenditur, nisi quia & petere, & quærere & pulsare ille concedit qui ut hoc faciamus, JUBET?

At respondetur id etiam fieri ob negligentias nostras & culpas Deo notas, quia Spiritui precum dorsum vertimus, & nos commoniti ab eo avertimus & orare desinimus pro orationis incremento. Multi langueſcunt in orando, & in novitate suæ conversionis ferventer orant, postea languidè, postea frigidè, postea negligenter. Quasi securi fiunt: Vigilat hostis, dormis tu. Ipse Dominus præcepit in Evangelio: *Quia oportet semper orare & non deficere.* Ideò monet: quamdiu hic sumus, hoc rogemus Deum, ut non à nobis *amoveat deprecationem nostram, & misericoodiam suam, id est, ut perseveranter oremus, & perseveranter misereatur.*

In Psal. 65.

ARGUMENTUM XI.

SI Gratia Thomisticè sufficiens consistat in gratiis quibusdam actualibus Justorum inefficacibus, nullum adjutorium tale Jansenius inficiatus est nam cap. 15. ait: *Quartò itàque completissimè dicimur posse quandò S. Spiritus inspiratione sic voluntas præparatur, ut non nudè possit, sed etiam velit. Tali gratiâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. Dat enim non solum posse si velis, sed & velle quod potes.*

L 3. de Grat. Chr. c. 15. pag. 340

Animadvertenda sunt vocabula, *ipsum agere adjuvatur, dat enim non solum posse si velis; quibus & actionem animæ debilem & volitionem infirmam adjuvari, confirmari & ad plenum posse (quod ab actu sejunctum non est) perduci, secundum totius libri principia clarissimè instillatur*, inquit, Palladius fol. 28. *Quod autem agat de gratia actuali probat ex verbis Jansenii*, "*Voluntas enim seu ut ibidem variat, volitio bona initio infirma est,*

Pau-

Paulatimque gratia Dei abundantius affusa adinstar arboris crescit, donec eo usque virium accrescat, ut cuncta invitantia, cuncta minantia, cuncta reluctantia superentur.

RESPONSIO.

JAnsenius quidem inefficaces justorum voluntates à gratia manantes admittit; sed verum posse ad effectum qui non sequitur, seu quô frustratur non admittit. Quia docet manifestè *interiori gratiæ non resisti*, & medicinalem Christi gratiam effectu suo numquam frustrari. Quod totum destrueret, si gratiam, quæ dat posse, & non operari, admitteret. Licèt ergò admittat parvam voluntatem eò usque crescere virium, ut etiam operetur; non ideò priusquàm adoleverit potentiam veram parvæ voluntati inesse consentit ad operandum. Imò negat Charitate Dei super omnia quaslibet tentationes superari posse: *Falluntur in eo*, inquit, *quod quia Charitate qualibet super omnia Deum diligi sciunt, ideòque hoc ipso etiam putant omnia eâdem Charitate posse superari.*

Quandò igitur dicit per efficacem S. Spiritus inspirationem etiam *posse adjuvari* intelligendum est ad mentem Jansenii alibi luculentius patefactam: *velle dando etiam posse largitur . . . quia in libero arbitrio posse non præcedit, sed sequitur voluntatem.* Nam, eodem Authore, *omnis gratia Dei congrua est omnis operatur atque perficit effectum suum.* pag. 875. L. 8 de Grat. Chr. c. 20. L. 10. c. 7. pag. 1035.

CAPUT III.

De Iustorum volentium & conantium imperfectè potestate seu gratiâ sufficienti Thomisticè.

MUltum juvabit ad Jansenianam Præceptorum impossibilitatem refutandam si ea, quæ justos conantes non deserit Præcepta servandi potestas remota, sufficiens esse probetur, licet ad opus reipsâ perficiendum efficax gratia quæ fortem voluntatem tribuat, necessaria adstruatur.

SECTIO PRIMA.

Quid sit sufficiens, & quotuplex?

SUfficiens generatim dicitur id præter quod non requiritur aliud; & dividitur in id quod est sufficiens in certo genere tantum, & illud quod dicitur absolutè sufficiens.

Sufficiens in certo genere est, cum nihil aliud ex isto genere requiritur ad id, cujus respectu dicitur sufficiens. Istô modô dicitur panis sufficiens ad conservationem vitæ, non quia aliud ad conservationem vitæ non requiritur, sed quia nihil aliud requiritur absolutè in genere cibi. Sic sufficiens lumen dicitur ad videndum, cum nullum aliud lumen requiritur, etsi præterea sanitas requiritur & multa alia.

Sufficiens autem absolutè est, cum nihil omninò aliud requiritur. Sic solis præsentia sufficit ad illuminandam terram, quia nihil aliud requiritur.

Hinc concludit Arnaldus: *Has notiones si ad gratiam transtuleris, primò liquebit, cum gratia dici-*

dicitur sufficiens, vel ad POSSE *vel ad agere, id intelligendum in genere gratiæ, & significari præter illam gratiam, quam sufficientem dicimus, nullam aliam necessariam esse vel ad potestatem agendi, vel ad reipsâ agendum. Ergò si gratia sufficiens comparetur cum ipsâ actione, vel motu voluntatis, nulla est gratia verè sufficiens præter efficacem; quia nulla est gratia nisi efficax, de qua dici possit, nullam aliam præter ipsam ad reipsâ agendum requiri.* Disser. 3. de Gra. effi. a. 8.

Si comparetur Gratia sufficiens non cum ipsâ actione, sed cum solâ internâ agendi potestate, sic præter gratiam efficacem, est alia gratia, quæ tribuit potestatem internam agendi, & quæ hoc respectu dicitur sufficiens, quia nulla alia gratia requiritur ad tribuendam virtutem & potentiam internam licèt alia requiratur ad movendam & applicandam ad actum potentiam. Sufficit ergò illa gratia ad POSSE, *non sufficit ad* AGERE; *sive dat omnia necessaria, ut possis virtute internâ, non dat omnia necessaria, ut agas: quemadmodum sanitas oculi est principium sufficiens, ut possis videre, non tamen sufficit, ut actu videas, quia lumen est necessarium.*

Hactenus Arnaldus ille sapientissimus, quem Jansseniani, & ipse qui sufficientem illam gratiam inimicè explodit, Notarum redargutor fatetur *Magnum, ac Jure optimo pro sapientia sua & magnis in Ecclesiam meritis* magnum Arnaldum vocitat. Sufficientem ad *posse* Gratiam hic *magnus* Arnaldus Justis conantibus & volentibus, exceptô nemine vendicat, & omnibus non modò orantibus, sed & orare conantibus; atque hôc pactô à Jansenianâ primâ, quam asserit id inficias ire, se dissidêre prætendit in propositione suâ, quâ dixerat Petro neganti Christum defuisse Gratiam sine quâ nihil possumus; quam intellectam cupit de Gratiâ efficaci ad actum, non ad potestatem necessariâ.

SEC-

SECTIO II.

Sanctus Augustinus sufficientiam potestatis posuit in Voluntate magnâ effectum operante per gratiam efficacem & adjuvantem impartitâ, & quare?

CUm Pelagius Cælestiusque Gratiam sine quâ nihil possumus, nunc in *Libero arbitrio*, nunc in *Lege*, nunc in *Revelationibus & Illustrationibus*, nunc in remissionis gratia constituerent; nunquam ad *velle & agere* necessitatem illius gratiæ concedentes sed ad posse; S Augustinus compulsus fuit ostendere Deum operari & velle & operari. Adeòque gratiam possibilitatis ad opus non sufficere, scilicet ad mentem Pelagianorum, sed usquequaque etiam ad agere necessariam esse gratiam; & quidem ad singulos actus. Quàpropter necessum erat ut liberi inflatores arbitrii sufficientia potestatis, & buccinatores possibilitatis ad benè vivendum homini donatæ possibilitatis gratia adjuvaret. Non enim de possibilitate, de bonâ voluntate & bonâ actione conflictabatur cum Pelagio, ut Augustinus ipse testis est de gratia Christi: si consenserit nobis *non solam possibilitatem in homine, etiamsi nec velit, nec agat benè, sed ipsam quoque voluntatem & actionem, ideſt, ut benè velimus & benè agamus, quæ non sunt in homine, nisi quando vult & benè agit; si, ut dixi, consenserit etiam ipsam voluntatem & actionem divinitus adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & benè agamus, eamque esse gratiam Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, nihil de adjuto-*

cap. 47.

jutorio gratiæ Dei, quantum arbitror, inter nos controversiæ relinquitur.

Et hæc causa est, cur Augustinus etiam justos non posse dixit, dum actionis adjutorium deerat quod orando docebat impetrandum. Cur dixit: Non ait Apostolus, *Oramus ut possitis nihil mali facere, sed ne quid faciatis mali*: *Nec ut possimus bonum facere, sed ut bonum faciamus.*

Hæc causa est, cur & alii Pelagianorum debellatores dixerint, Deo non donante victoriam, hominem *vincere non posse. Necesse est*, ait Innocentius I. *ut quò adjuvante vincimur, eò non adjuvante vincamur.* *Epist. ad Conc. Carth.*

Cælestinus quoque Papa ad Episcopos Galliæ: *Neminem etiam baptismate renovatum idoneum esse ad superandas diaboli insidias, & ad evincendam carnis concupiscentiam nisi per quotidianum adjutorium perseverantiæ bonæ conversationem acceperit.*

S. Fulgentius quoque alter ille Augustinus Africanus: *Facere non* POSSUMUS *nisi ipse in nobis quæ largitus est operetur.* *S. Fulg. l. 1. ad Mon. cap. 14.*

Similiter sufficientiam non asseruit Augustinus, nisi quæ actionem ipsam inferat. Nam de sufficientia, sed ad actionem loquitur ubi ait: *Qui voluerit, & non potuerit, nondum se plenè velle cognoscat, & oret ut habeat tantam voluntatem, quanta* SUFFICIT *ad implenda mandata.* Et eodem Libro: *Certum est nos servare mandata si velimus; sed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum est,* QUANTUM SUFFICIT, *ut volendo faciamus.* *L. de Grat. & lib. arb. cap. 15.* *cap. 16.*

De sufficientia, sed ad opus loquebatur ubi scribebat: *Quâpropter, ut non intremus in tentationem, si voluntas* SUFFICERET, *non oraremus, quæ tamen si deesset, nec orare possemus.* *Epist. 208.*

De sufficientia sed actionis sentiebat dum de eô qui continentiam à Deo poscit, dicebat: *uti-*

Epist. 143. *Utique tantas voluntatis vires, tantum dilectionis ardorem volebat accipere Spiritu sapientiæ, qui sufficeret ad implendam magnitudinem continentiæ.*

Serm. 3. de Verb. Apost. cap. 3. De sufficientiâ ad opus loquebatur dicens: *Volo ut velis; sed non* SUFFICIT *ut velis*, (hoc est, non satis est te velle per gratiam excitantem.) *adjuvandus ut plenè velis.*

De sufficientiâ illâ differebat: *Cum voluerimus, non* SUFFICIT *voluntas nostra & cursus noster, nisi Deus vires currentibus præbeat.*

L. 2. de Pecc. mer. & r. 19. De sufficientiâ denique operis non potestatis ad Marcellinum scribebat: *Sanctos & fideles suos in aliquibus vitiis minus sanat, quam implendæ omni ex parte justitiæ* SUFFICIT.

Hâc fortè de causâ Lovanienses in censurâ suâ anno 1588. sufficientiam non nisi eam quæ operis est visi sunt velle nominare: ne Molinianis adversariis succenturiari viderentur, si gratiam admitterent quæ potestatem sufficientem largiretur ab opere disjunctam. Unde de sufficienti gratiâ ità fantur: *Aliud est posse, in quibus tam magnæ insunt vires per sufficientem gratiæ præparationem, ut satis sit ad agendum, per quam gratiam non solum ipsum posse verum etiam agere adjuvatur.*

Et in justificatione censuræ *dicimus*, inquiunt, *Non esse gratiam* SUFFICIENTER *præparantem voluntatem, nisi quæ faciat, ut velimus & consentiamus. Quamdiu enim voluntas nondum sic affecta est ut velit, sed adhuc resistit, & contradicit:* cap. 13. *nondum* SUFFICIENTER *est à Domino præparata.*

SECTIO III.

Quid sit Gratia Thomisticè sufficiens.

GRatiam sufficientem Thomistæ vocant eam, quæ ab efficaci effectum largiente discreta dat posse agere, etsi ad actum sine adjutoriô illô efficaci numquam pertingat: adeòque sufficiens est ad posse agere, sed non agendum. Probatur hoc ex S. Thomâ dicente: *nunc autem per gratiam Christi multi accipiunt & donum gratiæ quô perseverare possunt, & ulterius eis datur, quôd perseverent.* "*Ex quo evidens est*, inquit Barth. Med. *esse distinctum donum posse perseverare ab eo quod est perseverare.* 1.2.q.109. ar. 10. ad 3. in 1.2.q. 109. art. 10.

Quod si percunctemur ad quam gratiam illud posse perseverare referat; an ad actualem, an verò habitualem? Respondet idem doctor: *Posse perseverare habet homo ex eo quod habet gratiam justificantem, per quam natus est ex Deo, & efficitur particeps divinæ naturæ, ex quo fit potens operari omne bonum, & vitare omne malum.* Quod tamen ad actu perseverandum aliud auxilium efficax desideretur ostendit: *Licet gratia habitualis de se sufficiens sit ad omne peccatum vitandum, & ad omne opus bonum præstandum, nihilominus ratione subjecti, in quo residet, & ratione pugnæ, quæ semper est à carne, dæmone, mundo, eget homo donô perseverantiæ, ut victor evadat.*

Ex quâ doctrinâ infert Alvarez: *per gratiam habitualem & virtutes infusas habet homo sufficientem virtutem in actu primò, quâ possit servare omnia mandata & perseverare usque in finem si velit, & tamen de facto cum solâ gratiâ habituali & virtutibus infusis, seclusô quôcumque auxiliô actuali prævenientis gratiæ numquam servabit eadem mandata, nec perseverabit usque in finem, ut ostendit S.* L.3. c.5. N. 20.

Doctor. art. 9. & 10. Ex hoc autem non sequitur: *Quod gratia habitualis non sit sufficiens ad operandum bonum.*

Hanc D Thomæ sententiam secuti sunt & alii veteres Thomistæ Capreolus, Terranensis, & Cajetanus. Citat Arnaldus Conradum Kolëin Cajetano supparem aut æqualem de gratia habituali sic loquentem in cap. 109. art. 9. *Homo primò indiget ipsâ gratiâ habituali, quæ faciat eum potentem ad operandum meritoriè, quæ est actus primus constituens hominem in potentiâ activâ sufficienti ad operandum meritoriè. Quià autem suprà articulo* 1. *dictum est, quod quantùmcumque habeat principium operandi sufficiens, indigeat auxiliô & motione divinâ; ideò habitâ gratiâ adhuc opus est motione Dei, & ut patebit speciali.* De speciali autem dat eam non omnibus dari. Sic enim ait art. 6. *Justi moventur in Deum ut specialem finem motione speciali. Quod ex eô patet: quia unus movetur, alius non. Unus sufficienter, alius efficaciter, alius utrôque modò.*

Alii Thomistæ sufficientis gratiæ nomen actuali gratiæ concedere solent, quanquam in genere principii effectivi & habituali gratiæ id non abjudicent. Hi ergò præter habitualem gratiam Comminiscuntur quandam excitantem actualem gratiam, per quam justus movêtur ad opus, sed non permovêtur sine auxilio fortiori, propter obstacula subjecti. Et hanc quoque licet habituali plus tribuat, non reluctanter se admittere fatetur Arnaldus.

Arnaldus Disser. de Grat. effic. p. 3 ar. 12.

Quam volent igitur excitantem Gratiam sufficientem appellent Recentiores Thomistæ; Nos omninò repugnantes non habebunt, dummodò, ut faciunt, eô tantum sensu sufficientem dicant, quod in nobis initia bonæ voluntatis producat: atque adeò quandam benè agendi potentiam & virtutum largiatur.

giatur. *Quod talis sit, ut nisi validior ei concupiscentia resisteret, non modò boni operis desiderium fructu vacuum, sed ipsum bonum opus reipsâ produceret: quod talis sit, ut qui illis resistit, in eo sit culpandus; quod talis sit, ut nisi prava voluntas in nobis ineßet, ad benè vivendum sola sufficeret. Denique quod talis sit, ut si ei homo plenè consentiat si voluerit; quod autem nolit, ex ejus vitio & pravitate nascatur.*

His, inquam, omnibus sensibus rectè excitantem gratiam sufficientem dici tacitè concedi potest. Hæc enim omnia de gratia excitante, quæ imperfectam voluntatem largitur, verè dicuntur.

SECTIO IV.

Sitne admittenda Gratia Thomistico-Sufficiens in Iustis conantibus & volentibus, de quibus Ianseniana?

REspondeo cum Arnaldo contra Jansenium: *Non modò certum est illam excitantem gratiam omnibus piè cogitantibus, volentibus & conantibus adesse, unde enim piè cogitarent, unde vellent, unde conarentur, nisi per excitantem gratiam illos in animo motus operaretur Deus? Quamobrem nihil verius, quàm justis volentibus & conantibus non deesse gratiam excitantem sufficientem Thomistico sensu: Neque enim sine illâ gratia vellent & conarentur.* Nihil verius, *quam illis justis volentibus & conantibus adesse possibilitatem illam in actu primo, quæ non complectitur omnia ad agendum prærequisita.* Diſſert. p. 3. n. 14.

Habent enim & actualem & habitualem gratiam, quarum alterutra ad id præstandum satis esse posset. Sed quoniam gratiæ excitanti, quâ

volunt & conantur justi, non semper adjungit Deus gratiam efficacem, quâ plenè velint & plenè conentur, nec ullus tamen gratiæ sufficienti ad illum effectum consentit, comparatione cujus dicitur sufficiens, sine efficacis auxilio; ideò deest sæpè justis volentibus & conantibus per gratiam excitantem efficax gratia, quæ unâ complectitur omnia ad agendum necessaria; adeòque illis justis gratiam sufficientem habentibus, sed non plenè consentientibus mandata Dei non sunt possibilia eâ possibilitate quæ complectatur omnia ad agendum necessaria, licèt aliô possibilitatis genere Thomisticô scilicet possibilia semper sint.

Ex his colligi licet, affuisse Petro tum, cum præsumpsit, gratiam illam excitantem ad mortem pro Christo subeundam. Tunc enim Petrus & volebat & conabatur. Nec defuit ipsi, ut ait August. de grat. & lib. arb. cap. 17. PARVA ET IMPERFECTA CHARITAS, QUANDÒ DICEBAT *Domino: animam meam pro te ponam; putabat enim se posse quod se velle sentiebat.*

Quamvis autem parva illa Charitas, quæ Petro non defuit, non esset sufficiens Molinianô sensu ad mortem pro Christo subeundam, quia fieri non potuit ut cum illâ solâ mortem pro Christo reipsâ subiret; ac propterea Petrum tunc Augustinus infirmum fuisse, & mori pro Christo non potuisse pronuntiat; Nihilominus tamen rectè sufficiens dici potest Thomisticô sensu.

Omnis enim gratia excitans in voluntate recepta, qualis illa fuit, sufficiens est apud illos, ut testatur Alvarez locô jam citatô.

Et reverà illa Petri Charitas, quamvis infirma, satis fuisset ad mortem pro Christo oppetendam, nisi propriô vitiô Petrus vitæ cupidior, timidior, ignavior, sui amantior fuisset.

Ecce ab eodem Petri exemplo, quo Arnaldus

dus sufficientiam gratiæ confirmat & illustrat, Jansenius impossibilitatem arguit. Nam post verba primam propositionem complexa immediatè subjungit: *Hoc enim S. Petri exemplo aliisque plurimis manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere.* pag. 334.

Dices Jansenius & gratiam habitualem & excitantem sæpenumero admittit, & his aliquod posse tribuit.

Respondeo, numquam admittere ullô sensu sufficientem, nec posse sufficiens. Alioquin sicut Thomistæ non admittunt, nec admittere possunt aliqua Præcepta justis volentibus & conantibus impossibilia, ita nec Jansenius. Neque enim ob defectum gratiæ efficacis ad actualem Præceptorum adimpletionem necessariæ ità poterat loqui, cum D. Thomas ejusque discipuli idem admittant, nec tamen admittunt justo impossibile esse perseverare. Hæc enim coire non possunt: justi habent auxilium sufficiens, ut possint omnia mandata servare; &, justis est impossibile aliqua mandata servare, præsertim dum impossibilitas non ex parte objecti, sed ex parte potentiæ consideratur, prout eam Jansenius ipse considerat. Ideò Arnaldus propositionem Jansenii ut falsam rejicit alio loco: *Falsum est ergo hominibus justis volentibus & conantibus aliqua Dei præcepta esse impossibilia secundum præsentes vires, & deesse illis gratiam excitantem, & sufficientem Thomistico sensu, quâ possibilia fiant, eâ potestate quæ non complectitur omnia ad agendum necessaria.* Differt. p. 4. de Grat. effi. art. 13.

Prætereà certum est excitanti illi & sufficienti gratiæ resisti; Jansenio autem nulla Christi gratia est, cui resistatur, adeòque nullô, non modò Molinianô, sed nec Thomisticô sensu sufficiens est.

SECTIO V.

Elusio Gratiæ Thomisticè sufficientis refellitur per Arnaldum.

REdargutor notarum in V. Propositiones Jansenii verè Mimum agit dum gratiam Thomisticè sufficientem vocat *sufficientem mimisticam*, quæ dat *insufficiens* quoddam *sufficere*. Et Author notarum scisciatur : per quid amabo *dat illud posse ad actus perfectiores ? An per illas ipsas, aut non nihil fortiores velleitates, an per aliquid ab his sejunctum ? Videtur enim quòd per quid aliud superadditum. Sed quale illud ? Cujus formæ est genus possibilitatis istius ? Quâ veste amictus incedit ? Unde vires mutuatur ? Ater, an albus est ?* Oportebat ita Magnum Arnaldum ludificarier. Sed quid ille respondit ? *Nimirum gratiam istam sive habitualem sive excitantem per se illud posse largiri, quod suô non fraudaretur effectu, nec actibus perfectioribus destitueretur, nisi subjecti qualitas obviaret. Nam illa Petri Charitas, quamvis infirma, satis fuisset ad mortem pro Christo oppetendam, nisi proprio vitio Petrus vitæ cupidior, timidior, ignavior, sui amantior fuisset.* Responderet quoque *quod sufficiens illa talis sit, ut nisi validior ei concupiscentia resisteret, non modo boni operis desiderium fructu vacuum, sed ipsum bonum opus reipsa produceret, ad benè vivendum sola sufficeret* &c.

Arnaldus Dissert. p. 3. art. 6. n. 6.

Etsi de justo qui gratia efficaci destitutus à tentatione vincitur (qualem Jansenius cum Petro in medium adducit in stabiliendam suam impossibilitatem) *rectè dicatur ipsum in illâ hypothesi tentationem superare non potuisse, actu scilicet & effectivè ; si tamen quæratur quare non superaverit, malè*

lè responderi, quia non potuit; sed omnino respondendum esse, quia noluit, seu, quia non tantum voluit, quantum necesse erat ad illam tentationem superandam; Nam si voluisset, utique potuisset. Si autem quæratur quare noluit, respondendum est, quia vel ignorantiâ cæcabatur ipsius mentis acies & deprimebatur, vel pravâ aliquâ cupiditate quasi visco retinebatur, ne ad ardua illa præcepta sese erigeret. Viscus autem ille nihil aliud est quam ipsa carnalis & mala voluntas temporalium rerum amore implicata, cujus nullâ alia causa quærenda est præter ipsam voluntatem deficientem. Et qui illuc pervênit, ad primam causam pervênit ultra quam nulla sit: malæ enim voluntatis una causa est voluntas ipsa deficiens. Quare si de Petro quæratur, quare non confessus sit Christum, neutiquam respondendum est, quia NON POTUIT, *sed quia noluit. Quærentibus autem quare noluit, respondendum quia timuit mori, quia ignavus fuit. At si interroges, quare ignavus & timidus fuit, prompta adhuc responsio est, quia nimis vitam amavit. Verùm si interrogare pergas, quare nimis amavit Vitam, primæ causæ causam quæris & ideò vitiosè quæris.* Hactenus Arnaldus vir ille adeò etiam Jansenianis Magnus de sufficienti gratia sensit & enuntiavit. Hanc ergò gratiam sicut Martinianè sufficientem per Ludibrium appellavit, etiam Arnaldicè sufficientem vocitet, nihil moramur, cum & à S. Thomâ Thomisticam dicere non erubescamus, *Licet ridiculò sufficientem Redargutor infamet non nisi Politico concentui vel decipiendis imperiis, ac Molinisticæ demum gratiæ inferendæ idoneam.*

Neque à Clarissimo Arnaldo non ità dissidêre probat ex ejus verbis ubi ait: *Judicio suo providentius fuisse illud nomen neutiquam initio in Scholas Catholicas admittere*, Et Rogatos vult Thomistas, *dum apud imperitos verba faciunt, ut vel* Disser. p. 3. art. 10.

ab illâ voce abſtineant, vel ſaltem admoneant à ſe uſurpari in eo ſignificatu, qui à Moliniano longè diſſunctus; ſit mihi cum illis ita nullum certamen eſt, nec de nomine, quia non rejicio, nec de ſenſu, quia ſenſum illius vocis Thomiſticum admitto. Admitto quippe in juſtis gratiam quæ det poſſe, ultra quod nulla virtus interna requiritur, ſed tantum applicatio motio, prædeterminatio, impulſio illius virtutis, quæ fit per auxilium efficaciter prædeterminans ex omnium Thomiſtarum ſententia.

Sed cum idem Arnaldus addat: *A pace Eccleſiæ alienius videri* POSSE *jam receptum per vim abigere*; Ingenti ſanè temeritate Rédargutor ille notarum abigit & explodit, pacemque Eccleſiæ contemnit. Et quidquid ſit de voce *ſufficienti*, res ipſa equidem voci ſubjecta ſemper fuit, nempe virtus & poteſtas quæ ſufficiat, ut juſtis volentibus nihil impoſſibile videri debeat imperatum à Deo. Neque enim Arnaldus rem propter terminum, ſed terminum propter rem verè ſignificatam admiſit Nam poterat vocare gratiam potentialem dantem verum poſſe ſicut ſufficientem nunc appellat, quia dat ſufficiens poſſe.

Poſſet contra hanc ſufficientem ad poſſe gratiam objici: ſi homo juſtus potentiam habeat, unde poſſe dicatur Præcepta ſervare, licet gratiam ſine quâ numquam ſervabit, nondum ſit adeptus; quomodò à SS. Patribus ſignanter à S. Auguſtino dicuntur juſti non poſſe, & petere ut poſſint? *Poſſe* enim & *non poſſe* contraria ſunt.

Reſp. quod Auguſtinus agat de poteſtate cum actu conjuncta, quia agit contra Pelagianos qui ad actum bonum negabant gratiam eſſe neceſſariam Nam poſſe dicebant eſſe à Deo, quia dedit liberum arbitrium, agere eſſe *noſtrum*. Proinde poteſtatem illam ad benè agendum negabat

gabat Augustinus haberi antequam Deus dederit velle & operari. *Gratia Dei*, inquit, *semper est bona, & per hanc fit, ut fiat homo bonæ voluntatis qui prius fuerat voluntatis malæ. Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas, quæ jam esse cæpit augeatur, & tam magna fiat, ut possit implêre divina mandata.* Et rursus: *Qui vult facere Dei mandatum & non potest &c.* *De Grat. & lib. arb. cap. 15. cap. 17.*

SECTIO VI.

An Justi conantes & volentes imperfectè rectius dicantur sine Gratiâ efficaci ad actum necessariâ posse *omnia Præcepta servare, an vero* non posse?

VErum & Catholicum est justos conantes atque volentes semper *posse* mandata servare, ac tentationes vincere, quantùm ad *sufficientiam operativæ virtutis* ut loquitur S. Thomas, adeòque non deesse illis gratiam *quâ præcepta possibilia fiant.* Sed nec minus verum est & Catholicum, imò longe magis Traditionis authoritate firmatum, justis eam aliquandò gratiam deesse, sine quâ nihil fieri potest, nedum graves tentationes cum effectu superari. Id nos docent qui Pelagianos expugnaverunt Innocentius I. Cælestinus, Augustinus, Prosper, Fulgentius &c. Et ipsi Justorum conantium gemitus ac supplicationes contestantur.

Sed cum ex una parte possint, ex alterâ non possint præcepta magna servare, quæritur quid potius dicendum sit, *possunt* vel non *possunt*?

Et quidem si de justo absolutè quæratur, an possit observare mandata Dei, proculdubio *posse* respondendum est, quia tum attenditur ad internam benè agendi virtutem, & ipsa auxilia gratiæ cum non excludantur, adesse supponuntur, ut revera adesse omnibus justis qui piè vivunt, à posteriori rectè concluditur. Si verò de justis in tentatione positis & vincere conantibus quæratur, an possint sine gratia efficaci ad vincendam tentationem necessariâ, quæ supponitur deesse, dicendumne erit in illa Hypothesi nondum posse?

Respondeo Augustino consonantius dicitur: etsi justis conantibus & volentibus præcepta, ad quæ implenda imperfectè conantur, impossibilia non sint, in illa hypothesi nondum possunt quod jubentur. Ideò namque teste S. Augustino, & Concilio Tridentino, petere monentur, ut possint.

Neque huic locutioni obviat sufficiens potestas Thomistica; quia ut aliquid dicatur non posse, sufficit deesse aliquam sive causam, sive conditionem ad actum prærequisitam, prout est in casu gratia efficax quâ justi nondum potiti sunt.

Declaratur id similitudine sani oculi, qui non obstante virtute visivâ sine lumine dicitur videre non posse. Hâc utitur frequenter S. Augustinus: *Ut autem videat* (oculus) *adjuvatur ab eâ* (luce) *neque hoc omninò nisi illâ adjuverit*, POTEST: *ita Deus qui lux est hominis interioris adjuvat nostræ mentis obtutum &c.* Et alibi: *Sicut oculus corporis etiam plenissimè sanus, nisi candore lucis adjutus non potest cernere; sic homo etiam perfectissimè justificatus, nisi æternâ luce justitiæ divinitus adjuvetur, rectè* NON POTEST *vivere.* Et rursum: *Sicut sanos oculos firmos dicimus ad videndum*,

L. 2. de pecc. merit. c. 5.

De nat. & Grat. c. 26.

dum, quod tamen nullo modo facere POSSUNT, *si deſit lucis auxilium.* Et lib. de Geſtis Pelagii : *ſufficit ſibi oculus ad* NON VIDENDUM, hoc *eſt*, ad *tenebras; ad videndum verò lumine ſuo non ſibi ſufficit, niſi illi extrinſecus adjutorium clari luminis præbeatur.*

Epiſt. 106. L. de geſtis Pelag. c 3.

S. Auguſtinum imitatur Synodus Sardinienſis ita diſſerens : *Sicut corporis oculus ſemper indiget lumen accipere, ut ipſum* POSSIT *aſpicere, ſic libero arbitrio hominis nulla poteſt gratiæ ſuffragari cognitio, niſi detur gratiæ Spiritualis infuſio.*

Pariter S. Anſelmus : habet poteſtatem & inſtrumentum videndi montem qui viſum habet, & tamen ſi mons abeſt, & dicis ei; *Vide Montem, reſpondet tibi;* NON POSSUM, *quia abeſt; ſi adeſſem,* POSSEM *videre. Item ſi mons adeſſet, & lux abeſſet; Reſponderet ſe montem* NON POSSE *videre, quia non poſſet abſque luce; Sed ſi lux adeſſet, tunc poſſet. Rurſum ſi viſum habenti lux & mons præſens eſt, & aliquid viſui obſtet, velut ſi aliquis illi oculos claudat, dicet ſe non* POSSE *videre montem, ſed ſi nihil viſui ejus obſiſteret, tunc ſine dubio montem videndi* POTESTATEM *haberet.*

S. Anſelmus Dialogorum de lib arbit. cap. 3.

Quæ ſi locum habeant in ſententia Thomiſtica, multa magis in Auguſtiniana, cum gratia illa effectum inferens ſivè efficax non modò ut conditio ſit neceſſaria, ſed ut cauſa, quia facit voluntatem ex infirma validam, facitque tantum velle, ut plenè poſſit, ſicque poſſit ut effectu ſuô numquam deſtituatur, atque in hoc à ſufficienti diſcernitur.

LIBER TERTIUS

De Propositione secundâ Ianseniânâ Africani solis Fulgore perstrictâ.

HÆc propositio secunda tam arctô cœdere primæ nectitur, tantâ affinitate jungitur, ut vel ipsa sit illius infausta genitrix, aut malè-sana soboles, sed utraque ab Augustino damnata antequam nata. Si enim *apud Augustinum gratia & opus ita reciprocentur, ut quemadmodum ex gratiâ data, mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versâ ex defectu operis, gratiam non esse datam*, ut prætendit Jansenius, invictissimâ consecutionis lege concluditur: *Justis conantibus & volentibus juxta præsentes vires deesse gratiam quâ aliqua præcepta possibilia fiant*, quia sæpè Justi conantes & volentes non ita volunt, ut faciant, aut ut desiderati operis effectum consequantur, adeòque ex defectu operis infertur *Gratiam non esse datam*. Et si gratiæ numquam resistatur, quid consequentius fluere cernimus quam Justos vel numquam peccando deficere, aut cum defecerint, Gratiâ quâ stare possent, penitus fuisse orbatos? Nam gratia, cui resistitur, juxta Jansenium, saltem ex eâ parte quâ resistitur, Christi gratia non est: Cum *Christi gratiæ proprium atque essentiale sit dare velle quod potest. Et omnis Christi gratia congrua est, ac perficit effectum suum ad quem datur.*

Ianf. l. 2. de Grat. Chr, Salv. c. 25. pag. 202.

CA-

CAPUT PRIMUM.

In quo aperiuntur fontes Ianseniani, è quibus deducta est famosa illa secunda: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur.

SECTIO PRIMA.

Solam internam medicinalem gratiam Christi agnoscit Ianssenius, eam cui non resistitur. l. 2. de Grat. Christi Salv. c. 24. Titulus capitis est: *Natura Gratiæ medicinalis generaliter demonstratur ex octo proprietatibus ac notis, quibus ab Augustino passim describi solet.* *Iansl. l. 2. de Grat Christ. cap 24. pag. 196.*

DE naturâ hujusce gratiæ præfatur ab Augustino ita delineatam, non sicut eam Recentiores depingunt, quasi dominatrici famuletur voluntati; sed prorsus talem, *quæ simul ac pulsat fores, rumpit ostia, repugnantemque domat voluntatem, tollit omnem ejus resistentiam, rapit eam secum, & ex invitâ volentem, ac se determinantem ineffabili suavitate ac potestate facit.* Et posteà per octo proprietates ex Augustino depromptas id stabilire contendit. *pag. 197.*

Primò ex illis locis, *quibus eam summæ efficaciæ esse docet in eo persuadendo efficiendoque quod Deus homini persuasum, & in eo effectum cupit.* Quod *pag. 196.*

probat quia' Augustinus appellat EFFICACISSIMA VOCATIONEM PAULI. Et quod Deus faciat per illam UT FACIAMUS, PRÆBENDO VIRES EFFICACISSIMAS VOLUNTATI: Quod Deus per illam operetur, *potentissimâ medicinæ suæ potestate.* De Correpț. & grat. quod vocet insuper *peromni potentissimam potestatem.* Ibid.

S Aug. de grat. & lib. arb. cap. 5. cap. 16. cap. 5. cap. 14. pag. 197.

Secundò, *hanc efficacissimam, potentissimamque, hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem in eo exseri super voluntatem docet, quod ita à Dei Spiritu per gratiam rapiatur, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur.*

pag. 198. Tertiò, ... *Non esse istius naturæ Medicinalem Christi gratiam, ut ejus effectus à voluntate suspendatur, sed illius, ut per eam effectum potentissimè invehat inseratque voluntati, non operando si voluntas velit, sed operando atque determinando ut velit.*

pag. 199. Quartò, *quod omnes operationes hominis bonas quantumcumque fiant à liberâ voluntate, tribuere soleat Augustinus Deo ipsi tanquam qui per voluntatem ut per instrumentum, quod pro libero suo beneplacito agit, impellit, flectit, vertit quòlibet, motus ipsius voluntatis operetur.*

pag. 200. Quintò ... *Quod Augustinus non raro gratiam Christi Medicinalem victricem vocat, quia omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perrumpit.*

Ibid. Sextò, *Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non modò dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere.*

pag. 201. Septimò dicit aberrasse ab Augustini doctrina *qui talem gratiam procudêrunt, quæ semper explorat exspectatque voluntatem, ne si fortè pervicacior fuerit, cassa & inanis gratia, & effectus divinæ misericordiæ irritus humanâ potestate reddatur.*

Octa-

Octavò, *Propriè dicta Christi gratia, quam per passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit illa est, ut copiosissimè demonstravimus, quæ non operatur effectum suum si velimus, sed quæ operatur in nobis velle & operari.* pag. 203.

Si ista sit natura Medicinalis Christi gratiæ è notis & proprietatibus suis delineata, *ut tollat omnem resistentiam, summæ sit efficaciæ, vires præbeat efficacissimas, sit efficacissima, potentissima & omnipotentissima super voluntatem, effectum potentissimè inferat inseratque voluntati: Sit victrix quæ omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perrumpit:* Si denique talis, *ut effectus ejus irritus humanâ potestate non reddatur;* nonne luculentissimè demonstratur, *quod interiori gratiæ numquam resistatur*, Juxta Jansenium? quodque si resistatur Christi gratia esse desinat? Nam si talem agnosceret, divideret eam in efficacem seu quæ dat velle perfectum & largitur effectum, & in invalidam quæ tribuit velle imperfectum, & ideò aliquandô ad effectum non pertingat. Jam verò cum omnem ponat definiatque *victricem* atque *potentissimam*, consectarium est, quod nulla vincatur, nulla cujus effectus operis impediatur, nulla cui resistatur.

SECTIO II.

Secunda Propositio etiam elicitur ex capite sequenti sive 25. ejusdem libri 2. & ex cap. 27.

Jansenius hoc caput præcedenti nectit, & ex argumentis præmissis evictum cupit nullam Medicinalem Christi gratiam effectu suo carêre.

Hæc

pag. 202. *Hæc itaque est vera ratio & radix*, inquit, *cur nulla omninò Medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnino efficiat, ut voluntas velit, & aliquid operetur*: Non dicit tantum *velit*, sed etiam *operetur*. Pergit autem id probare.

Ibid. Primò hoc probat: *Quod apud Augustinum gratia & opus bonum ita reciprocentur, ut quemadmodum ex gratia data mox effectum operis consecutum inferre solet, ita vice versâ, ex defectu operis gratiam non esse datam. Quo ratiocinandi modo indicatur gratiam tamquam causam, & operationem voluntatis bonam velut effectum esse, ut Philosophi loquuntur*, CONVERTIBILES, *& à se mutuo* INSEPARABILES. Post varia Augustini Testimonia in

pag. 204. hanc rem adducta, concludit: ,, *His igitur & hujusmodi locutionibus affirmativis, sicut significat Augustinus, hoc ipso quo data est homini gratia, mox effectum sequi, sic è contrario negativè subinde ratiocinando hoc ipso quo effectu homo destituitur, nullam ei gratiam collatam esse, sed solo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est, lege doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti.*

pag. 205. Secundò . . . *tradit Augustinus iterum atque iterum studiosissimèque commendat illam gratiam, quæ non est gratia aut lex . . . . opus ipsum afferre voluntati.*

pag. 206. Tertiò . . . *illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat.* Ubi satis indicat gratiam, pro ea parte quâ effectu destituitur, prout contingit imperfectæ bonæ voluntati, non esse gratiam quam prædicat Augustinus, neque Medicinalem eam Christus suâ passione promeruit: *Ipse Augustinus disertis verbis docet*, ait, *illam gratiam esse confitendam, quâ Deus ipsam credendi voluntatem effectumque boni operis largiatur.*

Po-

Postea ex eô quod Augustinus gratiam Christi nomine *Incrementi* Plerumque appellat, infert Jansenius, *nihil mirum si Augustinus universim doceat Medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus suâ benignitate largitur.* pag. 207.

Quod autem illam gratiam quæ imperfectam tribuit adimplendi præcepti voluntatem, quatenus ad effectum quem optat non pertingit, adeòque prout ei resistitur, medicinalis gratiæ nomine dedignetur, liquet ex capite vigesimo septimo ubi sic loquitur: *Qui ergo scit Deum super omnia diligendum spe ac fide colendum & similia, & nondum ita diligit, sperat & credit, ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem: Quamvis interim aliud quidpiam, quod prævium esse solet, ut verbi gratia; quod in Deo vel charitate ac fide ipsius sibi quodammodo placeat illoque actus quâdam velleitate desideret, & similia secundum gratiam potuerit didicisse:* cap. 27. pag. 210. & seq.

Similiter differit de illis qui vehementer optant continentiam, etsi necdum continêre possint. Concludit tamen de utrisque: *Itaque optimè subjungit Augustinus: hoc modo* (per gratiam) *quisquis discit; agit omninò,* QUIDQUID AGENDUM DIDICERIT. *Nempè quia quidquid nondum agit, id nondum agendum didicit secundum gratiam, sed tantummodo secundum legem.* pag. 211.

Et ad objectionem quâ dicitur *hæc omnia, quæ produximus, eum* (Augustinum) *de gratiâ tantum efficaci tradidisse, nihil verò impedire, quin aliæ nonnullæ gratiæ per hominis voluntatem effectu careant,*

Respondet: *Nihil verius dici posse . . . cujus rei causa est, quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam, nec agnoscere potuerit, nisi regu-* Ibid.

las

las fundamentales, quibus innixus naturam gratiæ medicinalis tradidit & explicuit, vellet interimere.„

Post argumenta in hanc rem allata, rursum subdit: *Quâpropter quisquis jam alia divinæ Gratiæ*
pag. 112. *adjutoria infirmis hominibus afferre nititur, quæ deserant si velint, & in quibus permaneant si velint; cum quibus tanquam sufficientibus operentur si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi peccati originalis virus evacuet, illæsas liberi arbitrii vires esse, Christum frustra venisse & gratis mortuum esse persuadeat.*

Et quamquam Molinianam sufficientem capitalius insectetur Jansenius, Thomistico-sufficientem sufficienter eludere voluisse non uno ex capite demonstrat; tum quia effectum operis indisjunctum & inseparabilem facit; tum quia hic illam gratiam rejicit ut spuriam, quam homines *deserant si velint*; tum quia illam Augustinum, licet admitteret, equidem Christianæ gratiæ accensendam pernegaret ut tradit libro 3. cap. 1.

Tandem ad potentissimam Christi gratiam velut unicam bonæ voluntatis frameam redit. „
pag. 113. *Quamobrem quicumque animadvertit omnia, quæ de adjurorio Medicinalis gratiæ ex Augustino diximus, de gratiâ quâdam potentissimâ, quam efficacem Recentiores suo sensu vocant, esse intelligenda, consequenter hoc etiam animadvertere debet, Non aliam Christi gratiam Medicinalem in scriptis ejus reperiri.* Benè ergò habet. Non aliam Augustinus Christi gratiam in scriptis suis reperiendam dedit præter *potentissimam*; sed potentissimæ numquam resistitur; igitur non aliam Augustinus interiorem gratiam admisisse Jansenio visus est, præter eam, cui numquam resistitur. Audet hoc addere: *Proinde fatendum sibi esse,*
Ibid. *quod aliam nobis procudendo* (utique præter potentissimam) *novum gratiæ genus Christianis afferat,*

ferat, quod nec Augustinus, nec ullus Latinorum Patrum, qui de gratiæ adjutorio cum Pelagianis ex professo decertarunt, nec Ecclesia in Conciliis Generalibus vel Provincialibus ab Apostolica sede probatis agnovit umquam, nec agnoscere potuit, nisi Principia, quibus ipsa per Antiquos Patres Medicinalem Christi gratiam defendit, funditus evertantur.

Igitur, ut collubitum est Jansenio, extrà *potentissimæ* gratiæ genus aliud comminisci, est Principia Medicinalis Gratiæ Christi funditus evertere. At potiori jure dicamus, *ad potentissimam* illam gratiam medici superni beneficium coarctare, est Munificentissimam Apothecam magna ex parte evacuare. Quasi volentes conantesque homines justi & in certamine deficientes medicam non sentiant manum, quia potentissimam, quæ obices omnes voluntatis & affectuum perrumpat, gratiam non sunt consecuti. Aut quasi vel pugnare queat in Agone Christiano non adjutus, non munitus gratiâ Christi. Quasi Petrus gratiam non habuerit, quia invalidam, quia non invictam, non victricem, non efficacissimam, non potentissimam. Hi tamen liquidissimè fluunt ex illo Janseniano fonte rivuli, fonte illo: *Non aliam* (præter potentissimam) *Christi gratiam Medicinalem in scriptis* (Augustini) *reperiri*, nec aliam posse agnosci.

SEC-

SECTIO III.

Propositionem secundam produnt ea loca libri litigiosi Iansenij, quibus non modò Molinianam, sed & Thomistico sufficientem gratiam insectatur.

QUamquam Jansenius, præter efficacissimam potentissimamque gratiam, quæ obicem omnem voluntatis perrumpit, obstacula removet, effectuque suô potitur invictissimâ potestate, admittat inferioris notæ gratiam, putà velleitatem, boni complacentiam divinitus infusam, à cujus inclinatione & suasione homines sæpè dissentiunt; quamquam & desideria & vota consentiat *divinæ gratiæ* munera esse,
pag. 211. *& majoris gratiæ provocativa*, ut loquitur lib. 2. cap. 27.; Negat equidem hanc gratiam esse sufficientem, negat esse medicinalem Christi gratiam quia efficax non est ad utrumque effectum nempe *velle & operari*. Ideòque qui eâ donatur, nondum didicisse secundum gratiam, sed secundum legem, ratus utique *velleitates* illas & vota ad ulteriores effectus non plus valêre quam ipsam legem. *Non enim quævis gratia*,
pag. 210. inquit, *ad quosvis effectus inserendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt.* De illis ergò qui non habent talem potestatem, licet habeant bonam voluntatem, intelligendum censet illud
Aug. de Gr. Christ. c. 13. S. Augustini, de quo alibi diximus, *Qui novit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam sed secundum legem. Non secundum spiritum, sed secundum litteram*:

Quod

Quod posteà repetit, & subjungit: *Nempe quia quidquid nondum agit, id nondum agendum didicit secundum gratiam, sed secundum legem.*

Confirmat id pluribus locis, signanter ubi gratiam sufficientem tangit: *extra hanc gratiam Christi, quæ per Charitatem & per ineffabilem suavitatem, cùm quâ illabitur, semper congrua est, nullam novit Augustinus quam velut incongruam sed sufficientem reprobatis destinet; nisi fortè homines per litteram legis ad agendum instructos adjutosque esse statuamus. Quidquid enim sufficientis gratiæ vel à Neotericis, vel à Pelagianis, vel Massilienſibus, præter* ISTAM AGENDI *gratiam excogitatum est, hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites gratiæ pelagianæ constitui debet.* De gratia vero Christi, præmittit: *Omnis congrua est, omnis operatur ac perficit effectum suum. Omnis enim delectat voluntatem, & omnis hoc ipso ad operandum effectum illum, ad quem datur, trahit.* L. 10. de Gr. Chr. c. 7. pag. 1035. Ibid.

Et alibi: *Cujus rei si quis radicem scire velit, meminisse debet, nullam gratiam actualem ab Augustino pro verâ illâ Christi gratiâ agnosci, quam tamquam Medicus infirmæ voluntati attulit, nisi quæ agit & peragit effectum: Omnis alia qualiscumque fuerit, ab ipso ad legem doctrinamque relegatur.* L. 2. c. 32. pag. 235.

Ac Proinde omnis dans posse etiam sensu Thomisticò sufficiens, quâ talis, & quatenus non *agit & peragit effectum suum*, ab Augustino ad legem doctrinamque relegatur juxta Jansenium.

Probat quidem congruam omnem Christi gratiam, *quia omnis omnino efficit, ut voluntas sive teneiter, sive fortiter velit.* Et effectum ejus adæquatum duplicem, videlicet voluntatem seu volitionem infirmam ac fortem ex Augustino stabilit; sed equidem ex ea parte quatenus *difficultati* operis adaptata non est, insufficientem esse docet cap. Ibid.

Quàpropter hiſce innixus Principiis aſſerit gratiam ſufficientem, nempe Thomiſticô ſenſu, & quæ effectum habet nempe inchoatæ bonæ voluntatis, ab Auguſtino Chriſtianæ gratiæ gloriâ & nomine neutiquam inſigniendam. Poſtquam enim Janſenius *ſufficientem illam gratiam*, (quam Molinianam habebat) ab Auguſtino deſtructam everſamque funditus pronuntiaverat, ad aliam ſufficientem gradum faciens, ſubjungit: *Quod ſi verò ſic accipiatur, ut ſufficiens dicatur, ſicut à quibuſdam dicitur, quod ſatis eſt, ut homo dicatur poſſe operari, quamvis aliud adhuc neceſſarium ſit, ut de facto operetur, de hujuſmodi ſufficienti gratia, non eſt hic noſtra controverſia. Talem enim ſufficientem fortaſſe non difficulter S. Auguſtinus admitteret, quamvis eſſe veram illam Chriſti gratiam, de quâ quæſtio eſt, pernegaret.*

L. 3. de Grat. Chr. Sal. c. 1. pag. 249.

Et cur Auguſtinus illam gratiam Chriſti gratiam pernegaret? Niſi quia effectu ad quem ſufficiens dicitur, deſtituitur? Non admitteret ergò Auguſtinus gratiam quæ dat velle; ſed perfectum velle & operari; nec admittit conſequenter ipſe Janſenius, qui non aliud ſe docêre fatetur, quam quod Auguſtinus. At magis ſtupeo quod gratiam illam ſufficientem admiſſurum dicat; & addat *fortaſſe*. Vel enim ſufficiens iſta gratia ſpectatur in ſubſtantiâ ſuâ, prout habet pro effectu bonam voluntatem licet tenuem, & tunc non videtur dubium quin eam admitteret Auguſtinus, nec eam repudiat ipſe Janſenius quia ex eâ parte efficax eſt. Vel eam conſiderat prout reſpicit effectum, ad quem ſufficiens ſit dumtaxat, & nondum efficax, & tum Janſenius omnia machinamenta ſua ſubruit, quibus oſtendere nititur diſcrimen gratiæ utriuſque ſtatus intercidere, ſi detur modò gratia dans poſſe perſeverare tantùm, non verò ipſum perſeverare.

Et

Et ideò fortè addidit *fortâsse*. Sed reponitur: Ergò non sunt jam certò Augustiniana illa Principia, juxta quæ concluſum voluit invictiſſimè, omnem gratiam naturæ lapſæ perficere ſuum effectum, ad quem datur &c. Nam Auguſtinus *Fortaſſe admitteret gratiam illam non difficulter, quæ ſatis eſt ut homo dicatur poſſe operari.*

Sed cur eam Chriſti gratiam Auguſtinus pernegaret, quæ effectum ſuum non inferret? Reſpondebit Janſenius: *Nam gratiæ Medicinalis Chriſti proprium eſt efficere, ut aliam quancumque gratiam, ſive habitualem ſive ſufficientem utiliter habeamus; quomodò niſi habeatur, ſemper noxia eſt, quia ad hoc conducit, ut damnabilius delinquamus.,, Tunc autem eſt utile velle cum poſſumus, & tunc utile eſt poſſe cum volumus. Nam quid prodeſt ſi quod non poſſumus volumus, aut ſi quod poſſumus, nolumus?* L.3.c.2. pag. 257. L.de Grat. & lib.arb. cap.15.

Hæc quidem Molinianis Janſenius impingit, ſed neſcius quô conſecutionis torrente abripiatur. Nam argumentum cum proportione contra gratiam Thomiſticè-ſufficientem procedit dum ita diſcurrit: *Quid homini miſero perniciosius, quam illâ gratiâ abundare, quâ nemo umquam fatentibus etiam Scholaſticis niſi majorem damnationem aſſecutus eſt? Hoc ipſo quippe unuſquiſque damnabilior eſt, quo magis ſufficienti gratiâ abundavit. Nemo enim umquam ſufficienti gratiâ uſus eſt, aut utitur, aut utetur in æternum: Qui mitius profectò puniretur, ſi tali auxilio caruiſſet, quo Deus neminem vel damnandorum vel Salvandorum uſurum eſſe præſcivit. Quâ in re non jam effuſa Dei bonitas, ad quam deprædicandum iſtud adjutorium non ſatis diſcretè excogitatum eſt, ſed ſumma potius ſeveritas ejus apparet.* Ianſ. ibid.

Alia Janſenii effata tranſilio, veluti cum dicit: *Sufficientia adjutoria nulla omnino poſt lapſum ſunt.,, Ipſum velle dando etiam poſſe largitur. Ponit* L.10 c 20. pag.1013.

L.7.c.3. L.8.c.20. *actum in potestate voluntatis. Facit velle & operari. Posse non præcedit, sed sequitur voluntatem; nulla voluntatis pervicaciâ frustratur* &c.

SECTIO IV.

Iansenius ex propriâ confessione, imò & Vincentij Paleologi convincitur Gratiæ Thomisticè sufficientis esse pernegator.

ILlustrissimus ille Iprensium Antistes in famosi voluminis sui Epilogo profitetur se profundissimi Doctoris (Augustini) doctrinam ita assequi studuisse, ut non tam sua, quam Augustini sensa deprompserit: & addit, *Quod si alicubi hallucinatus fuerim, hoc scio me non in Catholicâ veritate, sed in Augustini sententia asserendâ cecidisse. Nec enim ego quid verum, aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in Catholicæ Ecclesiæ doctrinâ tradidi, sed quid Augustinus asseruerit ac docuerit.* Et similiter Defensor damnatæ Pentados Vincentius Paleologus in opere, cui titulus gratia Triumphans: *Igitur nec vel ipse Jansenius, propriè ac verè loquendo, Jansenista esse potuit: quia non docet quid Jansenius sentiat, sed refert, quid Augustinus tradat. Stupidus, infidus, fraudulentus Historicus esse quivit, non erraticus aut Hæreticus dogmatistes.* Quamquam verò tam Vincentius, quam Jansenius ipse quoad mentem Augustini enormiter exorbitent, cum neuter eam in materiâ controversâ assecutus fuerit; sed potius sua placita & perperam ex Augustini flumine deducta consectaria insecutus; Id equidem ex utriusque ultronea confessione evictum imus, Jansenium nempe gratiam Thomisticè

pag.1071. Fol. 61.

misticè sufficientem non minori nauseâ repudiasse, quam ipse autumat pernegaturum fuisse Augustinum inficiaturumque hujusmodi gratiam ad Medicinam Christi pertinêre.

De gratiâ illâ differentem audiamus: *Quod si verò sic accipiatur sicut à quibusdam dicitur, quod satis est, ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud adhuc necessarium sit, ut de facto operetur; de hujusmodi sufficienti gratia non est hic nostra controversia. Talem enim sufficientem fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis esse* VERAM ILLAM CHRISTI GRATIAM, *de quâ quæstio est,* PERNEGARET.

Si Jansenius, ut ipse retur, cum Augustino sentiat, nec nisi Augustinum referat, igitur & ipse non *certo*, sed *fortasse* sufficientem Thomistico-sufficientem admitteret; Quomodò pro certo venditant Jansenii Vindices, ipsum admisisse gratiam, & cui resistitur, & quæ præfatô sensu sufficiens sit ad posse, ausint affirmare?

Sed regerentem tela excipio: ergò *fortasse* Jansenius gratiam Thomistico-sufficientem admitteret, sicut Augustinus; consequenter, ut certus gratiæ illius inficiator damnari nequivit. Nam qui illam forte admitteret, etiam, cui resistitur, non negaret, saltem fortasse. Sed validis lacertis occurro machinis argutiuncularum istarum, & Respondeo: Jansenium admissurum, sicut Augustinum autumat præstiturum, gratiam istam sufficientem, at quâ efficacem, non quâ sufficientem. Nam quid Jansenium permovere potuisset, ut diceret Augustinum non difficulter consensurum in istam sufficientem, nisi quia contuebatur eam à Moliniana dissidere, ex illo capite, quod aliquô semper bonæ voluntatis effectu seu affectu frueretur? Et cur eandem gratiam

tiam de subsellio Medicinalium gratiarum deturbandam censêret à Doctore tanto Christianæ gratiæ, nisi quia ex fronte altera spectabatur ut nudata effectûs decore, ut puta, datura inane posse, ad cujus incrementum potentius adjutorium poscebatur?

Gemino nunc Cornu Jansenianos appeto: Primò, Augustinus, Auctore Jansenio, *fortasse* gratiam Thomisticè sufficientem, esto non omni orbetur effectu, admitteret, cum eatenus efficax sit, ergò Jansenius (cum sit Augustinus Europæus ut vocant) non certò & incunctanter, admitteret gratiam *sufficientem*, sed *fortasse*. Secundò Augustinus hanc gratiam admittens, equidem PERNEGARET ESSE VERAM ILLAM CHRISTI GRATIAM. Ergò & illam PER-NEGAT ipse Jansenius, qui fatetur se in nullo deviare abs tramite illius profundissimi Doctoris. Non autem pernegaret Augustinus *fortasse* quatenus velle aliquod operatur; ergò dumtaxat quatenus sufficiens est, & posse aliquod largitur voluntati. Quid consequentius quam idem per omnia sensisse Jansenium, nimirum quod satiatissimè inculcatum atque infartum est, non aliam Medicinalem Christi gratiam agnoscendam, *nisi potentissimam efficacissimamque*, hoc est, eam, quæ non solum posse, sed efficaciter posse, hoc est integrè velle operatur? Nisi quæ omni suô, ad quem potestatem tribuit, fine potitur? Quare namque Christi gratiam Augustinus per-negaret, quam ex una parte fortasse admitteret, nisi quia sufficientem fructu viduatam cerneret & non operantem velle & operari?

Proinde Jansenius hâc Augustini interpretatione vel solâ seipsum suosque vindices jugulavit, etsi alia non suppeterent arma, quibus effectum, evictumque est, quod nullam gratiam

nisi

nisi effectricem, & quà talem quidem in statu naturæ lapsæ admittendam censuerit, ratus ad Adamæam nos reducturos hominis infirmi gratiam, quæ sano & integro sufficiens erat. Cum tamen planum pateret discrimen, Molinisticam inter & Thomisticam sufficientem.

SECTIO V.

Argumenta Palladij solvuntur de facto Iansenij quoad Propositionem secundam.

ARGUMENTUM PRIMUM.

NEc minus perspicuum est, numquam sensisse Jansenium, gratiæ interiori nullo resistentiæ genere resisti. Dissensus enim à gratia interiori unum est ex resistentiæ generibus. Atqui à gratia interiori quosdam dissentire disertis verbis Jansenius affirmat: „ *Constat*, inquit, *multos divinitus mente collustrari. Imò verò & in ipsâ voluntate motibus divinæ gratiæ percelli, qui tamen ab ejus intimâ suasione & inclinatione dissentiunt.*„ *Quæ verba ab eo proprio sensu dicta nemo jam inficiabatur.* Iansen. l. 2. de Grat. Chr. Salv. c. 27.

REFUTATIO I.

ETiam propriô sensu Jansenius enuntiatum voluit: *quod gratia repugnantem domet voluntatem, tollit omnem ejus resistentiam. Quod vires efficacissimas præbeat, omnipotentissimam potestatem conferat. Quod omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perrumpat*, &c. Et hoc in illo capite, cui titulus: *natura gratiæ Medicinalis &c.* Et cum invictam, victricem, omnipotentissimam uberrimè prædicet Christi gratiam, extra quam nullam agnoscit, nisi fortasse, & diminutè loquens, vincunt aper-

tissima Jansenii effata, hanc resistentiam vel obiter à Jansenio prolatam, imò sic deductam ut seipsam perimat. Nam quam gratiæ nomine censuit, postmodum ad legis infirmitatem atque inutilitatem ablegavit. Quod de divinis eloquiis confæderandis aiunt Patres, hoc de Jansenio diceremus, si tanta esset auctoritas. At cum homo fuerit, & se hominem ipse confessus sit, cupiens etiam errorem dedocêri; aggerem verborum ejus inficiantium omnem resistentiam gratiæ, huic uni Testimonio reponimus.

REFUTATIO. II.

JAnsenius affirmat interiori gratiæ quosdam dissentire, & dum illi dissentiunt Christi gratiam permanere, & qui dissentiunt effectum impedire gratiæ, ad quem potestas datur, Nego. Nam effectus illius gratiæ, ut ibidem loquitur, est velle imperfectum, quod non impeditur, per hoc quod à fortiori cupiditate vincatur. Affirmat dissentiendo fieri ut non habeat effectum, ad quem neque à Deo datur, neque sufficiens à Jansenio judicatur, concedo. Nam insufficientiam illam illic declarat Jansenius imperfectis voluntatis motibus inesse: *Non enim quævis gratia*, inquit, *ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt.* Unde de homine solâ velleitate boni operis donato asseverat: *Nondum didicit secundum gratiam ad ipsum quod faciendum jubetur.* Cujus rei causam postea adfert: *nempe quia quidquid nondum agit, id, nondum agendum didicit secundum gratiam, sed tantummodò secundum legem.*

L. 2. c. 27. pag. 210.

pag. 211.

AR-

ARGUMENTUM II.

Est etiam resistentiæ genus, reniſus. At voluntatem concupiſcentia depravatam gratiæ reniti multoties Janſenius admittit. lib. 3. de gratia Chriſti cap. 13. Ubi reniſu concupiſcentiæ fieri aſſerit, ut vires voluntatis diſtrahantur, atque ita homo non plenè velit, non integrè velit, non totâ voluntate velit.

REFUTATIO.

ADmittit voluntatem depravatam gratiæ reniti, ſic ut remoretur effectum quô gratia potiri queat, nego: cum ea, ſed quæ triumphare non poſſit conflictando animæque vires dividendo, concedo. Quod autem Janſenius invalidæ huic gratiæ poteſtatem abjudicet, vel ex eo eniteſcit, quod ex illo reniſu probet primam propoſitionem: *Juſtis conantibus & volentibus aliqua præcepta eſſe impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, quâ poſſibilia fiant.* Si deſit gratia, quâ præcepta *poſſibilia fiant*, igitur gratia, cui concupiſcentia reluctatur, poteſtate nudatur ad obtinendum effectum obedientiæ, qui proinde pervicaciâ malæ voluntatis neutiquam impeditur: quia impoſſibili effectui repagulum non figitur. Porrò ubi effectus non indisjunctè ſequitur gratiam, nullam eſſe Medicinalem Chriſti gratiam multoties Janſenius aſſerit: apud Auguſtinum, inquit, *gratia & opus bonum ita reciprocantur, ut quemadmodum ex gratia datâ effectum operis conſecutum inferre ſolet*, ità vice verſa, *ex defectu operis gratiam non eſſe datam.* Quô ratiocinandi modô indicatur gratiam tamquam cauſam, & operationem voluntatis *velut effectum eſſe*, ut Philoſophi loquuntur, *convertibiles, & à ſe mutuo inſeparabiles.* Et iterum nil L. 2. c. 25.

mirum ait, *Si Augustinus universim doceat Medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati, cui eam Deus suâ benignitate largitur.*

ARGUMENTUM III.

Resistentiæ genus, est, cum animus à gratiâ excitatus in solis desideriis inefficacibus hæret; ad id toties contingere, quoties contingit ardentiorem esse cupiditatem, expressis verbis Jansenius affirmat; ergò, quod confectum volo, non omne resistendi gratiæ interiori genus sustulit Jansenius.

REFUTATIO.

NOn sustulit genus resistendi gratiæ Christi Medicinali potenti effectum obtinere, quem non obtinet, nego: nam sufficientem omnem gratiam quà talem respuit, & si cum Augustino, quem adstipulatorem adsciscit, sentiat, eam Medicinalem esse Christi gratiam pernegat & pernegare debet Jansenius. Non sustulit resistendi genus ad causam hanc impertinens, transeat. Non potuit Jansenius, nisi subvertendo primam propositionem suam, admittere, quod resistendo gratiæ impediatur effectus, ad quem potestas datur. Alioquin omnibus justis conantibus & volentibus adesset gratia quâ præcepta Dei possibilia fiant; atque non magis quam ipsi Thomistæ potuisset asserere præceptorum impossibilitatem ob unius efficacis absentiam gratiæ ad effectum reipsâ inferendum desideratæ.

ARGUMENTUM IV.

Præcipuus Jansenij scopus fuit Molinianæ gratiæ systema penitus diruere. Proindè resistentiæ modos, quales admittunt Thomistæ quorsum negaret?

RE-

REFUTATIO.

FEcit tamen. Et si non faceret, primam suam famosam fausto eventu subrueret. Admissâ namquè Thomisticâ sufficienti cum suo resistendi modô, horrificam illam *impossibilitatem* demutasset, gratiamque, licet non Molinianam, possibilitatis seu dans *posse* neutiquam inficiatus fuisset.

Quod autem resistentiam Thomisticam negârit, claret ex dictis, eò quòd non nisi *omnipotentissimam gratiam* dignetur *nomine gratiæ Christianæ*. Prætereà cum mentio incidisset de hac *sufficienti*, disertis verbis dixit, quod Augunus eam esse *veram medicinalem Christi gratiam pernegaret*. Si Augustinus; ergò & Jansenius, qui non nisi Augustinum sapere, non nisi Augustinum loqui, Augustinum objicere visus est Jansenianis, & ipse Jansenius sibi. Qui ergò Thomisticam sufficientem à Systemate Christianæ gratiæ facit extorrem, Thomisticam pariter resistentiam ablegasse censêtur.

ARGUMENTUM V.

Jansenius majorem & magis propriè dictam resistentiam admittit quam Thomistæ, nam ex Thomistis, gratia sufficiens ne diminutâ quidem cupiditate fit efficax, & sic numquam ullo effectu spoliari potest, quem aliquô casu aliquandò habeat. At verò gratia excitans ejusmodi est apud Jansenium, ut imminutâ cupiditate efficax fieri possit. Dum ergò ei renititur voluntas, illô eam privat effectu, quem certis casibus & conditionibus haberet.

REFUTATIO.

VOluntas, quæ excitanti gratiæ renititur apud Jansenium non privat eam effectu, ad quem obtinendum illa pollet. Nam de hominibus

nibus Justis ità excitatis divinâ gratiâ dicit, illis *gratiam deesse, quâ præcepta possibilia fiant*; quô loquendi modô omnem propriè dictam ad agendum potestatem ab illâ excitante gratiâ submovit, ut vel ipse sapientissimus Arnaldus observatum reliquit. Et quanquam excitans gratia, submotâ cupiditate aut imminutâ, efficax fieret apud Jansenium; hâc tamen stante fortiterque renitente, sufficiens non est, potens non est; adeòque effectu suô privatur. Imò, ex eâ parte, quâ non efficit quod Jubetur, Christi gratia non est, &c.

SECTIO VI.

Argumenta Confutatoris Epistolæ Leodiensis Refutantur.

ARGUMENTUM I.

Hoc tantum agit Jansenius (l. 2. de grat. Chr. c. 25.) *ut probet ex Augustino; gratiam Christi in omnibus quibus datur, infallibiliter operari, & nullam prorsus effectu carere, quia nulla prorsus est quæ non det saltem aliquod velle voluntati: si autem nec velle saltem tenuissimum det, tunc nec Christi gratiam esse, hominesque omni effectu in voluntate destitutos*, solo Pelagianæ gratiæ adjutoriô, hoc est lege doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti.

REFUTATIO.

Jansenius eam gratiam, quæ tenuissimum velle tribuit non admittit esse Christi gratiam nisi respectu effectûs, à quo dividi nequit, scilicet, respectu initialis bonæ voluntatis, neutiquam verò comparatione habitâ ad effectum ad quem inclinat, & ad quem dat posse. Capite namque

namque 27. hominem bonâ voluntate, sed imperfectâ instructum asserit vice non simplici non *didicisse secundum gratiam, sed secundum legem*, quamdiu non implet quod jubetur. *Qui scit Deum super omnia diligendum*, inquit, *spe ac fide colendum, & similia, & nondum ita diligit, sperat, & credit, ut lex jubet, nondum illa ipsa quidem didicit secundum gratiam sed tantummodo secundum legem.* Quod autem agat de illo qui tenuissimum saltem velle gratiâ largiente accepit, liquet ex subnexis: *Quamvis interim aliud quidpiam, quod prævium esse solet, ut verbi gratia quod in Deo vel Charitate ac fide ipsius sibi quoquomodo placeat, illosque actus quâdam velleitate desideret, & similia secundum gratiam potuerit didicisse.* pag. 211.

Quis hic non perspiciat Jansenium asseverare quod gratia quatenus est efficax seu dat velleitatem bonique desiderium, esse Christi gratiam, & quatenus non implet quod desiderat, legi esse componendam? Nam ideò dicit hominem desiderantem *credere sperare ac diligere nondum didicisse secundum gratiam, sed tandummodò secundum legem, quia nondum implet* quod lege jubetur, seu quod convertitur, quia effectu operis destituitur.

Similiter ratiocinatur de illis, qui continentiam vehementer avent, & nondum reipsâ continent. *Sic enim videmus plurimos*, ait, *qui necdum ab immunditiis carnis se continere possunt, vehementer tamen optare continentiam: cujusmodi vota divinæ gratiæ sunt munera, & majoris gratiæ provocativa, quamvis nullo modo veræ perfectæque continentiæ comparanda sint.* Et tamen de his etiam affirmat quod non secundum gratiam didicerint. *Itaque*, pergit Jansenius, *optimè subjungit Augustinus: hoc modo* (per gratiam) *quisquis discit, agit omninò quidquid agendum didicerit.* Ibid. Ibid.

Nem-

Nempe quia quidquid *nondum agit, id nondum agendum didicit secundum gratiam, sed tantummodò secundum legem.*

Igitur continêre desiderans & nondum continens didicit secundum gratiam quia desiderat, & didicit secundum *legem tantummodò* quia nondum agit quod desiderat. Quasi non plus virium nactus sit ad continendum ab excitante illâ gratiâ Votumque continentiæ impartiente continêre peroptans, quam à lege continentiam præscribente atque imperante. Quod ergò de lege dixit Apostolus : *Virtus peccati lex*, de gratia ista pronuntiandum veniet: *Virtus peccati gratia*, quæ velle operatur continentiam, sed continentiam non operatur. O ! ingrata & inimica nimis gratiæ Christi, quæ ex Jansenio fonte liquidissimè profluit consecutio ! Itane est secundum legem discere accepisse gratiam, quâ possit continêre, & per quam fit ut minus libeat, quod non licet ? usque adeò Jansenio ista, quam alii Thomisticè potentem alii sufficientem appellant, gratia viluit, ut dicere non erubuerit quod Augustinus eam *veram Christi gratiam esse pernegaret*, nempè quià opere vacuam, & quia nondum operatur quod lex imperat.

Procul ergò confutator Jansenium à seipsô abducit, quasi tum Christi gratiam negaret, cum nullum, ne quidem tenuissimum tribueret effectum: quasi tum *in Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc est lege doctrinâque ad operationis præceptæ Justitiam* homo niteretur ; quia satiatissimè probatum dedimus hujusmodi locutiones ab ipso Jansenio adaptari hominibus bonæ voluntatis initio divinitùs præventis, continentiam desiderantibus, &c.

AR-

ARGUMENTUM II.

SI non aliud diceeret Jansenius (c. 25.) quam, hæc sitaque est ratio & radix, cur nulla omnino medicinalis Christi gratia effectu suo careat, posset fortasse accusatio prætextu aliquò utcumque defendi: Verum dum addit: Sed omnis efficiat ut voluntas velit & aliquid operetur, *manifestè ex ipso Jansenio revincitur. Hæc enim addendo significat, quò sensu nulla omnino Medicinalis Christi gratia effectu suo careat: non quod omnis omnem effectum suum operetur, sed quod operetur saltem aliquem effectum, sive efficiat ut voluntas velit & aliquid operetur.*

REFUTATIO. I.

CUr ergò teste Jansenio, Augustinus gratiam Thomisticè sufficientem *Veram Christi gratiam pernegaret*? Nonne illa aliquô potitur effectu, & aliquô destituitur? Nonne dat bonam voluntatem imperfectam? Igitur nec Jansenius admisit gratiam esse Christi gratiam, nisi quâ efficacem, quâ effectui semper conjunctam.

REFUTATIO. II.

OMnis Christi gratia effectum obtinet suum ad quem datur juxta Jansenium. Vel enim datur ut homo velit tantum, & illa infallibiliter velle operatur. Vel datur ad fortiter velle & operari, & illa quoque hôc effectu semper fruitur. Et hoc consonat ejus encomiis ac notis, quibus Medicinalem Christi gratiam insignitam Voluit: Nempè, quòd sit *victrix*, quod sit *invicta*, *potentissima*, imò *omnipotentissima*. Vincit enim voluntatem, dum ex nolente facit voluntatem, perrumpit omnes obices voluntatis, dum ad agendum datur. Nullam, quæ media sit, id est, quæ dat velle & posse, sed nondum agere, admisit Jansenius; imò quamdiu homo

desideriis ineffacibus hæret, & nondum agit quod jubetur, *secundum legem tantummodo didicisse testatur*, ex eô utique capite quod effectu careat, omnisque illa potestas quæ ad effectum donata dicitur, Jansenio usque adeò diminuta censetur, ut legis adjutoriô componatur. Id affatim exprimunt dictiones illæ : *Secundum legem tantummodo didicit.*

Neque objeceris, Augustinum ità loqui, quia hic contra Pelagium agit, qui gratiam in scientia legis constituebat, & neque ad velle, neque ad operari aliam gratiam admittebat necessariam. Unde supponit cum Pelagio hominem solâ scientiâ legis instructum, & de illo pronuntiat : *Qui novit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem.* Quia nempè illa tantum novit, quid agere debeat, quod lex præstat. Jansenius verò præter legis notitiam, supponit adesse *bonæ voluntatis* gratiam, desideria *continentiæ*; adeòque Augustini verbis abutitur contra debitam laudem gratiæ comparans illam infirmæ legi.

ARGUMENTUM III.

QUod verò Jansenius inter effectus gratiæ Christi, etiam recenseat velle quantumvis tenue ac imperfectum, adeòque & pios motus & inspirationes quibus vult, patet tum ex locis Augustini, quæ allegat, tum ex eo quod post allegata Augustini loca contra Pelagianos ita loquatur ,, : Quemadmodum ex istâ cum Pelagianis concertatione perspicuum est, illam solam gratiam prædicasse Augustinum, quæ dat simul effectum suum, ut homo velit aut faciat.

Vides, quem effectum gratiæ semper conjunctum esse dicat Jansenius, nimirum ut homo VELIT AUT FACIAT; *ergò pij motus & inspirationes, quibus homo vult, secundum Jansenium sunt effectus gratiæ.*

RE-

REFUTATIO.

SI solam Augustinus prædicaverit gratiam, quæ donat ut homo velit, aut faciat: ergò nullam admisit quæ præter velle dat posse effectum ponere, qui reipsâ non ponitur; ergò nec gratiam cui aliquandò resistatur. Neque enim resistitur ei quæ dat velle, neque illi quæ dat agere. Utrumque enim effectum ad quem datur semper obtinet, aut *velle* tantum, aut simul operari; & ideò potentissimam vocat Jansenius, quæ omnem resistentiam tollat seu quoad velle, seu agere, si ad agendum donata fuerit. Nam si tantum velle tribuat, ad agendum non censetur esse data, nec eô intuitu gratia Christi dicenda, sed magis Pelagiana, per quam homo non discit legem implêre, nisi secundum legem, ut sæpius repetitum est.

ARGUMENTUM IV.

APertissimè ostendit aliquam esse Christi gratiam, quæ non habeat effectum ad quem excitat, sed tantum effectus illius desiderium producit. Considerandum est enim, inquit Jansenius ipso capite ab ipso ferè initio, multiplices esse divinæ gratiæ effectus, quemadmodum & voluntatis. Est enim velle perfectum, quod Augustinus POSSE *appellat: Est & imperfectum, quod velleitatem appellare solent. Et hoc ipsum diversos gradus habet; donec ad ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam veniatur.*

En perspicuè, quô sensu dicat Jansenius, nullam esse Christi gratiam præter efficacem. Nimirum quia nulla est, quin saltem imperfectum aliquod velle operetur, & ut minimum ipsam primam tenuissimamque boni complacentiam.

REFUTATIO.

EQuidem verum manet & incuſſum, Janſenium non admiſiſſe gratiam niſi efficacem ad omnem effectum ad quem donat poteſtatem. Quia vel donat ut imperfectè velit, & habet effectum ſuum: vel ut perfectè velit, & habet indisjunctam ab opere poteſtatem. Quis nunc igitur effectus remanet per voluntatis depravatæ reniſum ſub-flaminandus? Non iſte quem obtinet, non iſte quem obtinêre poteſt, & non obtinet; Quia iſte ad gratiam Chriſti non pertinet, ſed ad Pelagianæ ſyſtema gratiæ, hoc eſt legem legiſque ſcientiam naturâ ſuâ infæcundam & otioſam. Perſtat in hoc Janſenius, quod licet internæ ſuaſioni tum intellectûs, tum voluntatis (imperfectæ ſcilicet) aliquandò diſſentiatur, equidem firma maneat regula iſta: Gratia Chriſti ſemper habet effectum ad quem datur, & ſi effectus non ſequitur, ad illum gratia non donatur. Nam cum ſibi objeciſſet hujuſmodi diſſentionem velut peremptoriam dictæ aſſertionis, ſubjungit & ſolvit objectionem: *nec vero moveat quemquam quod conſtet multos divinitus mente colluſtrari, imò verò & in ipſa voluntate motibus divinæ gratiæ percelli; qui tamen ab ejus internâ ſuaſione diſſentiunt. Ut propterea falſum putet gratiam in eo cui datur ſemper operari effectum ob quem datur.* Non igitur diſſenſus ille impedit effectum gratiæ Medicinalis, gratiæ Chriſti: quia iſta non niſi ad bonam voluntatem datur, cui diſſentitur; non autem ad opus quod non ſequitur juxta Janſenium: quia putat non enervari aſſertum ſuum de efficaci ſemper gratia, ex eo capite, quod quis ab ea diſſentiat ſeu non plenè conſentiat. Quare, niſi quia putat effectu ſuo ſemper potiri ob quem datur, & ad effectum gratiam non dari, qui gratiam non comitatur?

cap. 27. pag. 210.

AR-

ARGUMENTUM V.

REgerit ad Argumentum præfatum Confutator, & distinguit: *non est falsum Jansenio gratiam in eo cui datur semper operari effectum, ob quem datur, voluntate Dei absolutâ, concedo: ob quem datur voluntate Dei non absolutâ, Nego.*

REFUTATIO.

JAnsenius non admittit aliam donantis Dei voluntatem quam absolutam, nec ullam Christi gratiam comparatam ad effectum quem reiptâ non consequitur; & ideò dicit Thomisticam sufficientem ab Augustino pernegatum iri. Proindè firma manet Jansenio persuasio, quod gratia quæ vacua effectu, gratia Christi non sit; Nec consequenter Christi gratiæ (cum semper sit efficax) umquam resistatur, sic ut effectu suô frustretur. Nam ex eô quòd frustratur, gratia non esse asseveratur.

ARGUMENTUM VI.

JAnsenius dicit potuisse tamen eum didicisse secundum gratiam aliud quippiam quod prævium esse solet, v. g. quod in Deo vel Charitate ac fide ipsius sibi quoquô modô placeat, illosque actus quâdam velleitate desideret, & similia. Illis significat Jansenius hominem ejusmodi nondum habere gratiam Thomisticè efficacem, quâ diligat, speret & credat, ut lex jubet: his significat, eum habere gratiam Thomisticè inefficacem, quâ actus illos desiderat.

REFUTATIO.

GRatia ista quæ facit desiderare efficax est, sed inefficax respectu effectûs quem desiderat, respectu cujus sufficientem vocant. Jansenius autem pro eâ parte, quâ caret effectu, negat esse gratiam Christi. Nam de Thomisticâ illâ

sufficienti dicit quod *Augustinus* eam *Christi gratiam pernegaret*; non quatenus velleitatem operatur, sed quatenus desideratô effectu vacuatur. Et ideò dicit eum qui desiderat quod nondum agit, *secundum legem tantummodo didicisse*. Unde corruit confutatoris conclusio. „*Etsi gratiæ quæ omni prorsus effectu caret, non sint gratiæ Christi juxta Jansenium; juxta eundem tamen & gratiæ Christi sunt, quæ aliquô suô effectu careant; & gratia Christi sint sed inefficaces etiam erga effectum quô carent; cum juxta Jansenium ad eum inefficaciter desiderandum excitent.* Nam quô pactô Gratiam Thomistico sufficientem Augustinus Christi gratiam esse pernegaret, ut contendit Jansenius, si gratiam effectu suô destitutam Medicinâli Christi gratiæ accensêret? Si pernegaverit Jansenii Augustinus, igitur & ipse Jansenius, ut supra conclusum fuit. Neque patet effugio locus de gratiâ Molinistica, quasi hanc solam rejiciat, ubi objectioni huic (hæc omnia Augustinum de gratia tantum efficaci tradidisse) respondet: *Nihil verius dici posse . . cujus causa est quod nullam agnovit aliam actualem Christi gratiam nec agnoscere potuerit.* Quod libro 3. cap. 1. ad Thomisticè sufficientem extendit.

L. 2. de Grat. Chr. c. 27. pag. 211.

L. 3. pag. 253.

Neque minus id liquêre facit sub finem capitis primi, quod ità concludit: *Quod si reliquas gratiæ Dei proprietates percurrere velimus; ut, quod homini donat voluntatem & opus, & meritum, quòd efficacissimè potentissimèque agit homines, cæteraque quæ superius recensuimus, & infra nonnihil adhuc delibaturi sumus, ex omnibus liquebit, non esse nivem calori dissimiliorem, quam sufficientem illam gratiam veræ gratiæ quam Augustinus tradidit: ut alterutrum profecto necessarium sit, vel quod eam numquam post lapsum hominis agnoverit, vel quod eam à Medicinalis adjutorii limitibus, quod per crucem suam Salvator dedit, excluserit.* Dis-

Disjuncta isthæc locutio magis ad gratiam Thomistico-sufficientem quam ad Molinianam pertinêre censêtur. Nam utrumque incunctanter de Moliniana Jansenius affirmat, nimirum & quod Augustinus eam in statu naturæ lapsæ numquam admiserit, alioquin eversum discrimen gratiæ utriusque status, & quod Medicinalis Christi gratia non sit, adeòque copulativè enuntiatio proferri debebat. Cum verò disjunctivè dicat vel *non agnoverit*, vel *à Medicinalis adjutorij limitibus* excluserit; De alia procul dubio sufficienti intelligendus est Jansenius & velut confirmans quod initio capitis de illa dixerat: *Talem sufficientem fortasse non difficulter S. Augustinus admitteret, quamvis veram illam Christi gratiam, de quâ quæstio est, pernegaret.*

SECTIO VII.

Cornelij Iansenii, in Asserenda medicinali Christi Salvatoris Gratia, Contradictio varia proditur.

CONTRADICTIO PRIMA.

De Gratia Thomistico-sufficienti.

HÆc gratia, quamvis nullo modò sufficiat, ut homo Dei mandatum operetur, ut Deum super omnia diligat, ut speret, ut oret, ut credat; adhoc tamen facit aliquid, ut istarum vel alterius cujusdam cælestis rei liberas quasdam non voluntates, sed velleitates vel complacentias excitet, quas, nisi divinitùs infundantur, obtinêre humanâ potestate Nemo potest. Rationem subdit: *Non enim quævis gratia ad quosvis effectus inferendos sufficit, ut quidam imaginati sunt, sed potestates operationum difficultati attemperandæ sunt.* L. 2 de Grat. Chr. c. 27. pag. 210.

L. 3. c. 1. Huic asserto contradicit lib. 3. cap. 1. ubi de sufficienti illa ait: *Talem enim sufficientem gratiam fortasse non difficulter S. Aug. admitteret.* Si sufficientem hanc Augustinus sine difficultate admitteret, cur in admittenda Jansenius difficultatem ciet? Si Augustinus *fortasse sufficientem*, quomodò Jansenius in suo Augustino sine cunctatione? si *fortasse*, quomodò sine conditione respuit, imò absolutè, quia operis difficultati attemperatam non invenit, *nullo modo sufficere asseverat*? Non se extricabit his cassibus ipse Jansenius, ni consequenter errare pergat, dicatque Augustinum neutiquam admissurum sufficientem Thomisticam *quâ talem*, utpote nullô modô, ut Jansenio perlibet, sufficientem.

Neque de Moliniana sufficienti Jansenius id asserere potuit, cum de illa dicat: *Talem sufficientem gratiam Augustino repugnare, non est difficile advertere, si quis principiorum ejus meminerit, quibus tamquam cardinibus, tota ejus doctrina vertitur.*

Ibid. pag. 251.

CONTRADICTIO II.

De Jansenij Gratiâ Thomistico-sufficienti.

CUm sibi objecisset Jansenius effatum Doctoris Angelici, *quod aliquam habeamus sufficientiam, quâ bonum velle & credere incipiamus*, respondet: *Sed hoc ad istam controversiam dirimendam* (cum Molinianis) *neutiquam sufficit.* Postea verò talem sufficientiam ab Augustino traditam meminit, quâ non modò Molinianam, quæ ab omni effectu dividitur, sed & Thomisticam aliquem effectum seu affectum tribuentem subruit: *Gratia Christi ab Augustino prædicata sufficien-*

Ibid.

ficientiam donat, non ab actu tamen disjunctam sed quem victrici potestate largitur. Per illam enim homo verè sufficit ? Tunc enim utile est posse cum volumus, inquit, S. Doctor: *Nam vera Christi gratia est talis, ut quemadmodum Salvator mundi dicit: Omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.. Dum igitur facit gratia Christi, ut omnis qui audivit & dicit veniat*, profectò satis ostenditur & *possibilitatis profectus, & voluntatis affectus & actionis effectus. Talem igitur sufficientiam omnino agnoscit Augustinus.* Ibid.

Huic ex adverso obviat non modò Moliniana negata à Jansenio, sed & Thomistica, quam dixerat Augustinum fortasse non difficulter admissurum fuisse. Siquidem sicut Moliniana caret voluntatis affectu & actionis effectu; ita Thomistica saltem caret actionis effectu, cujus defectu, juxta Jansenium, Augustinianæ sufficientiæ nomen haud meretur: quia per illam non fit, *ut omnis qui audivit, & didicit, veniat.* Neque per illam gratiam fit, ut *sequatur actionis effectus.* Quia tantum talem possibilitatem largitur, quæ ad effectum operis amplius adjutorium deposcit. Quomodò ergò Augustinus tam multifarios ad sufficientiam effectus requirens, ut Jansenius prætendit, sine difficultate, seu non *difficulter* admitteret *gratiam sufficientem*, cujus notio est, ut Jansenius exprimit, *ut homo dicatur posse operari, quamvis aliud necessarium sit, ut de facto operetur?* Itaque non modò Jansenius sibi contra venit, sed & Augustinum sibi contradicentem facit.

CONTRADICTIO III.

Ianſenius Gratiam ſolum largientem VELLE *& operari adſtruens, aliamque dantem* VELLE *aut velleitatem admittens, ſeipſum deſtruens.*

HÆc duo contradictionem implicare nemo ambigit: *Sola, vel* unica Chriſti Salvatoris gratia eſt quæ dat *velle & operari*, prout condiſtincta ſunt; &, datur Chriſti gratia, quæ unum eorum dumtaxat operatur, hoc eſt, *velle & non operari.*

Primum verò variis locis aſſertum à Janſenio demonſtratum imus.

Gratiam ſolum velle & operari inferentem pro gratia Chriſti ab Auguſtino prædicatam aſſerit loco citato, *quæ ſufficientiam donat ab actu indisjunctam*, quæ talis eſt, ut fluat *inde & poſſibilitatis profectus, & voluntatis affectus, & actionis effectus.*

L. 3. de Gr. Chr. c. 1. pag. 253. Gratiam eam ſolam eſſe Chriſti, quæ dat *velle & operari*, docet ubi aſſerit inter proprietates gratiæ recenſeri: *Quod donat homini voluntatem, & opus, & meritum.*

cap. 2. pag. 257. Gratiam *velle & operari* donantem ſolam agnoſcit gratiam Medicinalem Chriſti dum ait: GRATIÆ MEDICINALIS CHRISTI PROPRIUM EST *efficere, ut aliam quamcumque gratiam, ſive habitualem ſive ſufficientem utiliter habeamus. Quomodo niſi habeatur ſemper noxia eſt, quia ad hoc conducit, ut damnabilius delinquamus.* Cauſam addit: *Nam quid prodeſt ſi quod non poſſumus, volumus, aut ſi quod poſſumus, nolumus?*

Tali

Tali quoque notione Medicinalem Christi gratiam expressit, his verbis: *Tali gratiâ non solum posse, sed etiam ipsum agere adjuvatur. Dat enim non solum posse si velis, sed & velle quod potes. Hoc posse numquam habetur nisi quando reipsa quoque agitur, & est proprius effectus non fidei, aut Charitatis seu bonæ voluntatis habitualis, sed illius gratiæ actualis quam Christus attulit hominibus infirmis per crucem suam.* L.3. c.15. pag. 340.

Solam quoque, quæ dat agere, ut Christi gratiam agnoscere visus est cum ait: *Quidquid sufficientis gratiæ, vel à Neotericis, vel à Pelagianis vel Massilienſibus, præter istam agendi gratiam excogitatum est, hoc totum Augustino ad legem pertinet, nec extra limites Pelagianæ gratiæ constitui debet.* L.10. c.7. pag. 1035.

Nempe, quia quidquid nondum agit, id nondum didicit secundum gratiam, sed secundum legem. Et cum Medicinalem gratiam infirmitati humanæ allatam dilineasset, *quod agit & peragit effectum suum*, subjunxit: *Omnis alia qualiscumque fuerit, ab ipso (Aug.) ad legem doctrinamque relegatur.* L.2. c.27. cap.32.

Hanc solam, quæ *velle & operari operatur*, ut Christi gratiam profitetur aliô locô dicens: *Propriè dicta Christi gratia, quam per passionem suam adversus infirmitatem voluntatis attulit, illa est, ut copiosissimè demonstravimus, quæ non operatur effectum suum si velimus, sed quæ operatur in nobis velle & operari: quæ facit, ut in justificationibus ejus ambulemus.* cap. 24. pag. 203.

Hanc solam toto libro de dono perseverantiæ ab Augustino traditam asserit Jansenius: *in toto libro*, inquit, *nullius alterius gratiæ vestigium reperire licet, quam quâ id reipsa operatur ac donat quod homini præcipit . . . denique gratiam, non quæ credimus si nos volumus, sed quæ, ut alibi de vocatione* cap. 25. pag. 207.

ne quæ fit per gratiam, dicit, id prorsus agitur & peragitur ut credamus. Postea declarat hanc naturam gratiæ his verbis : *Cum igitur talis sit natura gratiæ quam ægrotanti generi humano Christi per mortem suam attulit.*

Hanc solam esse Christi gratiam quæ non modò effectum habet bonæ voluntatis sed etiam operis, sub initium hujus capitis probat ex affirmativo & negativo ratiocinandi modo S. Augustini ; nititurque ostendere, gratiam tamquam causam & effectricem voluntatis bonam, velut effectum esse convertibiles, gratiamque, & opus bonum ita reciprocari, ut ex gratiâ datâ effectus consequatur, & vice versâ ex defectu operis, gratia non data inferatur. Affirmativus arguendi modus apud S. Doctorem frequens est. Sic enim loquitur de pugna contra tentationes : AGIS SI AGERIS, & *bene ageris si à bono agaris.*

pag. 202. Quod ex Apostolo videtur didicisse, inquit Jansenius, qui ad Romanos dicit : *quicumque Spiritu Dei aguntur hi filii Dei sunt*, ut probaret hujusmodi *reipsa operari & facta carnis mortificare.*

Sic contrario negativè subindè ratiocinando docet ; hoc ipso quo homo effectu destituitur, nullam ei gratiam collatam, sed solo pelagianæ gratiæ ad-

pag. 204. *jutorio, hoc est legæ doctrinâque ad operationis præceptæ justitiam niti... Nam in libro de gratia Christi, ubi ex professo cum Pelagianis de adjutorio Medicinalis gratiæ, hoc est gratiæ Christianæ adeòque veræ gratiæ quæ per crucem Christi humano generi revelata, atque donata est, ita definitivè loquitur : Qui novit quid est quod fieri debeat, & non facit, nondum à Deo didicit secundum gratiam sed secundum legem.*

cap. 27. pag. 213. *Quamobrem*, inquit Jansenius, *quicumque animadvertit, omnia quæ de adjutorio gratiæ Medicinalis ex Augustino diximus, de gratiâ quâdam po-*

ten-

tentissimâ, quam efficacem Recentiores suô sensu vocant, esse intelligenda, consequenter hoc animadvertere debent, non aliam Christi gratiam Medicinalem in ejus scriptis reperiri.

Igitur non alia nisi potentissima, quam efficacem vocant & cum effectu; Proinde non aliam nisi velle & operari operantem agnoscit Jansenius Medicinalem Christi gratiam. Hæc est illa gratia quæ *tollit omnem voluntatis resistentiam. Quæ summæ efficaciæ est, quâ Deus facit, ut faciamus .. Potentissimâ medicinæ suæ potestate.* cap. 24.

Quod ita à Dei Spiritu per gratiam rapiatur, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quam Augustinus non rarò *victricem vocat, quia omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perrumpit... Quæ operatur in nobis velle & operari. Ut voluntas velit & aliquid operetur.* cap. 25.

Contradicit his omnibus Jansenius assertionibus suis negationibusque, nisi gratiam Christi à Gratia Dei dividat, aut magis diminutè in uno loco quam in altero de Gratia Christi sentiat. Sed non est quod Antilogias ejus componere studeamus. Sat superque ad scopum hujus causæ proficit quod luculentissimè doceat damnatam olim ab Augustino, & postmodum à Sede Apostolica propositionem, quam non salvat sequens contradictio, è qua Jansenianorum oppositio prodit. Assolent ex obscurioribus hostes Ecclesiæ contra lucidiora S. Scripturæ ac SS. Patrum documenta arma procudere, ita & Jansenniani. Quamquam conciliandi opposita Jansenij documenta necessitas nulla suppetat, cum sui immemor sibi-met occurrere potuerit; equidem contradictio in præsens exhibita sat momenti habebit, ut desinant Jansenianum dogma ab omni hæresi vindicare. Est autem contradictio prima quod Jansenius primam bonam hominis voluntatem

tatem (nisi pro forti & effectus effectrice intellexeris) Gratiæ effectum constituit ita differens: *Et de ipsa prima hominis voluntate bona in primo ad Simplicianum libro* (Augustin.) ubi & rationem tangit, cur non possit gratia effectu suô sine absurditate destitui: *Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus misereretur, jam volumus: ad eandem quippe Misericordiam pertinet ut velimus: Quod si jam volumus quando miseretur Deus, profecto gratia, quæ est effectus Misericordiæ, & voluntatis effectrix, non potest ab hominis, cujus miseretur Deus, voluntate seu volitione separari. Quamobrem diserte subjicit* (Aug.) *in eodem loco*" : *Nullius Deus frustra miseretur.* Posteà pergit in cursu hominis jam volentis, hoc est, operantis quod voluit. Et consequenter Jansenius qui *velle & operari* velut germanam Medicinalis gratiæ Christi notionem expressit, hic velle ab operari dispescuit.

L 2. de Gr. Christ. c. 25 pag. 203.

pag. 204.

Altera Contradictio est, quod qui conjunctivè dixerat nullam agnosci debere gratiam Christi Medicinalem, nisi quæ operatur *velle & operari*, nunc disjunctivè enuntiet (nisi erratum dicamus in disjunctiva Typographi oscitantiâ) ubi dicit: *Illam solam gratiam prædicasse Augustinum quæ dat simul effectum suum; ut homo velit aut faciat.* Contradicit hæc assertio illi ipsi, quâ dixerat in eodem capite. Nam ubi dixerat ex Augustino illam gratiam esse confitendam à Semi Pelagianis, *quâ Deus ipsam credendi voluntatem effectumque boni operis largiatur*, subjungit: *Nempe ipsa vera & sola Christi gratia est, quam sanandæ naturæ peccatricis infirmitati attulit.* Hæc enim duo coire nequeunt: Christi gratia sola est *quæ voluntatem credendi effectumque boni operis largiatur*; &, *Christi gratia est, quæ*

pag. 206.

pag. eâdem.

vo-

voluntatem aut effectum boni operis largiatur. In alternativis enim sufficit unum adimpleri. In exclusivis autem exclusum admitti nullum. Si sola ergò est Christi gratia, quæ effectum boni operis largitur; excluditur ista quæ effectum istum minimè largitur.

Nisi fortè hoc retractatum à se Jansenius voluerit, dum conjunctivè asseruit quod *nulla Medicinalis Christi gratia effectu suo careat, sed omnis efficiat, ut voluntas velit & aliquid operetur.* cap. 25. pag. 202. Quod si quis de imperfecto operis annisu intellectum velit, videat qualiter *potentissimam, efficacissimamque* benè agendi potestatem, quàm Jansenius Medicinalis Christi gratiæ proprium nativumque fructum facit, demoliri nitatur. Nempè potentissimam Gratiam destruit, ut imbecillem invalidamque, cui resistatur, tueatur: aut potius, ut invalidam gratiam propugnet, expugnat validissimam omnis operis evictricem effectricem, quam unicam patientis Christi meritis nostris allatam languoribus, ceu Medelam Jansenius tam exertè disertèque profitetur. Præstaret lucidè traditos errores damnare, quam luci tenebras conciliare.

Tertia contradictio in hoc versatur quod gratiam admittat, à *cujus internâ suasione ac inclinatione homines dissentiunt*; cap. 27. & tamen tam frequenter intorqueat & inculcet, illam solam esse Christi gratiam quam octo depictam notis seu proprietatibus exhibet, quas inter hæ sunt: *Quod sit summæ efficaciæ in persuadendo efficiendoque quod Deus homini persuasum, & in eo effectum cupit.* Quod habeat *potestatem efficacissimam.* Quod probat *efficacissimâ vocatione* Pauli Apostoli, de quâ S. Augustinus libro de gratia & libro arbitrio cap. 5. cap. 24. Quod *victrix, omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate per-*

perrumpat. Ità victrix, *ſupra voluntatis arbitrium ut non raro dicat* (Aug.) *hominem operanti Deo per gratiam non poſſe reſiſtere.* &c.

CAPUT II.

Secunda Ianſeniana in quo à Sancto Auguſtino revicta monſtratur.

SECTIO PRIMA.

Gratiæ interiori aliquando reſiſti oſtenditur ex lapſu Apoſtoli Petri.

S. Auguſt. Epiſt. 120. PEtrus *ex egregio præſumptore tam creber negator effectus*, ut loquitur S. Auguſtinus, *cum putavit ſe poſſe quod ſe velle ſentiebat*, proculdubio Chriſti gratiam habuit, quia Charitate non caruit; *Quamvis parva & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino: Animam meam pono pro te. Et quis iſtam etſi parvam dare cæperat Charitatem, niſi ille qui præparat voluntatem & cooperando perficit quod operando incipit? Quoniam ipſe ut Velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* Deſeruit aliquantum Deus unde ſuperbiebat; & unde ſuperbiebat gratiæ reſiſtebat. Plenam non habuit robuſtamque voluntatem, quandò *ancillæ interrogatione perterritus non potuit verum Teſtimonium perhibêre. Secutus eſt paſſurum, ſed tunc non potuit* (plenè) *ſequi paſſurus.*

De Grat. & lib. arb. cap. 17.

Tract 92. in Ioan. Neque eum omnis Chriſti grrtia deſtituit, dum Chriſtum negavit *Nam ſi Chriſtum non amaſſet non negaſſet invitus. Verum ſi amplius non amaſſet, non ali-*

aliquatenus negasset . . aut negare, aut mori necesse erat. Mori timens negavit, negare nolebat, sed magis nolebat mori. Itaque invitus quidem sed negavit tamen, ne moreretur . . . lingua mota est contra voluntatem, sed numquid & mutata voluntas? Quid enim volebat? Prorsus quod erat, Christi esse Discipulus. Quid loquebatur? Non novi hominem. Cur ita? Mortem evadere volebat. Sed quid istud Criminis fuit? Duas Apostoli tenemus voluntates. Unam quâ voluit non mori penitus inculpabilem. Alteram & multum laudabilem quâ sibi complacebat quod esset Christianus. In quo ergo culpatur? An in eo quod mentiri quam mori maluit? Hæc planè voluntas reprehensione digna fuit, quia Corporis magis quam animæ voluit servare vitam. . . & peccavit ergo & non absque consensu propriæ voluntatis, infirmæ quidem & miseræ sed planè liberæ. Peccavit autem non spernendo aut odiendo Christum, sed se nimis amando. Nec in hunc perversum amorem sui metus ille subitus compulit, sed esse convicit. . . Quatenus ergo Christum diligebat. Vim prorsus (quod negandum non est) passa est illa voluntas ut contra se loqueretur: Quatenus vero se amabat, voluntariè procul dubio consensit, ut pro se loqueretur. S. Bern. de grat. & lib. arb. c. 9.

Inerat ergò Petro gratia, inerat & mutabilitas quâ posset in tentatione nutare. Et non ita perseverantiæ fuerat virtute solidatus, ut nullis periculis esset obnoxius. Siquidem tam gravis eum perturbatio concusserat, *ut in Caiphæ domo unius ancillæ interrogatione pavefactus usque ad trinam negationem Christi (cui moriturum se spoponderat) constantiâ deficiente perductus sit.* Sicut Petrus ergò gratiæ restitit, sicut amorem Christi amore sui superavit, ita & alii sæpè resistunt & cadunt, deserunt & aliquandò deseruntur. *Alioquin nemo unus fidelium recessisset à fide, neminem concupiscentia vinceret, neminem tristi-* S. Prosper de Vocat. Gent. c. 28.

tristitia elideret, neminem iracundia debellaret; nullius Charitas refrigesceret, nullius patientia frangeretur, & collatam sibi gratiam nemo negligeret.

Serm. 124. de tempore.

Dices: Augustinus variis locis docet S. Petrum, dum Christum negavit, fuisse gratiâ desertum: *Quid est homo sine gratia*, inquit, *nisi quod fuit Petrus cum negaret Christum?* Et, *non impulit ad negandum, sed desertum reliquit, ut suam intelligeret imbecillitatem.* Unde etiam addidit idem Doctor, *Petrum non potuisse confiteri Christum*: &, quod plus ausus erat, *quam ejus capacitas sustinebat.* Igitur gratiæ non restitit, utpote quâ caruit.

Tract. 72. in Ioan.

Resp. Petro quidem defuisse *potentissimam & efficacissimas vires præbentem*, seu *Victricem* defuisse gratiam, sed non omnem; nam si nullam habuisset, secum in illâ tentatione non pugnasset, & non invitus Dominum negasset. Non habuit quidem potentiam proximam & expeditam, quæ omnia ad actum inferendum desiderata complectitur; sed habuit potentiam remotam, quam nimis sui amore & timore mortis enervem reddidit. Solet autem Augustinus *per posse* intelligere plenum *posse*, quod non solum tribuit bonæ voluntatis affectum, sed etiam actionis effectum, signanter dum causam gratiæ defensat contra Pelagianos asserentes ad *velle* & *agere* sine Dei gratia habêri plenum posse.

SECTIO II.

Interiori gratiæ aliquandò resisti ostenditur ex conflictu concupiscentiæ cælestem delectationem superantis.

CElebre est S. Hipponensis Præsulis acroâma Iprensi, ejusque defensoribus haud ignotum: *Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est.* Exinde concludit Augustinus: *Manifestum est nos secundum id vivere quòd sectati fuerimus; sectabimur autem quod dilexerimus. Itaque si ex adverso consistant duo, Præceptum justitiæ, & consuetudo carnalis, & utrumque diligitur, id sectabimur quod amplius dilexerimus. Si tantumdem, utrumque diligimus, nihil horum sectabimur, sed aut timore inviti trahemur in alterutram partem, aut si utrumque æqualiter etiam timeamus, in periculo sine dubio remanebimus fluctibus dilectionis & timoris alternantibus quassati.* In epist. ad Galat.

Consonat idem Doctor cum ait: *Tanto enim quidque vehementius volumus, quanto certius, quantum bonum sit, novimus, eoque delectamur ardentius. Ut autem innotescat quod latebat, & suave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei est, quæ adjuvat voluntatem.* L. 2. de Pecc. merit. c. 11.

Dominus enim dat suavitatem beneficam. Et, bonum fit cum id, quod male libet, vincente bonâ dilectione non fit. Non desunt suggestiones malæ, sed ex eo quod mente jungeris Deo vincis quod in te non vult sequi te. Condelector enim legi Dei, non de me sed de gratiâ Dei. Tanto autem magis diligitur Deus summum atque incommutabile Bonum, & Author qualiumcumque bonorum omnium. L. de Contin. cap. 5. in ps. 35. Sem. 6. de Verb. Apost. L. 2. de Pec. merit. c. 17.

Sed num omnes, quos Cælestis irrorat benedictio

dictio dulcedinis, eò usque summi boni amore sic delectantur, ut non vincantur? Absit! Sunt enim qui dicunt: *Volumus, nec valemus implêre* inquit Aug. De quorum numero erat, cui dicebat: *Forte conaris ambulare & non potes, quia dolent pedes.* Ideò monet alibi: *Volo ut velis, sed non sufficit ut velis, adjuvandus es, ut plenè velis, & impleas quod velis.*

De Perfect. Iustitiæ c. 4.

Tract. 34. in Ioan.

Serm 3. de Verb. Apost. cap. 8.

Decertant in te duæ dilectiones. Modo interrogo te quid præponas? Quid te plus delectet, aurum, an veritas? Aurum, an verum testimonium? .... longum est per singulos corporis sensus excurrere.

Serm. 17. Verb Apost. cap. 4

Interroget & respondeat quid dictum sit, utrum sic delectetur justitiâ, ut eam cæteris ad hos sensus corporis pertinentibus delectationibus anteponat.

cap. 5.

Ille qui vult facere Dei mandatum, & non potest; jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam, poterit autem cum habuerit magnam & robustam.

De illis qui parvam Charitatem, id est, bonam voluntatem accepêrunt, pronuntiat Sanctissimus gratiæ Doctor *quod cogente cupiditate resistere non possint*; adeòque gratiæ illi fortiter & efficaciter resistatur; nisi bona voluntas augeatur. Non autem sic augescit in omnibus voluntas spiritûs, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem vincat; ergò ipsa vincitur, adeòque interiori gratiæ apertè resistitur.

L. 1. Retract. cap 15.

Neque regeras Jansenium hujusmodi resistentiam non diffitêri: Quia Jansenius omnem Christi gratiam Medicinalem *invictissimam* & *potentissimam* non modò ad excitandum voluntatis affectum, sed & actionis effectum prædicat, eamque, cui resistitur, ad Legem revocat Gratiamque Pelagianam. Neque agnoscit per qualemcumque luctam fieri, ut viduetur Christi gratia beneficio effectûs ad quem datur, & sufficien-

ciens dicatur : nam omninò insufficientem dicit, ad cujus subsidium auctior desideratur, & quæ operis difficultati non attemperatur.

SECTIO III.

Interiori Gratiæ aliquandò resisti ostenditur ex eo, quod S. Augustinus omnem bonam voluntatem, boni delectationem, Charitatem Gratiæ Christi accenseat, etsi effectu frustretur.

DE boni delectatione disertè pronuntiat Augustinus : *Tunc bonum concupiscì incipit, dum dulcescere incipit... ergo benedictio dulcedinis est gratia Dei, quâ fit ut merito nos delectet, ut cupiamus, hoc est amemus, quod præcipit nobis. In quâ si nos non prævenit Deus, non solum non perficitur, sed nec inchoatur ex nobis.* L. 2. ad Bonif. c. 9.

De Charitate à Spiritu gratiæ promanante exertè dicit : *Homo Pelagiane, Charitas vult bonum.* Et *Charitas ex Deo est, non per legis litteram, sed per Spiritum gratiæ.* Et alibi : *Unde est in hominibus Charitas Dei & proximi ? Nam si non ex Deo, sed ex hominibus, vicerunt Pelagiani ; si autem ex Deo, vicimus Pelagianos.* Præmiserat : *Gratia Dei semper est bona, & per hanc fit homo bonæ voluntatis, qui fuerat voluntatis malæ.* Posteà de efficaci quoad omnem effectum subjicit : *Per hanc etiam fit, ut ipsa bona voluntas quæ jam adesse cæperat, augeatur, & tam magna fiat, ut possit implêre mandata quæ voluerit, cum valde perfectèque voluerit. Sine illo vel operante ut velimus, vel cooperante cum volumus, ad bona pietatis opera nihil valemus. De operante illo, ut velimus,* L. 1. op post. cap. 139. De grat. Christi cap. 18. cap. 13.

dictum est : Deus EST ENIM QUI OPERATUR IN VOBIS VELLE. *De Cooperante illo cum jam volumus & volendo facimus, scimus*, inquit, *quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Ut autem confirmet omnem bonam voluntatem profluere ex Deo, & ad gratiam Christi pertinêre ; *quasi verò*, inquit, *aliud sit bona voluntas quam Charitas, quam scriptura nobis clamat esse ex Deo.* Et libro 2. ad Bonifac. cap. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi Charitas, de qua quoque Joannes Apostolus sine Ambiguitate loquitur dicens :* CHARITAS EX DEO EST.

cap. 18.

Jansenium ergò percunctor hoc dilemnate : vel omnis bona voluntas & inchoata seu parva etiam Charitas ex Deo est & Christi gratia est, (nam de hâc Augustinus agit) & vincit Pelagianos, sed propriô se mucrone confodit : quia talis charitas effectu operis sæpè viduatur, adeòque illi resistitur ; vel non est Christi gratia, & vicêre Pelagiani, qui & inchoatam & perfectam bonam voluntatem Christianæ Gratiæ invidêrunt. Quàpropter ad Gratiam tam bonæ voluntatis, quam actionis confitendam eos premit S. Augustinus: *Si consenserit* (Pelagius) *ipsam quoque bonam voluntatem & actionem, id est, ut benè velimus, & benè agamus, divinitus adjuvari, & sic adjuvari, ut sine illo adjutorio nihil benè velimus & agamus, eamque esse gratiam Christi, nihil de adjutorio gratiæ Dei inter nos controversiæ remanebit.*

De gratia Christi cap. 47.

Quod si quis ex me sciscitetur, cur Augustinus bonam voluntatem & actionem contra Pelagianos disputans frequenter conjuget ? Respondeo id non eô studiô factum, ut evincat omnem Christi gratiam & bonâ voluntate & actione potiri ; sed ut ostendat bifariam esse Christi gratiam, sine cujus ope ac virtute nec benè velle vel tenuiter possumus, nec operari. Utrumque enim

enim solis voluntatis viribus, seu liberi arbitrii lacertis obtinêre posse Pelagiana præsumptio jactabat. Nam de Pelagii dogmate attestatur S. Augustinus: *Scire debemus, quod nec voluntatem nostram, nec actionem divino adjuvari credit auxilio, sed solam possibilitatem voluntatis atque operis, quam solam in his tribus nos habêre affirmat ex Deo.* Ratio hujus erat: *Quia nisi natura esset, in quâ nos condidit, quâ velle & agere possumus, nec vellemus, nec ageremus.* cap. 5. cap. 6.

Et cum invidiam abnegatæ gratiæ à se amoliturus Pelagius diceret: *Adjuvat nos Deus per doctrinam & revelationem suam, dum cordis oculos aperit, dum nobis ne præsentibus occupemur futura demonstrat, dum diaboli pandit insidias, dum nos multiformi & ineffabili dono gratiæ cælestis illuminat;* cap. 7.

Respondet Augustinus: *Hinc itaque apparet hanc eum gratiam confitêri quâ demonstrat & revelat Deus quid agere debeamus, non quâ donat atque adjuvat, ut agamus: cum ad hoc potius valeat legis agnitio, si desit gratiæ opitulatio, ut fiat mandati prævaricatio.* cap. 8.

Et rursum Pelagio illud Apostoli: *Deus est enim qui operatur in vobis velle & perficere*, sic exponente: *Operatur in nobis velle quod Sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos & mutorum more animalium tantummodo præsentia diligentes futuræ gloriæ magnitudine & præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem; dum nobis, quod tu alibi negare non metuis, suadet omne quod bonum est;* Respondet Idem Doctor: *Quid manifestius, nihil aliud eum dicere gratiam quâ Deus in nobis operatur velle quod bonum est, quam legem atque doctrinam? In lege namque, & doctrina Sanctarum Scripturarum futuræ gloriæ* cap. 9.

atque præmiorum promittitur magnitudo: ad Doctrinam pertinet etiam quod sapientia revelatur: ad doctrinam pertinet cum suadetur omne quod bonum est. Sed nos eam gratiam volumus iste aliquando fateatur, quâ futuræ gloriæ magnitudo non solum promittitur, verum etiam creditur & speratur, nec solum revelatur sapientia, verum etiam & amatur; nec suadetur solum omne quod bonum est, verum & persuadetur.

En Augustinus Christi gratiam censet, quâ fit ut diligatur sapientia. Non omnis autem sapientiæ dilectio tam fortis est, ut illi non resistatur. Peccatur namque, teste Augustino: *Dum Charitas minor est quam esse debet.* Et numquid *inchoata Charitas, inchoata justitia est? Charitas provecta, provecta justitia est? Charitas magna magna justitia est?* Cui concinit discipulus his verbis: *Donum quippe ipsius Charitatis non semper ejusmodi est, ut quidquid ad plenitudinem ejus pertinet, simul à percipiente sumatur. Est enim amor qui potest alio amore superari, & sæpe dilectio Dei ex mundi dilectione marcessit.* Et de his qui aliquid de gratiæ dulcedine percepêrunt pronuntiat: *Inebriati tamen aureo Babylonis calice delectantur, suo prorsus decipiuntur arbitrio, suâ voluntate labuntur.*

L. de Perfect. Justitiæ c. 6.

De nat. & Grat. c. 70.

S. Prosper de Vocat. Gent. c. 11.

Denique cum non deserat Deus justum nisi deseratur; profluit hæc consecutio, quod inspiratæ bonæ voluntati, Charitati aliquandò resistatur.

SECTIO IV.

Cornelij Ianſenij pro non reſiſtentia Gratiæ deducta ex S. Auguſtino argumenta diluuntur ex ipſo.

ARGUMENTUM PRIMUM.

AUguſtinus vocat gratiam efficaciſſimam, ſignanter de Pauli converſione diſſerens, „ *ut autem vocaretur, & tam magna & efficaciſſima vocatione converteretur, gratia Dei erat ſola.* „ *Et in eundem ſenſum inferius* „ *ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* „ *Et aliquando, hanc gratiæ efficaciam cum pervicaci hominis voluntate collidit, & omni humanâ averſione ac pertinaciâ ſuperiorem facit.* „ *Averſus quippe à fide, quam vaſtabat* (Paulus) *eique vehementer adverſus repente eſt ad illam gratiâ potentiore converſus?* Janſ. lib. 2. de grat. Chriſti Salv. cap. 24.

Aug. l. de Grat. & lib. arb. c. 5.

De Prædeſt. cap. 2.

CONFUTATIO.

EXerit quidem frequenter potens & Miſericors Deus mirabiles ſuæ operationis effectus, & quibuſdam mentibus non exſpectatâ profectuum morâ totum ſimul quidquid collaturus eſt, invehit. Multo tamen crebrior, multoque numeroſior pars illa hominum eſt, cui particulatim, quidquid ſuperna largitas donat, accreſcit, inquit S. Proſper de voc. Gent. cap. 11. Quod ſimilitudine illuſtrat: *Sicut enim in ſeminibus herbarum atque lignorum quæ terra producit, non una ſpecies nec unum in omnibus genus eſt, ſed ſingula quæque in ſui ſeminis formâ & in ſtyrpis ſuæ qualitate gignuntur: Plenum autem decorem non ſtatim ut eduntur, accipiunt, ſed certis & ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam ſui habitus quantitatem, per ſucceden-*

S. Proſper.

cedentia sibi incrementa perveniant : ita & semina Charismatum plantæque virtutum non in omni agro cordis humani totum hoc pariter quod sunt futura nascuntur : nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inclinatione perfectio.

Quod vel ex ipsis locis, è quibus Jansenius impossibilitatem aliquorum præceptorum, licet perperam, elicit, eluceſcit, signanter in ps. 6. & 106. Ubi Augustinus delineat hominem divinâ gratia excitatum, cum morbis suis, ideſt, difficultatibus inolitorum vitiorum luctantem, &, *velut murum impossibilitatis* sibi oppositum autumantem. Nam qui tales sunt non modò obluctantur gratiæ pugnando, sed sæpè occumbendo priusquam plenâ sui victoriâ potiantur.

Et nonne Augustinus ipse Medicinalem Christi gratiam sentiebat, quandò dicebat: *Voluntas autem nova, quæ mihi ineſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem .. nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam? Istæ duæ voluntates meæ una vetus, alia nova, illa carnalis, illa spiritualis confligebant inter se, atque discordando dissipabant animam meam.*

L. 8. Conf. cap. 5.

Et numquid reſistebat in eo quod de se ipse referebat: *Cogitationes quibus meditabar in te, similes erant conatibus expergiſci volentium qui tamen superati soporis altitudine remerguntur?*

cap. 7. An Christi gratiam non hauserat quandò orabat: *Da mihi Castitatem & continentiam; sed noli modò; timebam enim ne me citò exaudires.*

cap. 9. Dei gratiâ donante volebat ire in placitum & pactum cum Deo: sed & erat, qui nolebat & reſistebet, quia non totus assurgebat, veritate sublevatus, consuetudine prægravatus.

ARGUMENTUM II.

HAnc efficacissimam potentissimamque, hanc ineffabilem & omnipotentissimam potestatem in eo exeri super voluntatem docet, quod ita à Dei Spiritu per gratiam RAPIATUR ET AGATUR, ut ipsamet voluntas vix agere intelligatur. Quod nisi Augustinus ipsemet exertè declarasset, numquam ausus fuissem voce aut calamo proferre. Procul dubio, inquit Augustinus, plus est agi quam regi. Qui enim regitur aliquid agit & à Deo regitur, ut aliquid agat, qui autem agitur agere aliquid VIX intelligitur; Et tamen tantum præstat gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere: quotquot spiritu aguntur hi sunt filii Dei. Nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se AGENDAM commendet, qui malè agere non potest. Quæ causa videtur, cur isto verbo Apostolico, quo voluntas vel nos agi à Spiritu Dei dicimur perlibenter & frequenter utatur Augustinus. Profecto ut agant quod bonum est, ab illo aguntur qui bonus est. Et ad Bonifacium: „ quis ambulat secundum Spiritum, nisi quisquis agitur Dei Spiritu?

Aug. de Gest. Pelag. c. 3.

De Gratia Christi c. 25.

CONFUTATIO.

NEc Apostolus, nec Augustinus dicit homines per gratiam *rapi* sed *agi*. Et quamquam per illam vocem *agi* voluntas vix agere intelligatur; aliundè tamen probat Augustinus quod verè ac liberè agat voluntas à Spiritu Dei *Acta*. Aguntur, inquit, *ut agant, non ut ipsi nihil agant*. „ Certum est nos velle cum volumus, sed ille facit ut velimus. Certum est nos facere cum facimus, sed ille facit ut faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. Quid est ergò agere, nisi per vires efficacissimas adjuvare? Cum dicit faciam *ut faciatis, quid aliud dicit, nisi auferam cor lapideum unde non faciebatis, & dabo vobis cor carneum, unde faciatis?* Imò

S. Aug. de Correp. & Grat. c. 2. De Grat. & L. arb. c. 16.

De gratia Christi c. 26.

Imò in ipso loco primitùs objecto Augustinus exprimit voluntatem sic agi, ut agat verbis his: *Et hoc cum fecerit, ab illo se, ut faceret, adjutam non dubitet.* Exponit enim illud Apostoli: *Deus operatur velle & operari*: non quia nos non volumus, *aut nos non agimus*: *sed quia sine ipsius adjutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Et quia adjutorium illud in Lege atque Doctrina Pelagius ponit, quâ homo regitur, ut benè agat, reponit Augustinus plus est *agi* quam *regi*; Apostolus autem ait: *quotquot Spiritu Dei aguntur*, &c.

Quod autem hujusmodi raptum non agnoscat Augustinus, quô fiat ut voluntas vix agere intelligatur, claret ex objectione velut nomine Pelagianorum INTORTA, quam solvit aliô locô: *Dicit mihi aliquis, ergo* AGIMUR, *non* AGIMUS. Respondeo inquit, *imo agis, & ageris. Et tunc bene agis si à bono agaris. Spiritus enim Dei qui te agit,* AGENTIBUS ADJUTOR EST. *Ipsum nomen* ADJUTORIS *præscribit tibi, quia & tu ipse aliquid agis. Agnosce quid poscas, agnosce quid confitearis quando dicis;* ADJUTOR MEUS ESTO, *ne derelinquas me. . . Nemo adjuvatur, si ab illo nihil agatur.* Quotquot *enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei*, non littera *sed Spiritu., non lege præcipiente, minante, promittente, sed spiritu exhortante, illuminante, adjuvante. Scimus*, inquit Apostolus, *quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Si non esses Operator, non esset Cooperator.*

Serm. 13. de Verb Apost cap. 11.

Et capite sequenti confirmat solutionem argumenti, quo contendebatur voluntatem actam à Spiritu Dei, non agere: *Prorsus hoc credite, sic vos agere bona voluntate. Quia vivitis utique, agitis; non enim* ADJUTOR *est ille, si nihil agatis. Non enim cooperatur, si nihil operamini. Sic tamen vos scitote agere bona, ut sit Rector Spiritus &* ADJUTOR, *qui si defuerit, nihil omninò boni agere valeatis.*

cap. 12.

Jam

Jam nunc cum auditis: *Quotquot ſpiritu Dei aguntur hi ſunt filij Dei*, nolite vos dimittere. Neque enim templum ſuum ſic de vobis *ædificat Deus quaſi de lapidibus* (en ſimile quid raptui) *qui non habent motum ſuum; levantur, ab exſtructore ponuntur. Non ſic ſunt lapides vivi. Sed vos tamquam lapides vivi coædificamini in templum Dei.* Ducimini, ſed currite vos. Ducimini, ſed ſequimini, quia cum ſecuti fueritis, verum erit illud, *quia ſine me nihil poteſtis facere.*

Cur ergò inquies, Auguſtinus librô de Geſtis Pelagii dicit quod voluntas *à ſpiritu Dei acta, vix agere intelligatur?*

Reſp. Quia reſpicit ad hanc vocem *aguntur* ſolam, quæ vix indicat aliquid actionis; eòquod Pelagius nullam gratiam activam admitteret, aſſereretque: *Omnes propriâ voluntate regi.* Hunc refutat Apoſtolicô Teſtimoniô: *Quotquot Spiritu Dei aguntur.* Plus eſt enim *agi, quam regi. Qui enim regitur aliquid agit, & ideo regitur, ut rectè agat. Qui autem agitur, aliquid ipſe vix agere intelligitur.* Exinde concludit: Quod ſi voluntas à Spiritu Dei agenda ſit, multò magis regenda. Sed hâc locutione ne calumniæ cauſam daret: *Quomodo agunt ſi aguntur?* Oſtendit in ſequentibus quod qui aguntur verè agunt, Quod alibi repetit: *Agis ſi ageris, & bene agis, ſi à bono agaris. Si autem Spiritu Dei aguntur, pugnant, quia Magnum habent Adjutorem.* Et rurſum: *Quicumque aguntur Spiritu Dei, ipſi facta carnis mortificant Spiritu.*

De Geſtis Pelagij c. 3.

Serm. 43. de Verbis Dom.

L. 6. cont. Iul. c. 24.

Et ad Bonifacium: *Qui ambulat ſecundum ſpiritum, niſi quiſquis agitur Dei Spiritu?*

L. 3. ad Bon. cap. 2.

AR-

ARGUMENTUM III.

Sanctus Augustinus non rarò Christi gratiam Victricem appellat, & quæ omnes oppositos obices voluntatum & affectuum invictâ potestate perrumpit, Charitatemque infundit, cujus delectatione vincitur delectatio peccati.

CONFUTATIO.

Aliqua Victrix est Augustino, & aliquâ fortiore delectatione terrenâ vincitur. Alioquin justorum nemo gratiæ munimine fultus à Concupiscentia suâ abstractus & illectus succumberet, nemo Deum desereret & deseri mereretur. Cum de perseverantia agit Augustinus, docet per eam bonum *invictissimè* quidem teneri; at non omnis Christi gratia hoc nomine gloriatur. Datur illa finaliter, sed solis prædestinatis in regnum Dei. *Et sic Deo volenti Salvum facere nullum hominis resistit arbitrium.*

ARGUMENTUM IV.

Gratiam Dei Augustinus ita victricem statuit suprà voluntatis arbitrium ut non rarò dicat hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere. Hoc probat Jansenius ex libro de Corrept. & grat. c. 14. Ubi Augustinus dicit voluntati Dei humanas voluntates resistere non posse, quo minus faciat ipse quod vult. Jans. lib. 2. de gratia Christi Salv. cap. 24.

CONFUTATIO.

Vel hoc Jansenii dictum gratiæ applicatur, quasi homo resistere illi non possit, & tum evicta est ista damnata: *Gratiæ interiori numquam resistitur*, aut ista: *Sufficit libertas à coactione ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ*; aut Deo per gratiam operanti, & tunc impertinens est ad Commendandam victricem

gra-

gratiam quasi omnipotentissimam. Nam de voluntate Dei ad inclinandas hominum voluntates loquitur Augustinus etiam, ubi gratia non est victrix, sed potius gratia deesse videtur, scilicet in operibus malis. Cui enim nisi hospiti in Augustino, non est exploratum quantam inclinandorum malorum cordium Deo tribuat potestatem? *Quis non ista judicia*, inquit Augustinus, *divina contremiscat, quibus agit Deus in cordibus etiam malorum hominum quicquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum*? Et recensitis exemplis, concludit: *His & talibus Testimoniis divinorum eloquiorum, quæ omnia commemorare nimis longum est, satis, quantum existimo, manifestatur, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, sive ad bona pro suâ misericordiâ sive ad mala pro meritis eorum, judicio utique suo aliquando aperto, aliquando occulto, semper autem justo.* *S. Aug. de grat. & lib. arb. cap. 21.*

Posse autem gratiæ interiori, sed parvæ resisti in sensu composito, liquet ex præcedentibus. Posse resisti saltem in sensu diviso, Augustinus neutiquam inficiatur, utpote qui impeccabilitatem ad statum Patriæ transfert. Unde & S. Prosper de Deo loquens ait: *Qui ad obediendum sibi ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabilitatem, qua potest nolle non auferat.* *S. Prosper de Voc. Gen. cap. 28.*

ARGUMENTUM V.

Augustinus ex gratia mox effectum operis consecutum inferre solet: sic enim loquitur de pugna contra tentationes... Jans. l. 2. de grat. Chr. c. 25. *Agis, si ageris, & bene agis, si bene agaris.* Et lib. 6. cont. Jul. c. 14. *Quicumque aguntur Dei spiritu, ipsi facta carnis mortificant.*

CON-

CONFUTATIO.

SAnctus Auguſtinus agit tum de gratia uſque-quaque efficaci & forti, quæ operatur juxta Apoſtolum *velle & perficere*. Conſtat enim exemplô ipſius converſionis, & aliorum, qui licet continentiæ deſideria habeant, reipsâ tamen facta carnis nondum mortificant; quin potius à carne ſuperantur, cò quod magis lubeat verus inolitum, quam novum inſolitum.

ARGUMENTUM VI.

Sicut Auguſtinus hoc ipſo, quo data eſt gratia, colligit effectum; ſic è contrario negative ſubinde Ratiocinando docet, hoc ipſo, quo effectu homo deſtituitur, nullam ei gratiam collatam eſſe, ſed ſolo Pelagianæ gratiæ adjutorio, hoc eſt, lege doctrinâque ad operationis præceptæ Juſtitiam niti. Quod probat Janſenius ex libro de gratia Chriſti cap. 14. ubi Auguſtinus in hunc modum diſſerit: *Qui novit quid eſt quod fieri debeat & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem, non ſecundum Spiritum, ſed ſecundum litteram.* Item: *De iſto docendi modo* (per gratiam) *etiam Dominus* ait: *Omnis qui audivit a Patre & didicit, venit ad me. Qui ergo non venerit, non de illo rectè dicitur, audivit quidem & didicit ſibi eſſe veniendum, ſed non vult quod didicit. Prorſus non rectè dicitur de iſto docendi munere, quo per gratiam docet Deus.* Similiter in eodem libro loquitur: *Quando Deus docet non per legis litteram, ſed per Spiritûs gratiam, ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.* Vide & lib. de Prædeſt. SS. c. 8.

l. de Grat. Chr. c. 14.

cap 13.

CON-

CONFUTATIO.

AUguſtinus refutat Pelagianam gratiam ſeu doctrinam quâ ſimpliciter cognoſcitur, quid agendum ſit, ſed non diligitur, quam doctrinam docebat Pelagius ſufficere ad Chriſtum ſequendum. Contrà docet Auguſtinus requiri doctrinam, quâ non modò cognoſcitur, ſed *volendo* appetitur & agendo perficitur, dum nempe didicerit perfectè, ut reipsâ illum ſequatur. Sic itaque docet non manare à Legis Littera quod quis Chriſtum ſequi velit, & ſequatur, ſed ab interioris Scholæ Doctrina quâ voluntas ipſa trahatur. Et ſi non veniat, nec venire velit, in ſolo Pelagianæ gratiæ adjutorio permaneat. Dico itaque juxta S. Auguſtinum etiam illum, qui vult Chriſtum ſequi, & nondum ſequitur, non eſſe Medicinalis gratiæ exortem: nam ipſa converſionis primordia Chriſtianæ gratiæ accenſenda ſunt: nec tantùm ſub eâ ratione quâ effectum bonæ voluntatis ſortiuntur, ſed etiam quatenus poteſtatem tribuunt ad effectus quos non conſequuntur propter objectos obices. Nam qui inchoatam bonam voluntatem v. g. continendi accepit, majori poteſtate donatus eſt ad continendum, quàm ſi ſolâ legis litterâ inſtructus eſt, quia *virtus peccati lex*. Quàpropter Auguſtinus neutiquam gratiam quæ effectum operis largitur opponit gratiæ inefficaci ad illum & efficaci quoad bonam voluntatem (cùm non ſit controverſia iſta cum Pelagio) ſed gratiæ Pelagianæ, ideſt legis atque doctrinæ adjutorio: quæ cum non faciat niſi cognoſcendo ſpectare quid agendum ſit, nemo per eam didicit, quia nec perfectè nec imperfectè ad Chriſtum venire poteſt: ideſt, nec volendo appetere, nec agendo perficere. Proinde per-

perperàm ex Augustino concludit Jansenius : *Quidquid sufficientis gratiæ . . præter istam agendi gratiam excogitatum est, hoc totum Augustino ad legem pertinet.*

Jans. l. 10. de Grat. Christ. cap. 7.

Neque pertimescendum, ut ipse retur, ne discrimen gratiæ naturæ stantis & lapsæ subruatur, si aliqua sufficiens sed simul efficax admittatur: nam gratia Thomisticè-sufficiens infallibiliter, & efficaciter velle operatur, quod Adamæa non præstitit. Et si effectum ulteriorem, ad quem dat posse, consequeretur, quod fieret si obices abscederent, id magis gratiæ quam libero arbitrio tribuendum foret.

Præterea homini stanti & ad posse & ad agere sufficiebat illa gratia, sine qua non, sive nulla alia ad ipsam perseverantiam erat necessaria; Præter hanc autem sufficientem ad perseverandum singulare perseverantiæ donum efflagitatur.



LIBER QUARTUS

De Tertiâ Janseniana Africani Solis fulgore perstrictâ: *Ad merendum & Demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur libertas à necessitate, sed sufficit à Coactione.*

CAPUT PRIMUM.

In quo ostenditur propositio tertia non ficta, sed ritè excerpta quoad sensum obvium ex imis Jansenii voluminis visceribus.

SECTIO PRIMA.

An Jansenius admiserit in naturæ lapsæ Viatoribus omnibus libertatem contradictionis immunem à necessitate voluntariâ immutabili?

Cornelii Jansenii vindices, Pontificias adversum hanc tertiam propositionem Constitutiones se evertisse autumant, si ostenderint Jansenium admisisse in Viatoribus omnibus naturæ lapsæ libertatem contradictionis reperîri, dum merentur ac demerentur. Sed tam irritô

conatu, quam cassô effectu id evincere ex eo nituntur. Aliud namque est hujusmodi libertatem in merentibus reperiri, aliud eam non requiri. Nam Pelagiani non eô titulô fuissent erroris exsortes, si gratiam ad benè vivendum admisissent dari, sed negassent eam ad benè vivendum requiri.

Itàque inficiandum non est Jansenium statui naturæ lapsæ aliquam libertatem contradictionis concedere: *Hominum igitur viatorum*, inquit ipse, *non solum coactionis expertem esse sed etiam necessitatis immutabilis voluntariæ, hoc est, eam ad utrumque indifferentem esse cum Augustino, & Patribus, & Catholicâ fide fatemur perlibenter.* Et alibi: *Quæres fortassis, utrum igitur nulla indifferentia sive contrarietatis sive contradictionis sit in libero voluntatis arbitrio post peccatum, quamdiu in mortalitate vivimus? Si enim non adest indifferentia contrarietatis, quomodo possumus hic semper bene & male vivere? Si non adest indifferentia contradictionis, quomodo ergo dicitur:* QUI POTUIT TRANSGREDI ET NON EST TRANSGRESSUS, FACERE MALA ET NON FECIT?

Jans. l. 6. de Grat. Chr. Salv. c. 34. pag. 715.

L. 8. c. 20 pag. 869.

Respondetur, inquit, *quamdiu hic vivimus sive in infidelitate ante gratiam, sive sub gratia, indifferentiam ad contraria, hoc est ad volendum faciendumque bonum & malum semper in esse libero arbitrio.* Et infrà: *dicimus igitur liberum arbitrium quantumcumque vehementi atque efficace gratiæ delectatione præventum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen posse bonum non tantum non facere, sed etiam malum.*

pag. 870.

Verum est istud non quidem in sensu composito, ut vulgò dici solet, sed in sensu diviso. Et hoc confirmat ex Concilio Tridentino. Et libro 3. cap. 15. Hominibus Viatoribus boni possibilitatem tribuit, quam diabolo denegat. Nam primò remotissimè dicit: *Hominem posse bonum velle & agere*

agere propter liberi arbitrij flexibilem facultatem ad bonum & malum. Hæc potestas, inquit, *in naturâ nuda liberi arbitrij quamdiu ad malum faciendum per supplicium æternæ damnationis nondum obduruit. Sic ergò soli Dæmones ac damnati dicuntur non amplius posse credere, sperare diligere, benè facere, juxta illud Augustini.* „ *Neque ipse diabolus habet liberum arbitrium ad benè faciendum, sed ad maximam malevolentiam pœnâ sui sceleris obduratum.* pag. 336. S. Augusti. Epist. 107.

SECTIO II.

Iansenium non requisivisse ad meritum, demeritumque libertatem contradictionis in statu naturæ lapsæ, ostenditur ex l. 4. de statu nat. lapsæ c. 24. & 25.

INprimis de lapsis dæmonibus, quibus libertas contradictionis non suppetit, asserit: *Eos lex æterna non blasphemandum, non superbiendum, non invidendum &c. infatigabiliter jubet, & eos contra legem istam peccare nemo sanæ mentis diffitêri debet.* pag. 658. Quod autem non demereantur superbiendo (quod omittere non possunt) non in defectum libertatis ad demeritum requisitæ, sed in statum refundit hisce verbis: *Quamvis novarum pœnarum demeritum, ratio & stabilitas illius status impediat.*

Deindè ad Angelos beatos descendit, quibus asserit juxta Scholasticorum placita contradictionis indifferentiam tribui, sed Augustino minùs caram idoneamque esse ad Pelagianorum tela retundenda: quià *numquam ad inveniendam, demonstrandamque arbitrii libertatem in peccantibus in has angustias sese conjêcit, vel à Pelagianis* pag

peccandi necessitatem oppugnantibus coarctatus fuit. Nemo autem, nisi Hospes in Augustini pomariis, nescius est Pelagianos libertatem ad meritum demeritumque necessariam postulasse, cui fatalem aiebant necessitatem immutabilem, quæ *propriè necessitas* dicitur; adeòque ex mente Jansenii coarctatus non fuerit Augustinus, modò essentiam libertatis ostenderent in libentiâ voluntariâ sartam-tectam poneret.

Et hoc ipsum Jansenius sat indicat exertè dicens: *Nam sive talis libertas* (contradictionis aut contrarietatis) *adsit, sive non adsit,* EAM *Augustinus* NIHIL OMNINÒ CURAT... *Sed ei abundè satis est quod peccator.. Sciens & prudens plenâ voluntate feratur in malum, sive ab istâ diligendi mali necessitate se expedire possit sive non possit.* *Ibid.*

Itàque, auctore Jansenio, Augustinus non curavit necessitatem ullam, modò voluntaria sit, licet immutabilem, qualis est Dæmonum, ut peccati demeritum, staret in viatoribus; qui proindè idem sensit, quod Augustinum sensisse, licet perperàm, existimavit. Omnium namque Doctorum & Scholasticorum placita de hâc materiâ Augustino suo adversa vel post-habuit continenter, vel ut inania despuit.

Secundò Capite 25. *ad peccati damnabilis & benè facti laudabilis* rationem non requirit *necessitatis evitabilitatem*, sed ait necessitatem eam, ex hypothesi liberæ determinationis præviæ, abundè sufficere. Id declarat exemplô operum Dei ad extrà, quæ profluunt ex voluntate ejus liberâ in æternitate, sed immutabili nunc in tempore. Nam quæ Deus antè Mundi Constitutionem decrevit, in tempore mutare non potest. Exindè concludit hominem sufficienti pollêre libertate ad peccati damnabilis reatum contrahendum, saltem in viâ, licet peccatum nul-

lâ

lô modô vitare posset, sicut nec diabolus potest omissionem Amoris Dei, superbiæ, &c. eòquod sufficiat causam præbuisse liberam ineluctabilis necessitatis. *Peccati damnabilis ratio*, inquit, *sicut & laudabilis benefacti ab arbitrij libertate dependet. Jam autem secundum Recentiorum etiam Theologorum sententiam, certum est actum aliquem bonum posse esse liberum, libertate de quâ ipsi loquuntur, quamvis ex aliquâ suppositione jam fiat necessariò, & voluntas quæ eum producit ab eo producendo abstinêre non possit.* pag. 665. Ut autem ostendat se necessitatem etiam immutabilem complecti velle in causâ meriti vel demeriti, ab immutabili Dei decreto consecutionem deducit: *Sic enim videmus actum divinæ voluntatis ex hypothesi, quod ad eum se liberè determinaverit, non amplius posse retractari: ex quo fit, ut quidquid ad extra facere reipsa jam ab æterno decreverit, & elegerit, necessarium sit, ut fiat. Sufficit enim ad ejus libertatem, ut se liberrime se ad eum Deus ab æterno determinaverit, cujus liberrimæ determinationis semper adhuc actus liber est & semper erit. Hanc electionis liberæ constantiam si creatura imitetur, ut pari modò immobiliter in amore creatoris vel creaturæ ad quem sese summâ libertate, non solum quantum ad speciem actus sed etiam ad exercitium persevêret, nihil est cui actus ille non semper possit dici eâdem libertate liber, quâ ab initio liberæ determinationis liber fuit.* Ad elucidationem addit verba S. Augustini dicentis de beatis: *Deum perpetuâ justitiæ tenendæ voluntate promerentur.* L. 3. de lib. arb. c. 5.

Hinc liquidò fluit, quod sola status ratio Jansenio visa sit meriti ac demeriti conditionem subruere, non necessitas voluntaria quantâlibet immutabilitate & inevitabilitate constricta. Ac proindè si viatores necessitarentur ad bonum

v.g. ad diligendum Deum ſicut beati; vel ad non diligendum, ſicut damnati; nihil merito demeritoque deficeret, eò quod deeſſet coactio, & voluntas non abeſſet.

SECTIO III.

Quod ſola coactio Ianſenio viſa ſit officere libertati ad meritum demeritumque requiſitæ probatur ex Argumentis S. Auguſtini, quibus utitur.

TOtus eſt Janſenius in eô, ut probet libertatem meritoriam Argumentis, quibus Auguſtinus impetit Pelagianos. Pelagianos enim inter & Auguſtinum nulla fuit concertatio de libertate à meritô vel demeritô abſtrahente vel impertinente, ſed reverà pertinente & requiſitâ. Pelagiani per gratiam neceſſitantem, ut rebantur eſſe, merita convelli, & per gratiæ neceſſitatem, ſi quandò abeſſet, demerita aſſerebant everti. Hinc ea Juliani objectio: *Si liberum ante ad bonum non fuit, & factum eſt poſt baptiſma liberum, ut malum facere non poſſit; numquam quidem ei affuit libertas: & probatur ſine* REATU *ante peccaſſe, & poſtea ſine cura ſanctitatis gloriam poſſidere.*

L. 1 op imp. cap. 102.

Similiter Pelagius neceſſitatem velut everſivam reatûs ſive demeriti objicit Auguſtino lib. de nat. & grat. c. 30. *Quomodò Deo pro illius peccati reatu ſubditus eſſe poterit, quod ſuum non eſſe cognoverit? ſuam enim non eſt, ſi neceſſarium eſt. Et ſi voluntarium eſt, vitari poteſt.*

Et quàm frequenter Julianus, ut per neceſſitatem peccati naturam evertat, Auguſtino propriam definitionem intorquet: *Et undè liberum*

eſt

est abstinêre ? Si non imputat Justitia nisi undè liberum est abstinêre & antè baptismum necessitas mali (quoniam voluntas sicut dixisti ad faciendum bonum non est libera, perque hoc agere non potest nisi malum) ab infamiâ mali ipsa quam patitur necessitate defenditur.

Jansenius verò existimat Augustinum pro asserenda libertate, utique ad *meritum & demeritum, necessaria*, nihil reposuisse nisi libertatem essentialem, id est à coactione liberam & in malis, & in bonis; sicut Deus & beati non desinunt esse liberi in bono, licet ab ejus amore cessare non possint. Comparat enim Augustinus, inquit Jansenius, *illam voluntatem, quâ Deus se negare non potest cum voluntate obdurata peccatorum, qui non possunt credere, quià firmiter nolunt.,, sicut ergo quod Dominus seipsum negare non potest, laus est voluntatis divinæ, ità quod illi non poterant credere culpa est voluntatis humanæ.* Nempè utraque voluntas est, inquit Jansenius, etsi per seipsam neutra possit ullâ ratione mutari. Adeòque etsi tam immutabilis esset viatorum voluntas in mala, quam est damnatorum, vel beatorum ad bonum, culpa esset, vel laus digna meriti gloriâ. *L. 6. de Gr. Christ. c. 17. pag. 638. 8. August. Tract 53. in Ioan.*

Confirmatur hoc ex lib. 7. *de grat. Christi Salv.* ubi Jansenius refert Juliani sententiam: *Libertas arbitrij in admittendi & abstinendi à peccato possibilitate consistit.* Quod ex Pelagio præceptore hausit qui in fidei suæ libello dixit: *Nos verò dicimus hominem semper & peccare & non peccare posse, ut semper nos liberi confitemur esse arbitrij.* ,, *Sententiam istam velut fortissimam, & erroris Pelagiani nidum sæpè & acerrimè refutavit Augustinus*, inquit Jansenius, *& asseveranter docet ad liberi arbitrii libertatem* (de quâ erat quæstio scilicet ad peccandum) *non esse necessa-* *pag. 780. pag. 781. pag. 782.*

niam illam ad utrumque contrariorum bonum scilicet atque malum indifferentiam. Censet ergò Jansenius pelagiani erroris nidum esse ab Augustinô eversum, ut liberi simus arbitrii nempè ad meritum demeritumque requisiti, *hominem peccare & non peccare posse*; item: *in admittendi & abstinendi à peccatô possibilitate consistere libertatem* arbitrii. Ac per consequens Jansenius admittendi, & abstinendi à peccato possibilitatem in statu naturæ lapsæ ad peccandum necessariam esse negavit.

Consimiliter libro 8 cap. 5 docet Augustinum adversus criminatores eversæ per necessitatem libertatis, utique ad meritum demeritumque requisitæ, numquam ad libertatem contradictionis convolasse, sed ad essentialem in eô sitam, *quod voluntas velit, & non cogatur.* Et cap. 6. *Istam quam diximus unicam gratiæ cum liberâ voluntate conciliationem ab ipso agnitam probatam traditam esse... semper enim hoc unum intuetur, ne solus aut gratia totum opus sine nostrô consensu ac voluntate nobisque invitis quasi cogendo effecisse videatur. Nam ad prædictas Pelagianorum querimonias allatamque à se concordiam respicit quando dicit „ Neque enim voluntatis arbitrium ideò tollitur, quià juvatur, sed ideò juvatur, quià non tollitur „ hoc est, quià & ipsa voluntas vult & agit* inquit Jansenius, & cap. 8. *in hoc unicô concordiam gratiæ & liberæ voluntatis ab ipsô statui, quod arbitrium non instar trunci vacet, aut cogatur invitum... „ quandò enim volens facit tunc est opus bonum.* Et cap. 9. ad objectiones Pelagianorum de necessitante ad malum concupiscentiâ Augustinum non aliud respondisse quàm *quod in malam voluntatem libens vergit.. quod ipsimet homines voluntate committant.* Objicit sibi Jansenius: sed quomodò voluntas nostra libera est

pag. 828.

pag. 832.

Aug. ep. 89. ad Hil.

Aug. l. de Grat. & lib. arb. c 12.

pag. 843.

Ibid.

ad

ad peccandum & non peccandum si solùm eatenùs libero peccatur arbitriô, quià homo peccatô delectatur, atque ideò suâ voluntate delinquit? Respondebit *Augustinus, se nihil omninò de tali indifferentiæ libertate esse sollicitum, sed eatenùs liberam esse, ut ibidem dicit, quià est libera à justitiâ, hoc est quià arbitrium non impeditur à justitiâ, quin ipsummet voluptate peccandi delectatum propriâ suâ voluntate peccat.* Ergò Augustinus non fuit sollicitus pro libertate indifferentiæ in ordine ad peccatum seu demeritum, utpote solâ essentiali libertate contentus, id est voluntate, ut prætendit Jansenius. Ergò & ipse idem sentit. *Ibid.*

SECTIO IV.

Quod libertas contradictionis impertinens visa sit Iansenio ad meritum & demeritum ex variis aliis Testimoniis comprobatur.

CUm Jansenius de eâ libertate differat, de quâ Augustinus, & hic contrà Pelagianos depugnet causantes meritum demeritumque eversum iri deficiente libertate contradictionis; si Augustinus hanc contradictionis libertatem minimè curaverit, ut vult Jansenius, optimâ consecutionis lege fluit, nec Jansenium eam curasse. Itàque quid de illâ Augustinum sensisse autumet, iterum videamus. *Quæ concludendi ratio*, inquit, *in Augustini scriptis ita perspicua est totiesque frequentata, ac tantum silentium istius indifferentiæ contradictionis tamquam libertati necessariæ, de qua nunc vehemens disceptatio est, ut ad salvandam arbitrij libertatem sub gratia numquam eam vel semel adhibuerit in universis suis* *Ianſ. l. 8. de Grat. Christ. cap 9. pag. 845.*

adversus Pelagianos lucubrationibus : ut merito suspicari aliquis possit istam libertatis rationem, de quâ tantopore contenditur, esse meræ Philosophiæ fœtum, & à nullis antiquis gratiæ defensoribus, Augustino, Prospero Fulgentio sub nomine libertatis arbitrij propugnatam, requisitam, agnitam fuisse. Quantum hallucinetur Jansenius in Argumentorum dilutione planum fiet.

L. 4. *de statu naturæ lapsæ cap.* 24. *pag.* 662.

Item: *Nihil omninò curat, sed ei abundè satis est, quod peccator sciens & prudens plenâ voluntate feratur in malum.*

L. 6. *de Grat. Chr. c.* 38. *pag.* 731.

Vehementius contradictionis libertatem despuit ipse Jansenius dum sic audet, & effert: *Nullam immutabilitatis, inevitabilitatis . . . sed solam coactionis necessitatem libertati repugnare.*

L. 3. *c.* 6. *pag.* 634.

Quod simili expressione rursum infarcit, quod *sola necessitas illa violenta sub qua arbitrium premitur atque* COGITUR, *seu necessitas* COACTIONIS *libertati arbitrij adversetur.* In id collineat totô hoc capite. Ex quibus elicitur juxtà Jansenium hôc esse Augustino *liberum*, quod *voluntarium.* Nullis igitur meritis bonis repugnaret, si daretur viatoribus inevitabilis necessitas boni, qualis beatis convenit. Nulla necessitas immutabilis mali, qualis dæmonibus adjacet, demeritum everteret malum. Et hoc damnata propositio Jansenianâ asseverat.

L. 6 *c.* 28. *pag.* 709.

Sed ne solus ità sentire videatur Jansenius Scholasticos adscisit sibi concinentes. 1. *Richardum de media villa dicentem: necessitatem quæ est ex perfectione bonitatis non tollere rationem* MERITI, *dummodo* ABSIT COACTIO.

cap 29. *pag. eâdem.*

2. Thomam de Argentina qui Agens de libertate Christi ità quoque fatur: *Quamvis necessitas coactionis tollat rationem meriti, necessitas tamen immutabilitatis proveniens ex perfectione virtutis non tollit rationem meriti, sed auget.*

SEC-

SECTIO V.

Vindiciæ Ianſenium ab errore tertiæ Propoſitionis excuſantes diſſlantur.

EÒ vindiciæ collineant iſtæ, ut probent Janſenium non attigiſſe rationem meriti aut demeriti; ſed ſolum-modò Libertatis eſſentiam, cui officit ſola violentia ſeu coactio, non neceſſitas immutabilis modò ſit voluntaria, prout in beatis & damnatis videre eſt, quorum libertati Janſenius componit viatorum libertatem, dum agit contrà Scholaſticos libertatem contradictionis requirentes, non tam ad eſſentiam libertatis, quàm ad libertatem meritoriam & demeritoriam in ſtatu naturæ lapſæ. Itàque ſit pro Janſeniô

ARGUMENTUM I.

Refutatoris Epiſt. Leod. Defenſoris & Authoritatis Eccleſiæ, *ad Prop. 3.*

NUſquam in Janſenio extat tertia propoſitio.

RESPONSIO.

QUoad ſenſum obvium non modò extat, ſed & emicat, & ſui ſplendore vel cæcutientes perſtringit. Agit namque Janſenius, ut claret ex ante-dictis, de libertate, de quâ Auguſtinus cum Pelagianis, qui à meritô demeritôque non abſtraxêrunt, ſed utrumque urſêrunt. Agit Janſenius de libertate, de quâ Scholaſtici ſui temporis: hi verò ad merita & peccata oculos intendêrunt. Alioquin ſterilis admodum erat illa quæſtio, & Janſenii ingeniô ac labore indigna, num ad libertatem eſſentialem, ſed ad meritum demeritumque hujus vitæ prorſus adiaphoram & impertinentem, requireretur indifferentia ſive Moliniana, ſive Thomiſtica in

in sensu diviso, quam vocant contradictionis. Utut sit, sat exertè Jansenius eam non curandam, nec ab Augustino curatam enuntiavit, dum nusquam in Augustini scriptis adversus Pelagianos illius memoriam recolit; imò meræ Philosophiæ fœtum baptizavit. Quis enim ambigat de libertate meritoriâ & demeritoriâ Augustino cum Pelagianos conflictum fuisse? Num ergò Jansenius ipse Magistrum suum ultrò dimiserit, ut libertatem contradictionis in pretio haberet, quam Augustinum asserit contrà criminatores eversæ libertatis, idest, Pelagianos, nec requisivisse nec agnovisse? Quod Jansenius de adversariis suis olim pronuntiavit, id Jansenii defensoribus regero: *Vel Cæcus est qui non videat, vel nimium contentiosus qui dissentiat*, propositionem tertiam apud Jansenium extare. Extat namque non muta, sed disertè se prodit per varia illius monumenta & argumenta. Inanis est ergò purgatio, quâ dicitur Jansenius ad libertatem essentialem, quæ cum deliberatâ voluntate coincidit, non requisivisse libertatem à necessitate, sed non negasse libertati accidentali, cum ipse Jansenius accidentalem quam dari admittit, neget requiri, imò ad meritum censeat impertinentem, non curandam.

ARGUMENTUM II.

pag. 122. *OMninò docet Jansenius libertatem expertem necessitatis immutabilis voluntariæ esse in hoc statu, item operari eam, ad utrumque indifferentem esse, ut actus verè sit liber, eâ libertate quam in hominibus viatoribus requirit, hoc est, accidentariâ.*

RESPONSIO.

LOngô intervallô dissident, libertatem expertem necessitatis in hoc statu esse, indifferentem dari, & accidentalem; &, ad merendum & demeren-

rendum eam non requiri, & velut impertinentem non esse considerandam. Jansenius autem istam accidentariam ab Augustino asserit numquam in subsidium meritoriæ libertatis fuisse adscitam, dum â Pelagianis arietaretur ipsa merendi & demerendi libertas; eò quod Augustinum cum Catholica Ecclesia dicerent necessitatem invehere. Imò accidentariam libertatem dicit esse *Philosophiæ foetum gratiæ defensoribus incognitum*. Si Jansenio libertas accidentaria necessaria censêtur ad meritum, cur eam dicit minimè curandam? cur ab Augustino contrà hostes necessitatis non agnitam? Num Jansenio arma patuêre, quæ Augustinum latuisse assevêrat? Nisi dicat frivolam de libertatis essentiâ, ad causam meriti impertinente, Augustinum inter & Pelagianos exarsisse controversiam, pro quâ dirimendâ Augustinus azylum assumpserit, voluntatem incoactam & violentiæ expertem.

ARGUMENTUM III.

Quod vero dicat: in eo sitam esse generaliter libertatem, iidem Patres pernegant, *nihil aliud significat, quam ad essentiam libertatis generaliter non spectare, ut illius necessitatis expers sit.*

RESPONSIO.

Hoc est dicere Jansenium tam vastô molimine operam lusisse defendendo libertatem essentialem accidentis non esse indigam; sed ut meritoria foret ac demeritoria accidentis adminiculô fulciendam. Quis amabo, Jansenio super eo bella ciêret, si ad meritum utrimque indifferentiam posceret contradictionis saltem Thomisticam; & contenderet essentiam libertatis prout à merito abstrahit, accidentariam minimè efflagitare? Philosophorum vel nemo acciden-

cidentia ad subjectorum essentiam vendicavit, nec vendicabit umquam. Nimium sterilis est ea quæstio, quæ sit essentia, & quod accidens libertatis, nisi meriti ratio habeatur, quam ut tam præclara fatiget ingenia. Indignum quoque Sanctis Patribus hanc litem adscribere usqueadeò inutilem, ut vel ipsi adversarij facilè manus concessissent in hujusmodi essentiam libertatis, modò obtinuissent accidentalem esse necessariam ad meritum demeritumque, nimirum contrarietatis atque contradictionis. Non tam essentiam libertatis, quam libertatem ad merendum necessariam ceu necessitate gratiæ eversam ultum ibant. Et tamen, si fides Jansenio, ad accidentalem libertatem Augustinus, Prosper, vel Fulgentius numquam refugêre; sed ad solam essentialem. Censet ergò Jansenius hanc visam Patribus his velut sufficientem merito vindicando, asserendoque.

ARGUMENTUM IIII.

Loquitur Iansenius de libertate generatim accepta, ut etiam comprehendat libertatem essentialem, quod cum Iansenio docent omnes Theologi.

RESPONSIO.

PLus dicit & audet Jansenius quam omnes Scholastici. Nam, quod hi non præstant, hic docet; nempè accidentalem uti libertati, ità merito esse accidentalem. Quod confirmare nititur exemplô beatorum, damnatorumque, imò meritô Christi Salvatoris, nec non argumentis Augustini, qui contrà impugnatores etiam meritorum acerrimè decertavit; quem tamen ait accidentariæ libertatis, hoc est, contradictionis, pro stabiliendô meritô sive ante gratiam, sive sub gratiâ, numquam meminisse, ut satiatissimè suprà demonstratum est. Nec

Nec est quod regeras, Augustinum, dum contrà hos ageret, libertatis accidentalis præsidium non suscepisse, quià infrà patebit id esse à veritate alienissimum. Dum namque libertas essentialis pulsaretur à Pelagianis objicientibus fatalem gratiæ necessitatem, ostendit eam non esse, quià gratia facit volentem. Quod huic argumento sat erat. Cum verò concupiscentiam objectabant pariter velut Manichæâ necessitate ad malum compellentem, respondit eam non cogere sed allicere sed sollicitare ut vitium naturæ, nec quemquam ei succumbere nisi suopte marte victum, id est libentem, volentem. Et hoc huic assultui sufficiebat.

Ubi verò Pelagius, Cælestiusque contrà peccandi necessitatem, quam velut immutabilem autumant, objectant: *Si voluntarium est, vitari potest; aut si necessarium est voluntarium non est*, &c. Tum ad alia se convertit arma gratiæ ac liberi arbitrij Defensor inclytus, negatque illam, quam confingunt, veram, hoc est, peccandi inevitabilem necessitatem; tacitèque consentit, si omninò cavêri peccatum non posset, sinè culpa ei cederetur. Quidquid sit de aliâ, quam in peccatoribus desertis comminiscitur, inferioris longè ordinis necessitate. Nam & hanc ipsam Jansenius à libertate contradictionis non esse extorrem, in sensu diviso, non inficiatur. Ut proinde neque ex illa necessitate, licèt durius sonet, valeat argumentum procudi pro istâ *immutabili necessitate, quam docet* Jansenius *voluntati non formidandam.*

ARGUMENTUM V.

Ex Palladio.

JAnsenius *indifferentiam Thomisticam sensûs divisi tamquam ab hoc naturæ lapsæ statu indivulsam multoties admisit*, & præcipuè lib. 8. c. 20. *Spongia Notarum. cap.* 17.

RE-

RESPONSIO.

HOc in Anteceſſum liberâ manu dedimus. Aliud autem eſt, indifferentiam illam naturæ lapſæ eſſe indivulſam; aliud, ad merendum eſſe requiſitam. Primum Janſenius negare nec voluit, nec potuit. Secundum verò pernegaſſe affatim viſus eſt in libris de *Statu naturæ lapſæ, & de Grat. Chriſti Salvatoris.* Nam omnibus machinis ſubruere molitur neceſſitatem indifferentiæ, eò quod cenſeat Auguſtinum contrà inimicos ſuos ad eam non confugiſſe, ſed ſolâ voluntate incoactâ ſeſe tuitum. Nam ſive eſſent ſub gratia, oſtendebat neminem trahi invitum; ſive ante gratiam, neminem peccare nolentem. Non itaque purgat Janſenium, quod indifferentiam in hoc ſtatu Thomiſticam ſemper adeſſe conſentiat, modò eam ad meriti & demeriti cauſam ceu adiaphoram adjiciat. Nam & Pelagius aliquandò admiſit adeſſe gratiam, ſed per hoc errare non deſtitit, dum eam neceſſariam pernegavit.

CAPUT II.

In quo tertia Ianſeniana per Auguſtinum revicta monſtratur.

SECTIO PRIMA.

S. Auguſtinus Pelagio conceſſit ad peccandum requiri Libertatem non ſolùm à coactione, ſed etiam à neceſſitate immutabili, lib. de nat. & gratia.

HIc Aries, ſi firmus ſteterit, ad evertendam cum univerſis machinis Janſenianam tertiam, unicus ſufficiet. Itàque hic firmandus venit.

Summaria argumenti vis eſt : Pelagio objectanti ad peccatum requiri libertatem contradictionis, ſeu quod incidit, ut peccatum quod committitur vitari poſſit ; vel Auguſtinus negavit, ſolamque incoactam voluntatem ſufficere aſſeveravit, & vicit Janſenius ; vel conceſſit, quod Pelagius prætendit, & hôc ipſô Janſenius pleniſſimè ac planiſſimè revictus eſt. At Janſenius indifferentiam contradictionis ad demeritum poſtulare Philoſophorum eſſe commentum ratus, diſertè inficiatur eam ab Auguſtino fuiſſe agnitam in univerſis contrà Pelagianos lucubrationibus. Oppoſitum tamen ad Titanium jubar meridianum ſplendeſcere facio : primò, ex libro *de naturâ & gratiâ contrà Pelagium exarato.*

Objecerat namque Pelagius : *Quomodò Deo pro illius* REATU PECCATI *ſubditus eſſe poterit,* De nat. & Grat. c. 30.

quod ſuum non eſſe cognoverit? Suum autem non eſt ſi neceſſarium eſt, aut ſi ſuum eſt, voluntarium eſt: & ſi voluntarium eſt, vitari poteſt.

Quid ad hæc Auguſtinum repoſuiſſe arbitremur? An ad mentem Janſenij, neceſſe non eſt ut peccatum vitari non poſſit? Suum eſt, etſi neceſſitate immutabili neceſſarium eſt, quià coactum non eſt? Aut voluntarium eſt, etſi vitari non poſſit, quia liberè peccat qui incoactus & libens peccat? Sicut reſpondit Pelagianis neceſſitantem concupiſcentiam objicientibus, aut gratiam efficacem ceu cogentem arietantibus? Abſit. Negat quidem Auguſtinus homini lapſo eam libertatis indifferentiam, quam habuit Adam in ſtante ac ſanâ naturâ; verumtamen annuit verum eſſe Pelagij effatum: *Si voluntarium eſt, vitari poteſt*, ideòque pro *illius reatu peccantem ſubditum* eſſe Deo conſentit. Et quamquam proximam & velut Adamæam vitandi peccati poteſtatem deëſſe aſſerat, inevitabilem tamen neceſſitatem peccandi prorſùs reſponſione ſuâ ſubruit. *Nos reſpondemus*, inquit, *ſuum eſt omninò, ſed vitium, quo committitur, nondum ex omni parte ſanatum eſt, quod quidem ut inoleſceret, de non rectè uſâ ſanitate deſcendit. Pro quô ſupplicandum eſt ut Sanetur*; (en peccati vitabilitatem) *& deinceps in perpetuâ ſanitate vivatur; non ſuperbiendum, quaſi homo eâdem poteſtate ſanetur, quâ poteſtate vitiatus eſt.*

Similiter naturalem eamque expeditam non peccandi poſſibilitatem adſtruenti Pelagio obluctatur quidem exertis lacertis, ſed tamen vitari poſſe per gratiam concedit. *Vitiata natura eſt*, ait, *Medicum implorat: Salvum me fac Domine.* Clamat: *ſana animam meam. Clamat: Quid intercludit has voces, ut defendendo quaſi præſentem poſſibilitatem, futuram impediat ſanitatem.* Simi-

cap. 49.

liter

liter respondet cap. 51. Et cap. 66. Necessitatem inevitabilem submovet, ut rursum ostendat peccati reatum non everti, eò quod cælesti ope vitari possit. Nam cum dixisset ex vitiis, non ex conditione naturæ est quædam *peccandi necessitas*, continuò duritiem hujus vocis lævigat: *audiat homo, atque ut eadem necessitas non sit, discat Deo dicere: de necessitatibus meis educ me.* cap. 66.

Secundò Pelagio Augustino propria verba intorquenti ex libro 3. *de lib. arb. cap.* 18.: *quæcumque est ista causa voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur, si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? Ergò caveat ne fallatur. An tanta fallacia est, ut* CAVERI OMNINÒ NON POSSIT? *Si ita est, nulla ergò peccata sunt. Quis enim peccat in eô quod cavêre* NULLÔ *modô potest? peccatur autem, cavêri igitur potest*: cap. 67.

Quid ad sua nunc verba Augustinus? Egi de natura hominis primitùs instituti, quam oportebat ab omni necessitate esse immunem? Nunc autem quià vitiata est, peccat etiam in eô quod cavêre *nullô modô potest*? Sufficit quod non peccat invita & coacta, sed volens? Neutiquam. Sed etiamnum verum esse sustinet, quod dixerat: *Quis peccat in eô quod cavêre nullô modô potest*: & ipsam quæ indè flueret, *justitiæ impossibilitatem* à se amolitur, hisce verbis: *Agnosco verba mea sunt... De gratia quippè Dei agitur, quæ nobis per mediatorem medicinâ opitulatur, non de* IMPOSSIBILITATE JUSTITIÆ. Pergit, & inevitabilem necessitatem peccandi rursùm arcet: *Potest ergò ei causæ quæcumque illa est, resisti? Potest plane. Nam in hoc adjutorium postulamus, dicentes, ne nos inferas in tentationem.* Quod adjutorium non posceremus, *si resisti nullô modô posse crederemus. Potest peccatum cavêri, sed opitulante illô, qui non potest falli.*

Quod si Augustinus libertatem contradictionis velut meræ Philosophiæ fœtum habuisset, ac prorsus inutilem ad salvandum peccati reatum; solamque essentialem libertatem, seu voluntatem incoactam ad illum contrahendum sufficere autumasset, non obstante inevitabili peccandi necessitate, ad peccati vitabilitatem non confugisset, sed sufficisset reponere Pelagio: sufficit naturæ jam vitiatæ quod peccat non *invita*, non *coacta*, sed *libens* & *volens*, sive peccatum ullô modô cavêre possit, sive non possit. Hoc solùm namque respondisse contendit Jansenius, ut evincat libertatem contradictionis pro conciliandâ libertate ab Augustinô non fuisse agnitam, multò minus contrà Pelagianos assumptam ac probatam.

SECTIO II.

Libertas à necessitate immutabili ad peccati demeritum necessaria ab Augustinô defenditur libro de Perfectione Iustitiæ contrà Celestium.

CElestius Pelagij æmulus, ut naturalem non peccandi possibilitatem communiat, acutis admodum ratiociniis à peccati naturâ, ab illius necessariâ evitabilitate depromptis, ceu telis pharetratus Augustinum petit.

De Perfect Iustitiæ c. 2. Ratioc. 1.

Interrogandus est, inquit, *quid sit quodcumque peccatum? Quod vitari potest vel quod vitari non potest? Si quod vitari non potest, peccatum non est: si quod vitari potest; potest homo sine peccato esse quod vitari potest.*

Quale, amabo, responsum ab Augustino referet Celestius? Si Jansenio fides, responsum oportuit

tuit : prorsùs impertinens est, quod vitari possit. sufficit quod voluntas incoacta velit quod justitia vetat, vel nolit quod illa præcipit. Sat namque liberè facit *quod libens* facit. Siquidem Contradictionis libertate numquam se Augustinus armavit aut armare debuit, ut asseverantissimè Jansenius inculcatum voluit.

At aliter respondendum dixit Augustinus, & concedendum, peccatum esse quod vitari potest. *Respondemus* ait, *vitari posse peccatum.* Sed non eâ facilitate, quâ potuit in naturâ sanâ. Subdit ergò : *Si natura vitiata sanetur gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum. In tantum enim sana non est, in quantum id quod faciendum est aut cæcitate non videt, aut infirmitate non implet, dum caro concupiscit adversùs Spiritum, Spiritus autem adversùs carnem.*

Secundò objicienti Celestio: *Peccatum voluntatis, an necessitatis &c? Si necessitatis, peccatum non est; si voluntatis, vitari potest*, Non negat consequentiam Augustinus, sed inevitabilem, si quæ sit, non esse necessitatem indicans subjicit : *Respondemus quod suprà, ut sanemur invocamus eum, cui dicitur in psalmo* : DE NECESSITATIBUS MEIS EDUC ME.

Tertiò Celestio perurgente: *Utrumnam debeat homo sine peccato esse? procul-dubio debet. Si debet, potest; si non potest, ergò nec debet*: Augustinus non recurrit ad libertatem essentialem, sed respondet per simile : *Cum videmus claudum qui sanari potest, rectè utique dicimus : debet homo iste esse sine claudicatione, & si debet, potest. nec tamen cum vult, continuò potest, sed cum fuerit adhibitâ curatione sanatus.* Ubi rursùs supposuit homini peccatum debêre esse vitabile. cap. 3. Ratioc. 5. cap. 4.

Quartò quærit Celestius : *Per quid efficiatur homo cum peccatô an per naturæ necessitatem, an per arbitrij libertatem?* Respon- Ratioc. 9.

Respondet quidem Augustinus : *Per arbitrij libertatem factum est ut esset homo cum peccato, sed jam pœnalis vitialitas subsecuta ex libertate fecit necessitatem.*

Sed ostendit, cujus sit indolis, non utique eluctabilem, sed vitabilem. *Unde ad Deum fides clamat*, inquit, *de necessitatibus meis educ me.* Pelagianus homo naturalem asserebat non peccandi possibilitatem; Augustinus autem naturalem à vitio natam pœnalemque peccandi, sed non omnimodam, non absolutam, non immutabilem quià sanabilem necessitatem. *Quià*, inquit, *peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas* (scilicet vel maximè originale) *donec tota sanetur infirmitas, & accipiatur tanta libertas, in quâ sicut necesse est, permaneat beatè vivendi voluntas; ità sit etiam benè vivendi & numquam peccandi voluntaria felixque necessitas.*

Quintò, Celestius arguit : *Si natura hominis bona est, quod nullus negare nisi Marcion aut Manichæus audebit, quomodo igitur bona est si malò ei carêre sit impossibile*, hoc est omne peccatum vitare ?

cap 6. Ratioc. 14.

Augustinus à Manichæismo non vindicat se per voluntatis à coactione solam immunitatem, sed & per peccati evitabilitatem, hoc est, à necessitate immutabili voluntariâ etiam liberam facultatem.

Respondemus, inquit, *& naturam hominis bonam esse, & eam malò carêre pòsse. Nam ideò clamamus : libera nos à malo*

Et quamquam necessitatem vocet, quæ per naturam vinci possit, ut naturali Pelagianæque non peccandi possibilitati semper obvius veniat; evitabilem tamen semper, sed per Dei adjutorium esse demonstrat. Peccatum namque definit

nit his limitibus hôc ipsô Capite : *Peccatum est, cum vel non est Charitas, quæ esse debet, vel minor est quam esse debet, sive hoc voluntate possit, sive non possit. Quia si potest, præsens voluntas hoc facit; si autem non potest, præterita voluntas id fecit.*

Ne tamen immutabilem, quam Jansenius peccato non metuit, necessitatem peccato sufficere in hoc statu, modò voluntas incoacta adesset, videretur indicare, atque adversarium eversæ libertatis ad peccandum requisitæ criminatorem redderet, subjungit: ET TAMEN VITARI POTEST. *Non quandò voluntas superba laudatur, sed quandò humilis adjuvatur.*

En quanta sollicitudo Augustinum substrictum tenuit, ne dum necessitatis vinculô naturalem non peccandi possibilitatem constringebat, omnimodam, absolutam, & inevitabilem necessitatem merito aut demerito nîl velle officere videretur. Ut Paradoxo similis vidêri debeat Janseniana assertio, Augustinum contra Pelagianos essentiali libertate contentum, indifferentiam contradictionis non agnovisse. Procul dubio quemadmodum ad demeriti causam eam admittendam censuit, ità & ad meriti per Christi gratiam obtinendi rationem spectare non ambêgit.

SECTIO III.

Augustinus immutabilem peccandi necessitatem destruxit, dum objectam à Pelagianis Præceptorum impossibilitatem abjecit.

DUo hæc indissolubili sibi nexu confœderantur: *necesse est* hominem absolutè, hoc est inevitabili necessitate peccare: &, impossibile est hominem peccatum cavêre. Si ergò

Deus non potuerit impoſsibilia præcipere, non potuit nec poteſt homo in eô quod agere neceſſum eſt abſolutè, Deum offendere, eique novô reatu eſſe ſubjectus. Impoſsibilia Deum præcipere, ſi homo naturali non pollêret poteſtate vitandi omnia peccata, calumnia Pelagianorum eſt. Sed quâ ratione Auguſtinus eam retundat, diſpiciendum eſt. Si abſolutam & ineluctabilem peccandi neceſsitatem demerito haud officere exiſtimârit; nîl eum remorari debuit, quò minùs Pelagianis ultrô daret Deum præcepiſſe etiam impoſsibilia: eô quod præcepiſſet vitare ea, quæ neceſsitate immutabili committerentur, ſed tamen voluntariè & liberè, quià non coactè fierent, quod ad libertatem demeritoriam affatim ſufficit, Auctore Janſeniô. Nam licèt homo viator tam neceſsariò Deum non amaret, quàm dæmones, equidem demereretur ut idem docet. Ad Auguſtini placita remeëmus.

S. Aug. de grat. & lib. arb. cap. 26.

Magnum, inquit, *aliquid Pelagiani ſe ſcire putant, quando dicunt: non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri.*

Reſpondet Auguſtinus concedendo: *Quis hoc neſciat? Sed ideò jubet aliqua quæ non poſſumus, ut noverimus quid ab eô petere debeamus:* Idem habet lib. 2. *de peccatorum meritis.* cap. 3.

De nat. & Grat. c. 43.

Pelagius quoque dixit: *Quod Deus tam bonus quam juſtus talem hominem fecerit, qui peccati malô carêre ſufficeret, ſed ſi voluiſſet.*

Reſpondet iterum Auguſtinus: *Quis enim neſciat ſanum & inculpabilem hominem factum & liberô arbitriô atque ad juſtè vivendum poteſtate liberâ conſtitutum? Sed nunc de illô agitur, quem ſemi-vivum Latrones reliquêrunt, qui gravibus ſaucius confoſſuſque vulneribus, non ità poteſt ad juſtitiæ culmen aſcendere, ſicut potuit inde deſcendere.*

Sed

Sed ne immutabili eum necessitati subdere videatur, ac Præceptorum impossibilitate prægravare, subdit: *Non igitur Deus impossibilia jubet, sed jubendo admonet facere quod possis, & petere quod non possis. Jam nunc videamus undè possit, unde non possit? Iste dicit voluntate non est quod natura potest. Ego dico, voluntate quidem non est homo justus, nec naturâ potest, quod vitiô non potest.* cap. 23.

Nequè tantum Augustinus negat Deum impossibilia præcipere, sed & *præcipere posse*, ut proindè nec peccata forent si vitatu impossibilia forent: *Eô ipsô quippè*, inquit, *quò* FIRMISSIMÈ CREDITUR *Deum justum & bonum impossibilia non potuisse præcipere.* cap. 69.

Eccur, amabo te, non *potuit* Deus *impossibilia* homini *præcipere* juxtà S. Augustinum, si Deus potuit immutabili peccandi necessitate eum compedire sic ut peccaret, licèt peccatum cavêre nullô modô posset, eò quod equidem semper essentiali, inamissibili libertate gaudêret, & incoactâ voluntate, id est, libenti peccatum diligeret, & eligeret? Siquidem Jansenius non in defectum libertatis ad demeritum novum requisitæ refert quod Dæmones Deum non amando novam pœnam non mereantur, sed in conditionem statûs. Quod an subsistat, examinandum infrà.

SECTIO IV.

Si necessitas immutabilis voluntaria non officiat demerito, ut vult Iansenius, difficile est intelligere juxtà principia S. Augustini, cur damnati & dæmones per omnem æternitatem novas pœnas reipsâ non mereantur & incurrant, contrà æternam Legem de amando Deo peccando non amando.

MEriti conditionem ab acceptatione Dei pendêre sat planum est. At an demeriti etiam conditio adeò sit arbitraria, & non ex naturâ fluat peccati sufficienti libertate patrati quod puniendum videatur, de quo nulla pœnitudo agitur, plus videtur habêre difficultatis, pensatis Augustini principiis ab æternâ lege divinæ æquitatis deductis, cujusmodi sunt sequentia. Primum

S Aug. l. 26. cont. Faust. cap. 3. est: *Ad naturalem Justitiæ ordinem pertinet, ut aut peccata non fiant, aut* IMPUNITA ESSE NON VALEANT.

L. 3. de lib. arb. c. 9. Secundum: *Si peccata fiant, & desit miseria, nihilominus dehonestat ordinem iniquitas.*

Tertium: *A quo accepit natura posse recta facere cum velit, ab eo accepit, ut sit etiam misera, si non fecerit, & beata si fecerit. Quia enim nemo superat*

Ibid. c. 15. *leges Omnipotentis Creatoris, non sinitur anima non reddere debitum. . . itaque si non reddit faciendo justitiam,* REDDET PATIENDO MISERIAM: *quâ in utrôque verbum illud* DEBITI *sonat.*

Quar-

Quartum : *Nullô autem temporis intervallô ista dividuntur, ut quasi aliô tempore non faciat quod debet & aliô patiatur quod debet, ne vel punctô temporis universalis pulchritudo turpêtur, ut sit in eâ dedecus culpæ sine decore vindictæ.* Ibid.

Quod si in locô misericordiæ & in diebus salutis ad naturalem justitiæ ordinem pertineat, ut *peccata impunita esse non valeant, & non sit dedecus culpæ sine decore vindictæ:* Et à Deo, cui proprium est miserêri semper & parcere, *nullus debitæ gravioris pœnæ accipit veniam, nisi qualemcumque etsi longè minorem quam debet, solverit pœnam*, ut Augustinus loquitur; quid de peccatis damnatorum in inferno, ubi nulla redemptio? quid de diebus iræ & justi Judicii Dei arbitrabimur, quæ licet inevitabili necessitate, tamen sufficienti, ut Jansenius censet, libertate, imò majori committuntur? Statusnè solus mutabit *ordinem naturalem Justitiæ, ut impunita esse valeant?* Nam obstante hôc statu Jansenius ipse concedit Diabolum pro variis peccatis ad quæ homini incentor est à Deo puniendum. *Non veretur inquit* (Augustinus) *eis* (dæmonibus) *non tantum peccandi voluntatem & vera peccata, sed etiam invidentiæ cæterorumque peccatorum quæ in mundô damnati perpetrant supplicium attribuere: ut non modò peccatorum sed & POENARUM LUENDARUM SINT REI.* Verba Augustini sunt: *illi Principes contrà quos habêre nos colluctationem dicit Apostolus, pœnam peccatorum suorum priores patiuntur quam noceant.* Et libro de naturâ boni: *Cum per potestatem quam diabolo dedit, omnia justè ipse Deus fecerit, non tamen pro his justis factis, sed pro iniquâ nocendi voluntate, quæ ipsius diaboli fuit, ei reddetur in fine supplicium.* Quod ne Paradoxum videatur, id confirmat ex ipsis Recentiorum principiis: *Nam & ipsi quamvis voluntatem immobilem in malo perversâque* L. de Cont. cap. 6. Ianf. l. 7. de Grat. Chr. Salv. c. 11. pag. 785.

versâque sui dilectione possideant, indifferenter tamen eligere possunt vel hoc vel istud malum, ad hoc vel istud peccatum homines impellere, hoc vel isto blasphemiæ convitio divinitatem incessere.

pag. 787.

Sed cum ista indifferentia ex mente Jansenij nullô modô sit necessaria ad demerendum, non apparet cur dæmonibus non reddatur etiam supplicium pro eô quod Deum non diligunt, quod per omnem æternitatem non possunt. Nam tam hæc omissio dilectionis æternâ lege præceptæ dæmonibus libera est, quam alia peccata, eò quod sine coactione & cum delectatione committatur.

L. 4 *de stat. nat. lapsæ.* cap. 25. pag. 664.

Sed inquit Jansenius alibi, *quod non amplius damnationem graviorem eorum peccata mereantur, statui peccantium, non innocentiæ talium actionum tribui debet.*

Quomodò aliis peccatis reddetur *supplicium*, ut ex Augustinô Jansenium probasse vidimus? an impedit status quò minus unum peccatum sat liberè commissum plectatur, & non ut alterum? Et quomodò ad naturalem Justitiæ ordinem pertinet, ut ne vel punctô temporis sit dedecus culpæ sine decore vindictæ? Id tamen exertissimè negat Augustinus.

Nec est quod dicatur Augustinus non resistere illis, qui docent in inferno aliquos leviores pœnas passuros quam eorum peccata mereantur, ut videre est lib. 21. de civ. Dei c. 24. quia agitur ibidem de mitigandis pœnis peccatorum in hâc vitâ commissorum, & intuitu & interventu precum Sanctorum, ut aliqui putabant: *Quod quidem non ideò confirmo, quià non resisto.* Quamquam hunc errorem satis refellat in præcedentibus, dum dicit Ecclesiam non oraturam pro damnandis si eos nosset, quam non orat pro dæmonibus, nempè ab infernô reipsâ liberandis aut eorum suppliciis alleviandis.

SEC.

SECTIO V.

Si necessitas immutabilis voluntaria non officiat demerito naturæ lapsæ, non officiisset etiam demerito naturæ integræ; Adamque culpabiliter cecidisset, etsi Gratiam nec habuisset, nec habêre potuisset, quod repugnat S. Augustino.

ESt maximi Ecclesiæ Doctoris utrumque statum discriminantis effatum lucidissimum: *Si hoc adjutorium vel Angelo vel homini, cum primùm facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manêre si vellet, utique sine culpâ suâ cecidissent: adjutorium quippè defuisset, sine quo manêre non possent.* Ut igitur suâ culpâ caderent, necessarium erat adjutorium, sine quô manêre non possent. Igitur necessum erat, ut qui caderent, non cadere possent. Et hæc libertas non essentialis, sed contradictionis. Si ergò non cadere non potuissent sive immutabili, licet voluntariâ ob defectum Gratiæ, necessitate cecidissent, utique sine culpâ cecidissent, Doctore Augustino. At hoc consequens non probatur Jansenio: cui sufficit essentialis ad demerendum libertas, cui illa accidentalis non peccandi indifferentia est Philosophica, Gratiæ defensoribus non probata: cui sufficit incoacta voluntas, adeòque inamissibilis ad demerendum libertas. Agit quidem de statu naturæ lapsæ Jansenius dum essentialem & incoactam voluntatis libertatem sufficere docet; at insuper indifferentiam contradictionis despuit ut inutilem. Sed cum omne peccatum actuale cujuscumque

De Correp. & Gra. c. 11.

que ſtatûs debeat & ſufficiat eſse liberum; non apparet, quâ ratione Adam vel Angeli primi ſine culpâ cecidiſsent in datâ hypotheſi, eò quod libertas eſsentialis, utpote inamiſſibilis pro eô ſtatu, numquam illis defuiſſet, ſed ſola accidentalis ſeu contradictionis poteſtas defeciſſet. Verumtamen Auguſtinus excuſandos cenſet hâc ratione: *Adjutorium quippe defuiſſet ſine quô manere non poſſent*: ergò ſine culpa cecidiſſent, quia caſum vitare non potuiſſent. Quàpropter in definitione peccati hujus ſtatûs vel maximè poſuit: *Unde eſt liberum abſtinêre.* Habemus ergò in Auguſtinô libertatem plus quam eſſentialem ad peccati culpam poſtulatam. Quomodò igitur immutabilem in ſtatu integrô peccandi neceſſitatem admiſiſſet? Admittere tamen debuiſſet, ſi libertas ſit ad meritum demeritumque indifferens ea, quæ contradictionis appellatur, quam etiam Auguſtino non probatam Janſenius conſtanter docet.

Quin imò hoc ipſum noſtrum argumentum, licèt aliô modô propoſitum, perſentiſcens ipſe Janſenius, diſertè negat ob defectum libertatis ſufficientis, in caſu abſentis auxilii neceſſarii, Adamum Angeloſve culpæ ſeu demeriti futuros fuiſſe exortes; undè aliàs cauſas communiſcitur, naturæ ſcilicet inſtitutionem. Sed non attendit ad eam inſtitutionem, quam Auguſtinus exponit eſſe libertatem contradictionis his verbis: *Adjutorium quippe defuiſſet, ſine quô manere non poſſent.* Quod longè abſcedit ab immutabili peccandi neceſſitate, quam Janſenius ſuſtinet, modò ſit voluntaria & incoacta.

Reſponſum habemus lib. 3. de gratia Chriſti cap. 15. pag. 346. *Cujus rei ratio non eſt illa, quaſi illô deficienti adjutoriô non liberâ voluntate unumquemque actum circa ſingula objecta mala voluiſſet*

luisset. Tam enim liberè non solùm illâ libertate ab Augustino agnitâ atque traditâ, sed etiam illâ libertate Scholasticorum, hoc est contradictionis seu exercitij hunc & illum actum elicuissent, quam nunc eliciunt dæmones & beati.

Liquidò ergò tramite Jansenianô fluit, statui naturæ integræ necessitatem, qualis beatis damnatisque propria est, neutiquam obfuturam fuisse *quâ talem*, licèt primus homo vel Angeli destituti fuissent adjutoriô ad perseverandum necessariô. Ex aliô igitur capite sine culpâ lapsuros autumat Jansenius, *nimirum* quià eis naturale fuisset, *sine adjutoriô manêre non posse, & hinc impossibile ut hoc vitio verti possit.* Sed ad hoc

Responderi facilè potest primò, quod ad naturam non requiretur nisi voluntas incoacta, & hæc ad culpam sibi sufficeret, nec requireretur ut culpam cavêre posset, sicut videmus in dæmonibus. Augustinus enim non ad naturam respicit, sed ad naturam cui nihil impossibile oportebat præcipi, & quam oportebat contradictionis libertate gaudêre, seu *cadere non posse.*

Secundò, quod talis lapsus non processisset ex institutione Dei, sed ab arbitriô sufficienti libertate donatô. Fuissent enim conditi justi & recti, & ab eâ rectitudine spontè, liberè, hoc est voluntariè seu non coactè defeciissent: Cum plus ad libertatem creaturæ rationalis, adstipulante Jansseniô, non desideretur.

Diceret enim illis Deus excusantibus se: gratia mea gratia est, ad libertatem demerendi necessaria non est. Suffecit vobis liberum arbitrium. Nemo coëgit invitos. Peccatis *liberè*, quia *libenter*. Quid ad hæc reponerent Jansenianâ libertate instructi?

Jansenius libro 4. de statu naturæ lapsæ cap. 25. ubi dixerat: *Peccati damnabilis ratio, sicut*

pag. 665. *& laudabilis benefacti ab arbitrii libertate dependet;* postea ad casum præsentem descendit, & resolvit: *Si dari fingeretur* (talis necessitas) *in Angelis & hominibus, non in ea peccaretur damnabiliter, sed potius laudabiliter ageretur: talis enim necessitatis determinatio institutionem naturæ sequeretur.*

pag. 666.

Sed iterùm Respondetur: Natura foret instituta bona, sed voluntariâ necessitate fieret mala: non enim cogeretur, sed spontè ab eô quod summè bonum est, ad seipsam delaberetur. Nec esset vitium naturæ sufficientem libertatem nactæ, sed voluntatis, cui ut sit voluntas, adeòque libertas, nihil adjiciendum fuit.

L. 3. de lib. arb. c. 1. Nec patrocinatur Jansenio illud Augustini: *Si non receditur ab eô modô quô naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit eâdem quæ debet facit qui hæc facit.* Hoc enim contra Manichæos dicit, qui essentiale & non liberum asserebant esse malum, contra quos Augustinus essentialem defendit libertatem, quæ hic supponitur.

SECTIO VI.

Si necessitas immutabilis non officiat merito, divinæ bonitati convenientius erat Angelos & primos homines immutabili istâ necessitate perseverandi donare.

Docet quidem S. Augustinus lib. de Correptione & gratiâ c. 10. *Deum sic ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in eis priùs ostenderet quid posset liberum arbitrium, deindè quid posset gratiæ beneficium, Justitiæque judicium.* Sed si Augustinus, ut vult Jansenius, existimet ad libertatis perfectionem haud pertinêre, neque ad meritum indifferentiam contradictionis; imò libe-

liberum arbitrium tantò magis liberum ac meritorium, quantò firmius fortiusque diligit summum bonum: Nonne Deus ostendisset simul & quid posset liberum arbitrium & quid Gratiæ beneficium, si ità Angelos condidisset efficacissimæ robore gratiæ munitos, ut frigescere ac tenebrescere non possent? ac sic Deum vidêre mererentur? Quid ergò causæ fuisset, ut & ipsi & primi homines defficiendi mutabili potestati subderentur cum tantæ ruinæ periculo totius generis humani? Fuissent namque & per liberum arbitrium & Deo similiores qui peccare non potest, qui seipsum negare, qui se non amare non potest; & per gratiam tutiores felicioresque conditi, poterantque pro majori Charitatis tum necessitantis munere etiam meritis esse dispares. Non apparet itàque cur mutabilitati Angelos hominesque obnoxios Deus condidit, nisi quià primùm viatores esse voluit, atque in hâc viâ meriti capaces: quod ut fieret oportebat indifferentiâ quâdam esse mutabiles, longèque aliâ libertate instructos, quam erant comprehensores indepturi: nimirum usque ad non peccandi indeclinabilem voluntatem inclinatam.

In statu saltem naturæ lapsæ, cui potentior gratia per Jesum Christum data est, cur non omnipotentissimam, & cui resisti non possit, impertit? commendaretur namque gratiæ beneficium vehementer, eò quod cum omnibus amoribus & terroribus vinceretur hic mundus, & homo viveret sine omni peccato, & ab omni peccandi periculo liber vitam melioremque felicioremque promereretur. Ut quid ista contradictionis libertas relicta est sub gratia, cum ad meritum sit planè adiaphora teste Jansenio? Nam liberum arbitrium fuisset liberius ab hujusmodi indifferentia liberatum, utpotè Dei, Christi, ac beatorum libertati propinquius.

SECTIO VII.

Argumenta Ianseniana pro sufficientia libertatis à coactione ex Augustino deducta per Augustinum ipsum contrita.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex lib. 4. de statu nat. lap. c. 24. pag. 662.

EI (Augustinô) abundè satis est, quod .. sciens & prudens plenâ voluntate feratur in malum; sivè ab istâ diligendi mali necessitate expedire possit, sivè non possit.

REFUTATIO.

ID falsum esse convincit liber de *naturâ & gratiâ*, & liber de *perfectione justitiæ*; ubi Pelagio ac Celestio objicientibus ad peccati rationem pertinêre quod vitari debeat ac possit, semper respondet *posse*, saltem per Christi gratiam; ac proindè istam inevitabilem peccandi voluntatem excluſit. Dum verò Augustinus ad istam indifferentiam non attendit, tum contrà illos egit qui essentialem libertatem sive per gratiam ad bonum, sivè concupiscentiam ad malum eversam criminabantur. His revincendis abundè sat erat armorum à *voluntate sponte* agente.

ARGUMENTUM II.

Ex lib. 6. de grat. Christi c. 6. Pag. 631.

QUemadmodum necessitas & necessarium apud Augustinum, ita & natura & naturale opponitur voluntati, & voluntario sive libero: „*Nulla culpa*, inquit, *ubi natura necessitasque dominatur.* Hinc motum lapidis & animi in eô discrepare docet, quod lapidi naturalis est motus, animo verò

L. 3. de lib. arb. c 1.

verò iste involuntarius. Atque explicans quid hoc sit, *naturale idem valêre quod non habêre in potestate, hoc est, fieri etsi nolis.* „ *In eo*, inquit, *dissimilis est motus animi & lapidis quod in potestate non habet lapis cohibêre motum, animus verò dum non vult, non ita movetur* pag. 632. L. 3. de lib. arb. sub init.

Tandem concludit: *Doctrina ipsius Augustini est, necessitatem illam primam, prout etiam naturam sic explicatam complectitur (nec aliud est respectu voluntatis quam quædam vis aut violentia aut coactio..) capitaliter repugnare libertati eamque funditùs perimere; non autem illam necessitatem, quæ est simul voluntaria, quâ scilicet simpliciter necesse est aliquid fieri, non repugnante, sed* IMMUTABILITER VOLENTE *voluntate. Mira videbitur Scholasticis ista doctrina, & tamen in Augustini scriptis est indubitata.* Ibid.

REFUTATIO.

SIc Augustinus agit contrà Manichæos; sic Pelagianis Manichæam objectantibus necessitatem sive à gratiâ efficace, sive à Concupiscentiâ prognatam tamquam voluntatis eversivam respondit, ut debuit, Augustinus, discriminans motum animi à motu lapidis. At dum ulterius libertatem contradictionis ad demeritum requisitam etiam labare dixêrunt, Augustinus semper eam consistere asseruit, non quidem proximam quasi naturæ stanti consentaneam, sed saltem remotam sicut nec peccatum immutabili necessitate patratum dici possit, neque viratu impossibile censeretur, hoc semper hostibus donans: *Cavêri potest*, non naturali possibilitate, ut hi prætendebant, sed opitulatione divinâ, sive ut loquitur Doctor Ecclesiæ, non quandò *voluntas superba laudatur, sed dum humilis adjuvatur.* Nihil ergò Præsidij Jansenio, pro L. de Perfect. Justitiæ c. 6.

immutabili, licèt voluntaria foret, ad meritum demeritumque, velut sufficienti necessitate exsculpendum venit.

ARGUMENTUM III.

Ex cap. 7. *ejusdem libri de libertate Dei* Pag. 636.

CUm Julianus urgêret liberum esse quod facere posset bonum & malum, id est, peccare, & non peccare, respondit ei Augustinus: *Non est ergò liber Dominus de quo dictum est: negare seipsum non potest.* Et de quo etiam ipse dixisti: *Deus esse nisi justus non potest?* Et aliô locô ejusdem operis . . . *Liberum non est nisi quod duo potest velle, id est, bonum & malum.* Respondet Augustinus: *Liber ergò Deus non est, qui malum non potest velle. . . siccinè Deum laudas, ut auferas libertatem?* Scilicet, ait Jansenius, subjiciendo necessitati boni: an potiùs intelligere debes, esse *quamdam beatam necessitatem, quâ Deus injustus non potest esse.* Porrò necessitas illa ad non peccandum in Deo non est aliud quam *firmissima, indeficiens, æterna, & immutabilis voluntas non peccandi, seu potiùs firmissima, indeficiens, æterna & immutabilis voluntas seu amor justitiæ, æquitatis atque fidelitatis.*

Aug. l. 11. op post. fol. 151.

REFUTATIO. I.

SI libertati, quâ Deus justitiam suam diligit immutabili prorsùs amore, per omnia comparanda sit hominis ad merendum conditi libera voluntas; cur non hominem, quem ad imaginem & similitudinem sui efformavit immutabili boni amore donavit, cum posset sic Deum Conditorem emerêri imitatione dilectionis, & imitatione impeccabilitatis?

RE-

REFUTATIO. II.

URget ibi Julianus libertatem contrarietatis quâ talem, id est, indifferentiam ad bonum & malum, quam retur essentialem. Hoc similitudine, non æqualitate diruit Augustinus, à Dei libertate deductâ. Disparitatem equidem indicat, cum hominem peccare posse concedit cap. 102. ubi ad præmium Patriæ refert istam impeccantiam.

At observandum, quod Julianus sivè ad bonum per gratiam, sivè ad malum ante gratiam per concupiscentiam hominem cogi diceret, ac per inclinationem determinationemque ad partem alterutram libertatem, id est voluntatem everti putaret. Hoc Augustinus ostendit nullô modô consequi, cum Deus se unum diligat amore, & quidem incommutabili atque perenni. Quàpropter beatam vocat necessitatem quià non premit. Ità quoque de Angelis ait: *Hâc necessitate, si necessitas etiam ipsa dicenda est, non premuntur SS. Angeli, sed fruuntur. Nobis autem futura*, NON PRÆSENS. Apprimè omnia regessit contrà *cogentem*, adeòque *prementem commentitiam* Pelagianam necessitatem Augustinus. *cap.* 103.

ARGUMENTUM IV.

Ex Capite 8. *De libertate Angelorum & hominum Beatorum.* Pag. 640.

PElagiani acerrimè oppugnabant contendentes nec antè gratiam, nec post peccatum esse liberum arbitrium juxtà Doctrinam S. Augustini, eo quod antè gratiam mali necessitate, post gratiam boni necessitate, & mali impossibilitate tolleretur.

REFUTATIO.

HOc putabant, etiam adstipulante Jansenio, quià ad malum per concupiscentiam, ad bonum verò per gratiam voluntatem cogi credebant. Undè fatalem & Manichæam necessitatem Augustino invidiosissimè imponebant. Nil ergò aliud tum oportebat responsum ac demonstratum, quam quod bonum non amplecteretur homo nec malum nisi volens. Quod gratia traheret, sed ex nolente volentem faceret: concupiscentia alliceret, sed non conciperet peccatum nisi de marito, id est animo Rectore consentiente. Prætereà frequenter urgebant libertatem contrarietatis, quà talis est, quæ ex ejus confessione ad meritum demeritumque non postulatur.

ARGUMENTUM V. Pag. 646.

IN illo acerrimo diuturnoque conflictu, quô cum Pelagianis de gratia & voluntatis libertate decertatum est, in nullis ejus libris *vel semel inveniri queat unus textus vel vestigium opinionis istius, quod idcircò voluntas sub gratiâ, quæ facit eam facere, maneret libera, quià cessare potest, sed potius conspirant omnia, idcircò esse liberam, quià gratia voluntatem potentissimè velle & operari facit.* Et fol. 647. MIRACULI LOCO HABITURUS ESSEM, *si in Augustini doctrinâ ostendi posset voluntatem, quæ potentissimè & immobiliter & perpetuò justitiam diligit & operatur, non esse in ista volitione liberam.*

REFUTATIO I.

VEl gratia ista, quæ potentissimè voluntatem facit velle & operari, libertatem quâ meritoriam perfectiorem reddit, vel non reddit. Si primum, igitur libertas major erit hominis

minis lapsi, quam stantis. Nam hic cessare potuit, ille non posset, utpotè immutabiliter determinatus. Si secundùm, ut quid Augustinus eam solam considerasset & sic commendasset?

REFUTATIO. II.

AUgustinus ad illam cessandi ab actu potestatem intendere non debuit, nisi cum certaminis vis ipsa deposceret. Dum per efficaciam gratiæ, violentiam seu coactionem invehere moliebantur, ut erat ostendere voluntatem obtrudere ac monstrare incoactam, seu libentem volentemque. Dum concupiscentiam velut naturam malam ad peccatum etiam invitam voluntatem pertrahere iidem adversarii contendebant; sufficiebat ostendere non esse naturam, sed vitium naturæ à quo non vitiatur nisi volens consentiensque. Sinè miraculi novitate ostendit liber. de *nat. & grat.* & lib. *de perfectione justitiæ* contrà Pelagium Celestiumque conscriptus, quod Augustinus ad peccati seu demeriti rationem potestatem aliquam cessandi à peccato actuali admiserit. Si ad libertatem demerendi; ergò etiam ad merendi requisisse censendus est.

Augustini ergò arma ad objecta Pelagianorum tela varia, etiam variò acumine limata scire oportet. Et quemadmodum dum Manichæorum vesaniam elusit, aliis depugnavit argumentis; ità & aliis Pelagianos Manichæam necessitatem objicientes retudit, aliis verò libertatem contradictionis per absentiam gratiæ in peccatoribus eversam contendentes eosdem Pelagianos prostravit.

ARGUMENTUM VI.

Ex libro 8. cap. 5. pag. 828.

NUmquam Augustinus respondendo Pelagianis de violatâ per gratiam libertate conquerentibus illum conciliandi modum tetigit .. quod voluntas

luntas ità per gratiam velit, ut possit non velle, sed semper illum quod non instar trunci, quem Deus moveat, feramur in bonum.

REFUTATIO.

HOc abundè sufficiebat, essentialem volentibus per gratiam ab Augustino assertam subruere libertatem. Porrò dum ex defectu gratiæ Præceptorum impossibilitatem, & peccandi omnimodam necessitatem inducere moliti sunt inflatores liberi arbitrii, non stitit Augustinus arma sua in istâ libertate essentiali, seu voluntate incoactâ; sed convertit ad eam, quâ peccatum quod committitur, cavêri possit, non à voluntate superbiente sed à gratiâ opitulante divinâ. Nec uspiam (pariter retorqueo in Jansenium) dum peccandi necessitas absoluta, vel impossibilitas vitandi peccata, deficiente gratiâ, à Pelagianis objecta fuit, Augustinus confugit ad illam libertatem essentialem solam, aut concesit umquam peccatum in datâ hypothesi absentis gratiæ, *vitari non posse*, vel ad conditionem peccati requirentibus, *ut cavêri possit*, reposuit, id necesse non esse, nisi dum de originali agitur. Quod tamen in proclivi erat respondere, si censuisset, illud *cavêri posse*, ad peccati rationem non pertinêre, utpotè libertati demeritoriæ accidentarium.

Non ergò mirum est quod ad alias querelas Pelagianorum dicentium: *Sub Nomine gratiæ fatum asserunt*, aliter respondeat lib. 4. ad Bonifac. cap. 6. *Jam non reluctanti, sed volenti Spiritus virtutis accenditur.* Item de corrept. & grat. cap. 2. *Aguntur ut agant, non ut ipsi nihil agant.* Et interroganti Juliano: *Ad quem modum liberatur voluntas, ut bonum semper velle* COGATUR, *& malum velle non possit? Absit*, inquit, *ut dicatur à nobis. Si enim cogitur, non vult.*

L. 1. op pst. fol. 151.

AR-

ARGUMENTUM VII. Pag. 838.

HOc unicum ab ipsô totô librô (de gratia & libero arbitrio) *à capite ad calcem respicitur, probatur, inculcatur, ut videlicet non separetur opus ab humana voluntate, quemadmodum vi gratiæ contingere Pelagiani delirabant, quasi alius, ut ipse loquitur, de homine vellet, & homo invitus ac reluctans cogeretur.*

REFUTATIO.

HOc ipsum est quod ante à me responsum: nempè Pelagianos deliraſſe in eô quod vi gratiæ dicerent eversam libertatem essentialem, hoc est, voluntatem, quam coactam agi putabant. Ut hunc errorem corrigat Augustinus, non eget præsidiô indifferentiæ aut libertate accidentali; sed sufficit ostendere, sic agi à gratiâ voluntatem, ut etiam agat: quod probat tum ex præceptis, tum ex eô quod gratia sit adjutorium voluntatis: qui enim adjuvatur, procul dubiô aliquid operatur.

ARGUMENTUM VIII.

Ex cap. 9. pag. 845.

QVæ Conciliatio gratiæ *in Augustini scriptis* ità *perspicua est totiesque frequentata, ac tantum silentium istius indifferentiæ contradictionis, tamquam libertati necessariæ, ut ad salvandam arbitrij libertatem sub gratia numquam vel semel adhibuerit in universis suis adversus Pelagianos lucubrationibus.*

REFUTATIO.

AUgustinus arma armis regesit, tela telis. Impugnatoribus libertatis essentialis coactionemque impingentibus, eam fortiter asseruit, voluntatem salvam tectam, seu incoactam lucidè monstravit, ostendens eam, sicut per concupiscentiam non cogitur ad malum, sic nec invitam per gratiam trahi ad bonum. Ad hoc probandum inutilis erat libertas accidentalis:

Imò vanum & insanum videretur adsciscere accidens, ubi substantia, & basis seu subjectum, hoc est libertatis essentia seu voluntas arietabatur. Ubi namquè vis aut coactio dominatur (ut Pelagiani delirabant) indifferentia seu libertas contradictionis longius exulare perspicitur.

Aliter porrò Augustinus respondit dum per necessitatem gratiæ præceptorum *impossibilitatem* & peccandi necessitatem, si quandò illa deesset, immutabilem inferebant Pelagius & Celestius sciscitantes ex Augustino gratiæ assertore: Peccatum vel est quod *vitari potest*, *vel quod non potest*. Si quod non potest; ergò nec debet. Si potest; ergò voluntas naturali pollet peccata vitandi possibilitate; proindè gratia non est necessaria. Aut si necessaria est; igitur eâ subductâ peccata cavêri non possunt, præcepta sunt impossibilia &c.

Quid tum Augustinus? An necesse non est, ut peccatum vitari possit? Sufficit voluntate fiat, id est, non invitâ non coactâ voluntate? Absit. Sed admittit vitari posse, non possibilitate naturæ sed opitulatione gratiæ: si non semper proximè, saltem remotè. Vide librum de *naturâ & gratiâ* & *de perfectione* justitiæ, è quibus antè argumenta deduximus contra Jansenium.

Non sic Augustinus, non sic diluere debuit alias Pelagianorum querimonias, quas refert ipse Jansenius lib. 8. de grat. Christi cap. 9. Quod concupiscentia tolleret peccandi liberum arbitrium, & gratia benè vivendi, sed *vel Deus vel diabolus de ipso homine nihil prorsus agente vel invito ac nolente operari videretur.* Ex hoc capite eversam (sed essentialem) libertatem exprobrat Julianus, *quod lex habitans in membris cogat servire criminibus.* Et quod *homo malum facere cogatur.*

L. 1. *op post.* cap. 216.

L. 2. c. 215.

AR-

ARGUMENTUM. IX. Ibid. pag. 844.

CUm Julianus cæterique Pelagiani postularent mordicùs ab Augustino, ut indifferentiam ad bonum & malum libero arbitrio concederet antè gratiam, quatenùs peccare posset & non peccare, atque istâ ratione libertas arbitrii salva esse posset, mordicùs è contrario Sanctus Augustinus concedendum negat. Quod usque adeò ipse verum esse putat, ut oppositum velut errorem improbet, apertissimèque tradat esse in hominibus peccandi necessitatem, & in istâ peccandi necessitate nec esse securitatem conscientiæ, quasi non esset peccati rea, voluntatem jam ità peccare, ut non sit ei liberum abstinêre, quod Adamo liberum fuit.

REFUTATIO.

AUgustinus errorem putavit indifferentiam naturalem ad bonum & malum, qualem Pelagiani commenti sunt, ad injuriam medicinalis gratiæ Christi, asserere. Necessitas quam opponit non est absoluta nec inevitabilis, sed ea pro quâ oramus: *de necessitatibus meis erue me.* Nam si immutabilis esset, etiam peccata hujusmodi cavêri non possent, & Præcepta impossibilia forent; quod disertè negat Augustinus. Proindè nîl patrocinii habet Jansenius pro suâ immutabili voluntariâ necessitate, quam censet demerito non formidandam. Alioquin verum non esset quod Augustinus exertè pronuntiavit: *Liberum arbitrium & ad malum & ad bonum confitendum est nos habêre.* Et alibi: *Peccatô Adæ liberum arbitrium de hominum naturâ periisse non dicimus.* Et Epistola ad Valentinum: *Catholica fides neque liberum arbitrium negat sivè in vitam malam, sivè in vitam bonam.*

L. de Correp. & Grat. c. 11. L. 2. ad Bonif. c. 5. Epist. 2. ad Valent.

AR-

ARGUMENTUM X.

Ex Lib. 3. de statu nat. lapsæ c. 11. pag. 477.

INvectam peccato primi hominis necessitatem ferre non poterant Pelagiani; non enim dubitabant illud esse ipsissimum fermentum hæresis Manichææ: Super quo gravissimus inter Julianum & Augustinum Conflictus fuit. Julianus enim Philosophiâ subnixus aseverantissimè confirmabat necessitatem istam capitaliter libertati arbitrij repugnare. Hinc illa creberrimè repetita definitio: „ Libertas arbitrij possibilitas est vel admittendi vel vitandi peccati ex pers cogentis necessitatis quæ suopte jure in utramque suggerentiæ partem sequatur. Ut ratio prodidit, arbitrij libertas est propulsatrix necessitatum; „ sed hanc arbitrij libertatem ad bonum & malum Augustinus funditùs pro utrâque parte subvertit: docet enim contrà Pelagianos non solum cum necessitate solius mali, imò ex necessitate boni salvam relinquere libertatem, probat.

L. 1 op. imp. cap 121.

REFUTATIO.

PElagiani sicuti naturalem boni malique possibilitatem jactabant, ità omnem necessitatem non modò cogentem, sed & quamcumque sivè evitabilem sivè inevitabilem oderant tam in peccato originali quam actuali, nec distinguebant inter hominem stantem & lapsum. Contrà hanc præsumptionem & arbitrii liberi inflationem Augustinus pro Gratiâ incunctanter asserit, hominem ante gratiam esse liberum nempè proximè ad malum, ad bonum verò non ità nisi Liberatoris fuerit Gratiâ liberatus seu adjutus. Proindè negat illam æquilibrem ad *utramque suggerentiæ partem* expeditam voluntatem antè Gratiam obtinêri. Sed ne ideò im-

immutabilis necessitas inferatur, clamare hominem docet: *de necessitatibus meis educ me.* Non destruit ergò Augustinus nisi Pelagianam ad utramlibet contrariorum partem Libertatem, scilicet naturalem tam proclivem in bonis quam in malis, inimicam Christo & medicinali ejus gratiæ.

ARGUMENTUM XI.

Ex Cap. 9. pag. 470.

PEccatum definierat Augustinus: *Est voluntas retinendi vel consequendi quod justitia vetat, & undè liberum est abstinêre.* „ *Definitionem istam tamquam bellissimam & Pelagianorum principio congruentissimam avidissimè arripuit. Julianus* „ ô! *Lucens*, inquit, *aurum in stercore! quid verius, quid plenius dici à quoquam vel orthodoxo potuisset?* " *Hinc ergo confici invictissimè volebat, nihil habêre posse peccati rationem nisi esset in potestate voluntatis ab eo abstinêre, quod faceret . . hæc & hujusmodi repetit ad fastidium inculcatque Julianus... Augustinus è contrario sæpissimè constantissimèque docet jam post lapsum ante adventum gratiæ ità peccatum à voluntate committi, ut ab eo abstinêre non sit amplius liberum: sic ei respondet* „ *hîc peccatum definitum est quod tantùmmodò peccatum est, non quod etiam pœna peccati. De hoc quippe agendum fuit, quando origo mali quærebatur. Ipse est Adam*, quem definitio ista nostra, quæ tibi placuit, intuebatur. Hanc solutionem habet cap. 154. & lib. 2. cap. 114.

L. 1. op. post. cap. 45.

pag. 471.

cap. 178.

REFUTATIO.

AUgustinus maximè propter peccatum originale, de quo præcipua concertatio hîc est, ità exponendum duxit definitionem suam. Et quamquam alia peccata, quæ sunt præcedentium

dentium ſupplicia peccatorum, non videatur hâc definitione velle complecti, id non facit ob inevitabilem, quâ perpetrentur, neceſsitatem, ſed quià non eâ, quam primus homo habuit, abſtinendi facilitate ac poteſtate committantur: quià natura jam ſana non eſt, & medicô indiget, & â neceſsitatibus liberari poſtulat. Atque ità non habet eam, quam Pelagiani prætendebant naturalem cavendi peccatum liberratem ante Gratiam liberantem.

Nam quod ad actualis peccati rationem Auguſtinus ipſe concedat Pelagianis illud: *cavêri poteſt*, liquet ex ſæpè citatis Libris de *naturâ & Gratiâ* & de *Perfectione Juſtitiæ*. Et ſic rurſus illa neceſſitas oppoſita Pelagianæ libertati non patrocinatur Janſenianæ *neceſſitati*, id eſt *immutabili* quam peccato minimè nocituram conſtanter aſſeverat: nam licèt Auguſtinus libro de *Perfectione Juſtitiæ* cap. 4. dicat: *Jam pœnalis vitioſitas ſubſecuta ex libertate fecit neceſsitatem*; Ut oſtenderet, non eſſe omnimodam & ineluctabilem, ſubjicit: *Unde ad Deum clamat de neceſsitatibus meis educ me.* Et quid invictius contrà immutabilem peccandi neceſſitatem proferri poſſet quam quod idem Doctor Pelagio reſpondet librô de natura & Gratia: *Deum juſtum & bonum impoſsibilia non poſſe præcipere?* Nam quod inevitabili neceſsitate committitur, ab eô procul dubio abſtinêre foret impoſsibile.

ARGUMENTUM XII.

Lib. 4. de ſtatu nat. lap. cap. 25. pag. 665.

Non veretur dicere Auguſtinus quod Angeli boni perpetuâ Juſtitiæ tenendi voluntate Deum promerentur. Si ergo neceſsitas ex hypotheſi non repugnat actibus laudabilibus, nec libertati voluntatis ex quâ fluunt, non eſt ratio cur ſimilis neceſsitas ex hypotheſi damnabilibus actibus adverſetur.

RE-

REFUTATIO.

ARgumentum nimium probat: nempè quod in Patria verè mereantur. Merentur ergò non novô meritô sed continuatô seu non retractatô scilicet eô, quod in viâ habuerunt dum libertatem contradictionis habuêrunt. Similiter & mali Angeli in damnabili meritô persevêrant, licet novô titulô non mereantur per ea quæ inevitabili necessitate volunt, aut nolunt mala. Quod si hanc necessitatem demeriti rationi non officere dixeris, sed statum; ægrè conficies de facto, & per omnem æternitatem dæmones damnatosque pœnas suas novis demeritis non accumulaturos. Sed de hoc aliàs.

ARGUMENTUM XIII. Ibid.

PEccati damnabilis ratio, sicut & laudabilis benefacti ab arbitrij libertate dependet. Jam autem secundum etiam Recentiorum Theologorum sententiam, certum est actum aliquem bonum posse esse liberum libertate, de quâ ipsi loquuntur, quamvis ex aliqua suppositione jam fiat necessariò, & voluntas quæ eum producit, ab eo producendo abstinêre non possit. Sic enim videmus actum divinæ voluntatis ex hypothesi quod ad eum se liberè determinaverit, non amplius posse retractari: ex quo fit, ut quidquid ad extrà facere reipsa jam ab æterno decreverit, & elegerit, necessarium sit ut fiat. Sufficit enim ad ejus libertatem, ut liberrimè se ad eum Deus ab æterno determinaverit, ratione cujus determinationis semper actus adhuc liber est & semper erit.... quidquid autem agunt dæmones, hoc agunt ex illo primo amore sui, quô ceciderunt, velut cardine quorumcumque motuum quibus agitantur.

RE-

REFUTATIO I.

DEus etiam laudabilis est, propter ea, quæ ante omnem hypothesim necessariò agit: *Laus enim est voluntatis divinæ, quod Deus seipsum negare non potest*, hoc est, ab amore veritatis & æquitatis suæ deficere non potest, ut docet Augustinus; ergò si ob laudem divinorum operum extrà promanantium, colligi possit meritum aut demeritum humanorum aut Angelicorum actuum ex hypotheticâ necessitate factorum; poterit & demeritum ex necessitate immutabili licet non hypoteticâ profectum defendi, quod tamen inficiatur Jansenius capite citatô sub finem: ubi lucidè docet, quod si Angeli fuissent sic ab initio voluntariâ necesitate constricti, non peccassent. Ubi licet effugium aliud captet à libertate distinctum; non effugit tamen vim argumenti, quod ipsemet ex Augustino Pelagianos revincente depromptum nobis opponit. Frequentissimè namque objicit quòd Augustinus Juliano libertatem contradictionis ad meritum & demeritum postulanti reposuerit libertatem Dei, non quâ mundum condidit & alia in tempore gessit necessitate voluntariâ ex hypothesi, scilicet liberæ determinationis æternæ, sed quâ seipsum diligit qui seipsum negare non potest. Non igitur omnia quæ in laudem Dei referuntur, ad meritum creaturæ, quæ nunc in viâ, nunc in termino statum ac libertatem variat, transferuntur.

REFUTATIO II.

AB immutabili Dei voluntate, qui semper idem est, & cujus actiones non multiplicatis effectibus, qui ab unâ æternâ determinatione divinæ bonitatis liberè promanare noscuntur, semperque eandem laudem promerentur, non rectô tramite ad humana vel Angelica merita consecutio profluit. In Deum merita non cadunt, sed infinita præconia, etiam propter alia bona immutabilia. Laudamus & Angelos, & beatas animas; nec ideò nova merita recensêmus. Detestamur & damnatos spiritus, nec ideò novi reatûs pœnas damus. Ità laudabilia possunt esse facta ista hypothetica, non tamen meritoria, nisi continuatô meritô, sicut ratiocinandum venit de his, quorum voluntas non modò laudatur pro tempore quô liberè operatur, sed etiam quô continuatur, seu non retractatur. Quià nempè tum, licèt cessante merendi libertate, persevêrat & cohëret radici opus ipsum quod indè proficiscitur. Novum autem meritum agnoscere, dum necessitas ipsa immutabilis est, nec Augustini authoritas sinit, nec Ecclesiæ definitio. Et quidem si de necessitate sine hypothesi quæstio sit, Jansenius ipse damnatam à Pio V. & Greg. XIII. tum obtinêre censet, quæ sic sonat: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessariò facit*: Negat autem de necessitate illâ hypotheticâ.

REFUTATIO III.

CUm Jansenius ità scrupulosè hîc videatur velle restringere ad necessitatem ex hypothesi, id est, eam quæ ex libérrimâ determina-

tione fluit; v. g. quâ Deus se determinavit ad redimendum mundum, Angeli mali ad deserendum incommutabile bonum; quid igitur censendum foret de homine baptizatô, juxtà principia Jansenii justè à Deo desertô, qui peccat Deum non diligendo, credendo, sperando, &c. & posteà totâ vitâ pariter relictus omnia præcepta transgreditur, maximè si supponitur immutabili necessitate voluntariâ constrictus ad peccandum? Tunc enim non reperitur necessitas ex liberâ determinatione progenita, sed primigenia. Talisne homo totâ vitâ sibi pœnas mereretur, & in inferno, nî status obesset, majores in æternum sibi accerseret?



LIBER QUINTUS

De quartâ Ianseniânâ eôdem Africanô Sole perustâ.

Propositionis quartæ prima pars historica sic sonat.

Semi-Pelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei.

CAPUT PRIMUM.

In quo ostenditur prima pars propositionis quartæ quoad sensum naturalem & obvium legitimè excerpta ex libro Cornelii Ianseni, cui titulus: Augustinus, & per Augustinum refutata.

SECTIO PRIMA.

Prima pars quo ad gratiam interiorem ad initium fidei Semi-Pelagianis adscriptam ex Cornelii Jansenii Volumine sese obviam facit.

IAnsenius lib. 7. de hæresi Pelagianâ cap. 2. Massilienses seu Semi-Pelagianos inter se dispescit. „ *Quidam enim*, inquit, *solo primò tenuissimoque auspicandæ vitæ initiô sibi reservatô nihil prorsùs* pag. 339.

ad salutem progredi hominem posse, sinè vera Dei gratia constanter libenterque fatebantur: alii per NATURAM *gratuitò in creatione datam ad bonum & malum prorsùs indifferentem esse, & accedente prædicationis ac doctrinæ adjutoriô perfectam justitiam assequi posse cum Pelagio delirabant. Quæ differentia Massilienſium etiam in ipso videtur ortu contigisse, & à Prospero in Epistola ad Augustinum observata: in qua cum quorundam Semi-Pelagianorum sententiam retulisset, qui omnium minimè exorbitaverant, alios deteriores notans sic dicit:* „ *Quidam verò horum in tantum à Pelagianis semitis non declinant ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur &c. ad conditionem hanc velint uniuscujusque hominis pertinêre.* S. Prosper.

Et infra: „ *Et* QUANTUM QUISQUE AD MALUM, *tantum habeat facultatis* AD BONUM, *parique momento animum se vel ad vitia, vel ad virtutem movêre:* „ *Quo sanè deteriùs nihil umquam Pelagius dixit, neque majores homini ad justitiam vires dedit, ut ex verbis Pelagij libro de gratia Christi consignatis & ex Epistola ad Paulinum ab Augustino scriptâ clarum est. .. Nam quamvis isti vitium originale faterentur, tantam tamen libertatis integritatem, tantasque ad benè vivendum vires istis verbis remansisse significant, quantam vix Pelagius hominibus sinè ullâ peccati labe nascentibus tribuebat.* Ianſ.

Quidquid sit de discrimine illô, liquidò constat, Auctore Jansenio, Semi-Pelagianos saltem aliquos tantam libertatis integritatem tantasque vires homini post lapsum non concessisse, sed aliquam interiorem gratiæ opem necessariam, etiam ad initium fidei, asseruisse. Probatur id primò ex libro 8. de hæresi Pelagiana cap. 6. ubi postquam proposuerat, utrùm præterea internam aliquam gratiam illi superstiti libertati ad credendum necessariam esse sentiant,

tiant, & perplexiorem esse difficultatem observârat, Recentioresque putare extrà controversiam esse debêre, quod omne auxilium actualis internæque gratiæ penitùs pernegaverint, quod & nos dicimus infrà plenè probaturi. Ipse mentem suam oppositam pandit: *Itàque Massiliensium opinionibus, & Augustini doctrinâ quam diligentissimè ponderatis, certum esse & indubitatum esse debêre sentio, quod Massilienses præter prædicationem atque naturam, veram etiam & internam & actualem gratiam ad ipsam etiam fidem, quam humanæ libertatis & voluntatis adscribunt viribus, necessariam esse fateantur*; & infrà eôdem capite: *in eô ergò propriè Massiliensium error situs est, quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant, quô sicut Adam, si voluisset, poterat perseveranter operari bonum, ità lapsus homo saltem credere posset, si vellet: Neuter tamen absque interioris gratiæ adjutorio, cujus usus vel abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio & potestate. Non enim excluisse Massilienses ab illa credendi voluntate gratiam, quæ interiùs adjuvaret, vel indè solum, etsi nihil aliud expressius dicerent, perspicuum esse potest, quod frequenter non minùs Prosper quam Augustinus eorum sententiam, quâ hominem suâ naturali possibilitate seu libertate, seu naturâ credere & velle posse censebant, in Angelis & Adamo, non autem in lapsis hominibus veram esse fateantur.*

L. 8 de hær. Pelag. c. 6. pag. 457.

pag. 462.

Secundò probatur ex cap. 8. ubi exertè dicit: *Quod internam illam gratiam, sinè quâ creatura rationalis nihil prorsùs boni potest, Massilienses etiam ad credendum, petendum & quærendum admiserint, ex ipso Augustino quoque non difficilè demonstrari potest.*

cap. 8. pag. 473.

Et sub finem capitis: *in hoc ergò propriè Massiliensium & Augustini error situs fuit, quod Angelorum Sanctorum & stantis hominis adjutorium, in*

pag. 477.

intelligendo & admittendo nulla penitùs ipsis difficultas fuit, etiam lapsis hominibus hactenùs sufficere voluerint, ut quià non penitùs esset depravata vel exstincta natura, cum illo eodem auxilio perdurante, quo anteà in Adamo cuncta poterant, postèà etiam nunc lapsi fracti & ægri salutem credere & suâ infirmitatè velle sanari. Nec opus esse, ut per illam aliam gratiam ægrotis propriam, quam Christus attulit, ipsa credendi voluntas donaretur.

Similia repetit frequenter in hoc libro. Item lib. 3. *de grat. Christi Salv.* cap. 1. Ut proindè prima pars propositionis Jansenium vel obiter pervidenti in oculos insiliat. Itèque ulteriori probationi supersedendum, satiusque reor hujus partis falsitatem, quam ut talem Romana censura habet, evictam dare. Itàque sit

SECTIO II.

Ostenditur Semi-Pelagianos non admisisse interioris Gratiæ necessitatem ad initium fidei per exemplum S. Augustini in eôdem adhuc errore versantis.

SEmi-Pelagiani, contrà quos Prosper & Hilarius Augustinum informârunt, & ad refellendum excitârunt, idem sensêrunt de libertate naturali ad credendum, quod ipse Augustinus etiamnum errori subditus; sed Augustinus tum censuit nullam internam ad credendum gratiam actualem esse necessariam, ergò similiter semi-Pelagiani.

Assumptum est ipsiusmet Augustini attestantis: *Videtis quid tunc de fide atque operibus sentiebam, quamvis de commendanda Dei gratia laborarem.* IN QUÂ SENTENTIÂ ISTOS *fratres nostros* (Semi-

L. de Prad. cap. 4.

mi-Pelagianos) *esse nunc video, quià non sicut legere libros meos, ità etiam in eis curaverunt proficere mecum. Nam si curassent, invenissent istam quæstionem secundum veritatem divinarum scripturarum solutam in primo libro duorum, quos ad beatæ memoriæ Simplicianum scripsi Episcopum Mediolanensis Ecclesiæ Sancti Ambrosij Successorem in ipso exordio Episcopatûs mei.*

Quod autem Augustinus in illô erroris sui statu sinè gratiæ internæ adjutoriô se credere posse autumaverit; ipse etiam disertè satis confitêtur, asserens se solam *prædicationem veritatis vice gratiæ* ad credendum necessariæ suscepisse. *Neque enim fidem*, ait, *putabam Dei gratiâ præveniri, ut per illam nobis daretur quod poscheremus utiliter; nisi quià credere non possemus, si non præcederet præconium veritatis.* Et totum beneficium gratiæ, quâ fidem ratus est præveniri, *Præconium veritatis arbitrabatur.* Proindè internam omnem gratiam volebat non esse necessariam ad credendum. Et ideò in vim illius sui erroris dici potuisse: *Nostrum est quod credimus*, ut liquet ex verbis subsecutis: *Ut autem prædicatô nobis Evangeliô consentiremus, nostrum proprium, & nobis ex nobis esse arbitrabar.* cap. 3.

Eadem ergò Semi-Pelagianis stetit sententia, de quibus idem Sanctissimus Doctor scribit ejusdem libri cap. 2. *Qui divina Testimonia, quæ de hâc re adhibuimus, ad hoc dicunt valêre; ut noverimus ex nobis quidem nos habêre ipsam fidem, sed incrementum ex Deo.*

Hæc autem phrasis *nostrum est*, ut Pelagiana ab Augustino gratiam melius edocto, & in Pelagio & Celestio ab eodem reprobata fuit, utpotè interioris gratiæ exclusiva. *Nostra est victoria, aiebat, sicut è contrario nostrum est, quod convincimur, quoniam armari propriâ voluntate contempsimus.* Sic autem locutus est Celestius ut divinum L. de Gestis Pelag. c. 18.

excluderet adjutorium Capitulô decimô: *non esse liberum arbitrium, si divinô egeat auxilio.*

Pelagiùs rursùs *lib. de nat. & grat.* apud Augustinum: *Quod non peccare nostrum sit.* Ad quod Augustinus: *si de integra & sana natura loqueretur, quam modò non habemus.., nec sic rectè diceret, quod non peccare nostrum tantummodò sit: quamvis peccare nostrum esset, nam & ibi esset adjutorium Dei, & tamquam sanis oculis, quô adjuti videant se præbêre volentibus. Quià verò de hâc vitâ disputat, ubi corpus quod corrumpitur aggravat animam, & deprimit terrena habitatio sensum multa cogitantem, miror quô corde etiam sinè adjutorio medicinæ Salvatoris nostri* NOSTRUM *putat esse non peccare.* Atqui Augustinus in suô adhuc errore constitutus palàm edixit: *nostrum tantummodò esse credere*; ergò tum Pelagianô colore tinctus erat.

De nat. & Grat. c.48.

Subsumptum produnt, quæ de gratiâ ad credendum à se admissâ ipse profitêtur, nempè externâ solâ, ut exponit: *nisi quià credere non possumus, si non præcederet præconium veritatis,* (Quod Pelagius ipse concessit) Ergò dum Augustinus dixit: *Credere nostrum est*, sinè adjutoriô Dei internô nos credere posse credidit. Similiter ergò & illud: fidem à *nobis esse ex nobis* sic intellectum volnêre, ut præter externam gratiam ad credendum nullam gratiam necessariam esse existimârent.

Nequè Prætereundum, quod Augustinus respondeat Prospero & Hilario Semi-Pelagianorum Delatoribus. Inter eos autem, ut sectione primâ Jansenio referente audivimus, saltem aliqui erant, qui à Pelagio in hâc parte non dissidebant, & consequenter solô præconiô veritatis laudem gratiæ concludebant; si ergò Augustinus existimasset interioris gratiæ velut Adamææ opem ad initium fidei desiderari; Quomodò gene-

generaliter respondisset de Massilienſibus à Prospero & Hilario sibi delatis agens, se in eâdem sententiâ cum illis olim exorbitasse? debuisset namquè, ut Jansenius facit, Massilienses inter se dispescere, id est, eos, qui à naturâ solâ, & aliòs qui ab illâ per gratiam primi statûs adjutâ fidem elici posse credidissent. Argumento ergò est, & quod Augustinus ad Pelagianum dogma utrosque accedere senserit, & se quoque ab errore istô olim non dissensisse.

Generalis est autem concordia, quâ se errantem illis nectit: *in sententia istos fratres nostros esse nunc video.* Qui nullos excipit, omnes sibi pariat. Jansenius non inficiatur Massilienses, saltem aliquos gratiam internam ab initiô fidei ablegasse & cum Pelagio errasse; igitur Augustinus similem se errorem tenuisse consentiens, quem semi-Pelagianis proprium Prosper & Hilarius transcripserant, fidem ab interioris gratiæ adjutoriô se subduxisse affâtim judicandum reliquit.

SECTIO III.

Ianſenij Argumenta ab Auguſtini exemplô contrà allegatum exemplum producta ſolvuntur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Jansenius lib. 8. De hæresi Pelag. cap. 8. arguit ex Augustino lib. 83. q. q.

Occurrit liber 83. q. q. quem à primô tempore suæ conversionis se dictasse, & cum Episcopus esset, in unum volumen colligi jussisse testatur. In pag. 473. *hujus libri à sexagesimâ octavâ quæstione eôdem modô de fide diserit, ut in expositione quarumdam pro-*

positionum Epistolæ ad Romanos, quam quià perpetam in eâ de fide & oratione locutus fuerat, ipsemet accuratâ oratione retractat. Et tamen in eâdem ipsâ quæstione agnoscit Deum non solum extrinsecùs admonendo, sed etiam intrinsecùs vocando ipsum velle operari. „ *Quoniam*, ait, *nec velle quisquam potest, nisi admonitus & vocatus*, *sivè* INTRINSECÙS *ubi nullus hominum videt, sive extrinsecùs per sermonem, aut per aliqua signa visibilia efficitur, ut etiam ipsum velle Deus operetur in nobis.*

Aug.

REFUTATIO.

ARgumentum probat etiam ipsum Pelagium admisisse internam gratiam, utpotè qui *illustrationes* & *revelationes* internas gratiæ nomine dignatus est: nam ut se ab ejuratæ gratiæ invidiâ vindicaret, hunc sibi objectum Apostoli locum: *Deus enim operatur in nobis velle*, ità expo-nit: *Deus operatur in nobis velle quod bonum est, velle quod sanctum est, dum nos terrenis cupiditatibus deditos ... futuræ gloriæ magnitudine, & præmiorum pollicitatione succendit; dum revelatione sapientiæ in desiderium Dei stupentem suscitat voluntatem.*

Aug de gra. Christi c. 10.

Potest ergò ista interna vocatio hujus indolis Augustino visa esse, ut revelationi componi posset. Nec obstat, quod dicat Deum *velle operari*: adeòque majorem vim Gratiæ exprimat; quià erranter hoc dicit sicut & ipse Pelagius: nam illud *velle operatur*, ut Augustinus posteà contrà Pelagianos & Semi-Pelagianos satiatissimè inculcat, non cuicumque sed efficaci Gratiæ tribuendum venit. Dici verò nequit Augustinum initiô conversionis suæ necessitatem efficacis Gratiæ admisisse ad primam bonam voluntatem, quomodô enim libro *de Prædestinatione SS.* cum Semi-Pelagianis se sensisse referret, quos necessitatem saltem gratiæ per se efficacis non admisisse, nec ipse Jansenius inficiari potest? in quô enim tum error eorum consisteret?

AR-

ARGUMENTUM II.

NEc minus perspicuè istud adjutorium Dei asserit in libro de quantitate animæ, qui Romæ statim à Baptismo scriptus est: *hâc autem actione* (quâ reformatur anima ad imaginem Dei) *nihil mihi videtur operosius & nihil esse cessationi similius, nequè tamen eam suscipere aut implêre animus potest, nisi eô adjuvante cui redditur.* „*Ecce nec suscipere reformationem animi quisquam potest, quod primâ credendi voluntate constat fieri, nisi adjuvante Deô, non propter ignorantiam quæ scientiæ illustratione pellitur, sed propter difficultatem, quæ conatibus animi pertinacissimè reluctatur.* *L. de quant. anima c. 28.* *Iansf. p. 474.*

REFUTATIO.

QUid hoc est aliud quam caligine velle lucem vincere, vel Augustinum secum committere, qui luce clarâ rutilantibus verbis confessus est & non negavit, se non credidisse ad credendum præveniri hominum voluntates aliâ ratione, quam quiâ *præcederet præconium veritatis?* Se existimasse quod *sufficientes simus ex nobis ad cogitandum, quod nostrum sit credere?* Proindè adjutorium illud ad reformationem animi requisitum, ut tum Augustinus sentiebat, non erat nisi Pelagianum vel externum in præconio veritatis, vel internum in *revelatione sapientiæ consistens*, quod à Doctrinæ adjutoriô non degenerabat.

ARGUMENTUM III.

QUid enim aliud significat in libro de beatâ vitâ: *Admonitio quædam, quæ nobiscum agit, ut Deum recordemur, ut eum quæramus, ut eum pulsô omni fastidio sitiamus, de ipsô ad nos fonte veritatis emanat. Hoc interioribus luminibus nostris jubar sol ille secretus infundit.*„ *Nonne perspicuè edo-*

Iansſ. Ibid *edocet, & ipſum recordari, adeòque quêrere Deum quod noſtrum eſſe antè Epiſcopatum credidit, fonte veritatis ſimul intùs infundente, & ut ſuprà loquitur, jam Deo adjuvante produci?*

REFUTATIO.

ADmonitiones & ſuaſiones internas non ſunt inficiati etiam Pelagiani, nec per hoc gratiæ inimici eſſe deſtitêrunt, licèt eas velut adjutoria voluntatis extollerent. Quod *ſi ſitire fontem veritatis à fonte veritatis infunditur*, quid *aliud quam* efficax gratia aſſeritur? Ergône Auguſtinus antè baptiſmum non modò gratiæ internæ, ſed & gratiæ efficacis Aſſertor fuit? Igitur in errore non fuit, quem ipſe fatêtur.

ARGUMENTUM. IV.

pag. 477. *ABſit ut umquam tantus Doctor hominem lapſum tot infirmitatibus circumdatum, tot vulneribus mortuum, ſtante homine ipſiſque Angelis integerrimâ ſanitate fruentibus fortiorem eſſe deliraverit, ut quod iſtos ſinè divino adjutorio nullô modô efficere potuiſſe profitêtur, hoc ſuis ſolius viribus illum præſtare poſſe judicaverit. Omninò ſemper ad omnem omninò bonam voluntatem, quâ Deo creditur, Deus rogatur, ſanitas petitur, gratiam Dei & adjutorium faßus eſt, non modò Adamo & Angelis, ſed maximè infirmis hominibus eſſe neceſſarium.*

REFUTATIO.

CONjecturis hîc locus non eſt. Auguſtinus ſui interpres & teſtis abundè ſufficit. Fatêtur, ſe non aliô modô præveniri voluntates ad credendum exiſtimaſſe, niſi quod *præcederet præconium veritatis:* ceteroquin noſtrum *eſſe credere ex nobis à nobis.* Quod de Angelis ac homine ſtante ei tùm judicium fuerit, quis nobis ediſſeret?

Pro-

Procul dubiô quod infirmis negavit, sanis ac stantibus non impertiit. Non valet consecutio ab Augustino gratiam utriusque statûs apprimè edocto, ad Augustinum adhuc errantem. Quid de statu naturæ integræ, quid de lapsæ senserit, jam doctior factus expressit. Quid Adamo, & Angelis errabundus vel cogitaverit, nullis indiciis consignavit.

SECTIO IV.

Semi-Pelagianos non agnoviße necessitatem interioris gratiæ ad initium fidei probatur ex Argumentis S. Austini contrà eosdem adductis.

QUod inimicis Gratiæ Dei ingratissimis Augustinus & Ecclesia Catholica semper objêcit: *Gratiam Dei* (juxtà illos) *secundùm merita nostra dari*, utpotè quod ex eorum errore profluebat: Id quoque Augustinus Semi-Pelagianis initium fidei à nobis esse asseverantibus intorsit: *Quid est ingratius, quam negare ipsam gratiam Dei dicendo, eam secundùm merita nostra dari? Quod in Pelagianis fides Catholica exhorruit, quod ipsi Pelagio Capitale crimen objecit, quod ipse Pelagius, non quidem amore veritatis, sed tamen suæ damnationis timore damnavit. Quisquis autem dicere gratiam Dei secundùm merita nostra dari, sicut Catholicus fidelis exhorret, nec ipsam fidem subtrahat Dei gratiæ, quâ misericordiam Dei consecutus est, ut fidelis esset.* De Bono Perseu. c. 21.

Et l. *de Prædestinatione Sanctorum: Videte si aliud agitur istô modô, nisi ut gratia Dei secundùm merita nostra datur quolibet modò, ac sic gratia jam non sit gratia. Redditur namque hoc pacto debita, non donatur* l. de Prad. cap. 2.

tur gratis: debetur enim credentibus ut à Domino fides debita augeatur, & sit merces fidei cæptæ fides aucta. Nec attenditur cum hoc dicitur, non secundum gratiam, sed secundum DEBITUM ISTAM MERCEDEM *credentibus imputari.* Rationem præmiserat: *Quis enim dicat eum qui jam cæpit credere ab illo in quem credidit* NIHIL MERERI? *Ut jam merenti cætera dicantur addi* RETRIBUTIONE DIVINA, *ac per hoc gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod objectum sibi Pelagius, ne damnaretur, ipse damnavit.*

Lubet hoc contrà Jansenium Argumentum formare: Illud *Gratiam Dei secundum merita nostra dari* hæreticum assertum Semi Pelagianis improperatum est ab Augustino, sicut olim Pelagio, vel non: id ire inficias vetant omnia contra Semi-Pelagianos ab Augustino jam jam vehementer intorta & inculcata. Si ità; ergò Semi-Pelagiani docebant merita à solis arbitrii viribus promanare, adeòque naturali fidei initio fidei incrementum obtinêri, sic ut *fides aucta esset merces fidei cæptæ*, sed naturalis sine adminiculo interioris gratiæ elicitæ. Si namque ad initium fidei gratiam illam necessariam admisissent, potuissent se abillo Pelagianô effatô facilè vindicare, respondendo se à Pelagio longè dissidère, eô quod ille gratiam omnem bonæ voluntati necessariam negaret, ac soli libero arbitrio merita gratiæ attribueret; Semi-Pelagiani autem asseverent per naturam Dei adjutoriô munitam fieri, ut fides inciperet & cæpta incrementum mereretur. Adderent quoque Semi-Pelagiani non esse pelagianum, mercedem tribuère operibus partim à natura partim à divino adjutoriô profectis, cum ipsemet Augustinus disertissimè de beatitate stantium Angelorum pronuntiet: *Facta est merces meriti.* Et de Adamo

L. de Correp. & Grat. c. 11.

si

si perseverare voluisset: *Cujus meritum fuisset si permanêre voluisset.* Existimat namque Jansenius Semi-Pelagianos gratiam Adamæ similem ad initium fidei necessariam postulasse.

Poterant itàque, hôc positô, Semi-Pelagiani Augustini tela confringere armis propriis. Poterant quoque à Pelagiani erroris invidia se liberare dicendo: non aliud nos meritum agnoscimus in fide nostrâ initiali, vel in oratione, quâ medicum invocamus, quam tu Augustine in Angelis admisisti. Si enim illi cum gratia potuerint beatitudinem pleniorem emerêri, quidni nos majorem gratiam, *ut fidei cæptæ merces sit fides aucta?* Ne mirêre ergò, quod dicamus meritô credulitatis alia dona pietatis, continentiæ, patientiæ, &c. quæ inter fidem & perseverantiam media sunt, sine periculô incidendi in illud damnatissimum, *Gratiam Dei secundum* merita *nostra dari*, nos promerêri, sed non sinè gratiâ eâque internâ; atque sic nos à Pelagianis discriminamus, qui solâ naturâ duce, exceptô præconiô veritatis, hominem *credere, petere*, & *quærere* Deum posse dilirârunt.

Alterum argumentum suppeditat Augustinus, dum Semi-Pelagianos ab insufficientiâ bonarum cogitationum impetit sic arguendo: minus est præcogitare quam credere; sed cogitare non sumus idonei ex nobis; ergò multò minùs credere. Nam si internam gratiam admisissent, bonam cogitationem, quæ bonam voluntatem præire solet, non dixissent esse quasi ex nobis, utpotè divinô juvamine fultis.

Tertium ex eô petitur, quod Augustinus omnem rationem meriti submoveat ab illa initiali Semi-Pelagianorum fide, seu voluntate credendi, quam proindè supponit esse merè naturalem in sensu eorum; eosque impugnet sicut Pelagianos

gianos. Sicut enim contrà Julianum dixit : *Quâ gratiâ homo ille* (Christus) *ab initio factus est bonus, eâdem gratiâ homines, qui sunt membra ejus, ex malis fiunt boni* : Ità Semi-Pelagianis objicit : *eâ gratiâ fit ab initio fidei suæ quicumque Christianus, quâ gratiâ homo ille ab initio suo factus est Christus.* Quod repetit lib. *de dono persev.* cap. 24. Cui argumento id etiam suffragatur, quod Semi-Pelagiani à sua initiali fide & voluntate credendi, itemque desiderio salutis ac sanitatis rationem meriti semper studeant amoliri, ut Pelagianæ luis suspicionem declinent. Quod facere non tenebantur, si interioris gratiæ necessitatem ad initia ista bonarum voluntatum admitterent, eò quod tum poterant ab inflatoribus liberi arbitrii utcumque sese discernere, sicut discreverat se Augustinus per adjutorium sinè quo non, quod tribuit naturæ sanæ ac stanti.

L. 1. op. post cap 138.

De Prædest. cap. 15.

Quartum ex eô, quod Vitalem Carthaginensem quem à Semi-Pelagianô errore revocare conatur, & à damnatô Pelagii dogmate non dissidêre declarat. Vitalis sententiam primò refert Ep. 107., Atquè imprimis exponentem illud Apostoli : *Deus operatur in vobis velle, per legem suam, per Scripturas suas Deum operari ut velimus, sed eis consentire vel non consentire nostrum est, ut velimus, fiat. Item: Operatur quippè ille, quantùm in ipso est ut velimus, cum nobis nota fiunt ejus eloquia : sed si eis acquiescere nolumus, nos, ut operatio ejus nihil in nobis prosit, efficimus.* Et illud Psalmi sic interpretetur : A DOMINO GRESSUS HOMINIS DIRIGUNTUR, *si enim lateret cum Doctrina Dei, non dirigerentur gressus ejus, quibus directis vellet viam Dei.„ Ac per hoc tantum putas à Domino gressus hominis dirigi ad eligendam viam Dei, quià sinè Doctrina Dei non potest ei innotescere veritas, cui propriâ voluntate consentiat,* inquit Augustini

Vitali.

Vitali. *Cui si consentit, inquis, quod in ejus libero arbitrio constitutum est, rectè utique dicuntur ab illo dirigi gressus ejus, ut viam ejus velit, cujus doctrinam suasione præcedente, subsequente consensione sectatur, quod libertate naturali si vult, facit, si non vult, non facit, pro eò quod fecerit, præmium vel supplicium recepturus.* Quid ad hæc Augustinus?

Hæc est illa Pelagianorum mala, malè diffamata meritòque reprobata, & ab ipso etiam Pelagio timente in Orientalium Episcoporum judicio damnata sententia, quâ dicunt, Gratiam Dei non ad singulos actus dari, sed in libero arbitrio esse, vel in lege atque doctrinâ: Et usquè adeò, Frater, erimus graves corde, ut de Dei gratiâ, imò adversùs gratiam Dei eam Pelagianam sententiam teneamus, quam pectore quidem fictò, sed tamen Catholicos judices timens Pelagius ipse damnavit? . . . Quomodò dicitur gratia Dei in naturâ esse liberi arbitrij vel in lege atque doctrinâ, cum & illam sententiam Pelagius ipse damnaverit, procul dubio confitens gratiam Dei ad singulos actus dari, eis utique, qui liberò arbitriò utuntur? . . . Quomodò, ut detur gratia divina, voluntas meretur humana, si eis quibus datur, gratuitâ misericordiâ datur, ut vera sit gratia?

Hic præoccupatur argumentum Jansenij *l.8. de hæresi Pelag. c.* 9. Semi-Pelagianos ab errore Pelagiano vindicantis eò quod Augustinus non ut extraneos, sed ut *Fratres* eos conveniat. Vitalem namque Augustinus Pelagianismi manifestè insimulat, tamen & dicit: *Frater.* Semi-Pelagianos verò alios à Pelagiano errore non eximit l. de dono Persev. c. 24. dum ait: *Oremus dilectissimi, oremus, ut Deus gratiæ det etiam inimicis nostris, maximèque Fratribus & dilectoribus nostris intelligere & confitêri post ingentem & ineffabilem ruinam, quâ in uno omnes cecidimus, neminem nisi gratiâ Dei liberari;*

berari, eamque non secundum merita accipientium tamquam debitam reddi, sed tamquam veram gratiam nullis præcedentibus meritis gratis dari.

Quid erat orandum pro illis qui sinè gratiâ neminem credere posse credebant, ut vult Jansenius? Aut quomodò orandum ut intelligerent gratiam non secundum merita nostra dari, si existimassent gratiam ad initium fidei gratis dari? Vel si cum Pelagio non sentiebant naturam ante-ire gratiam, & per *naturalem* credendi *voluntatem* desideriumque fidei incrementum emerêri? Quæ comparatio admittentium necessitatem interioris gratiæ cum inficiatoribus seu Pelagianis potuit hanc invidiæ notam Semi-Pelagianis adlinere?

Nec obstat quod Aug. lib. de *dono Persev.* c. 17. dicat: *Neque enim Pelagiani sunt:* Et, *Nobiscum Pelagianum demoliantur errorem.* Quia significat eos per omnia illis non esse componendos, eò quod imprimis peccatum originale agnoscerent, item *nobiscum prædicarent dona Dei esse sapientiam, continentiam, patientiam &c.* Nam inter initium fidei & perfectionem perseverantiæ media sunt ista, quibus rectè vivitur, *quæ ipsi etiam donari nobis à Deo fide impetrante consentiunt*, inquit Aug. c. 21.

Interim de illorum errore scribit ad Augustinum S. Prosper: *Intelligant perventurum ad sectionem, quod habuerint perseverantem tumorem.*

Instat Jansenius: *Quamvis adversùs Augustini Doctrinam luctarentur, eamque præcedentibus Patribus, & Ecclesiastico sensui contrariam esse sentirent, solâ tamen Pontificis Celestini declaratione compressi sunt. Hinc est quod quamvis Prosper vulnus ad sectionem perventurum minaretur, si habuerint perseverantem tumorem, Massilienses tamen per nullam Ecclesiæ Sanctionem à fraternâ Societate divisi fuerint, cum, teste Prospero, adhuc sub Sixto Papa in Ecclesiasticâ communione persisterent.* Ref-

Ianſ. l. 8. de hæresi Pelag. cap. 9.

pag. 478.

Respondeo id nîl referre, quià Ecclesiastica disciplina aliquandò substringitur & paulisper dormire permittitur, dum multitudo & errantium & peccantium obviat, & aliâ viâ spes resipiscentiæ affulget, nimirùm per Scripta Doctorum & hortamenta Sanctorum, ut ipse Augustinus observat, & docet Aurelium Carthaginensem. Prætereà oportebat tantorum judices errantium virorum plenius informari priusquam damnarent: & à Communione removerent. Sed quià Celestini fecimus mentionem, ex illo etiam, quæ fuerint in Semi-Pelagianis ab eo correcta dispiciamus, ut errorem ipsum penitiùs assequamur.

SECTIO V.

Semi-Pelagianorum error negantium interioris Gratiæ necessitatem ex Celestini Papæ rescripto refulget.

SAnctus Celestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galliæ non modò comprimit temeritatem Augustini Doctrinam criminantium, sed insuper eorum ingenium erroresque oculis objectat, quos cupit juxtà Prædecessorum contrà Pelagianos sancita correctos. *Nonnulli*, inquit, *qui Catholico nomine gloriantur, in damnatis autem Hæreticorum sensibus seu pravitate sivè imperitiâ demorantes piissimis disputatoribus obviare præsumunt.* Ut autem ab errore resipiscant, indiculum Sanctionum contrà Pelagianum virus summittit. Quod utique non faceret, si à Pelagianorum semitis deviârent admittendo necessitatem gratiæ interioris ad initium fidei ac bonæ voluntatis, quam illi contentiosissimè ac perti-

naciſſimè pernegârunt, exceptâ lege, Doctrinâ revelatione. itàque

Cæleſtinus Papa c.3. Primò: declarat Pontifex: *Nemo niſi per Chriſtum libero benè utatur arbitrio.* Quod confirmat authoritate Innocentii I. ad Concilium Milevitanum reſcribentis.

cap. 8. Secundò Cap. 8. *Quod omnia ſtudia ad Dei gloriam ſint referenda: quià nemo aliundè ei placet, niſi ex eo quod ipſe donaverit.* Quod confirmat Authoritate Zozimi Papæ.

cap. 9. Tertiò: *Quod Sancta cogitatio, pium conſilium, omniſque motus bonæ voluntatis ex Deo ſit, quià per illum aliquid poſſumus, ſine quo nihil poſſumus.* Confirmat eâdem Authoritate.

cap. 11. Quartò; *Quod Patres piiſſimè docuerunt peſtiferâ novitatis elatione dejectâ, & bonæ voluntatis exordia, & incrementa probabilium ſtudiorum, & in eis uſquè in finem perſeverantiam ad Chriſti gratiam referre.*

Quintò: *Ut omnium bonorum affectuum atquè operum, & omnium ſtudiorum, omniumque virtutum, quibus ab initio fidei attenditur, Deum eſſe Authorem, & non dubitemus ab ipſius gratiâ omnia hominis merita præveniri, per quem ſit, ut aliquid boni & velle incipiamus, & facere.*

Ex his quis non eliciat, Semi-Pelagianos cum Pelagianis conſenſiſſe? Pontifex enim declarat eos *in damnatis hæreticorum ſenſibus demorari*, nimirùm Pelagianorum, contrà quos Sanctiones illæ Apoſtolicæ promanârant. Non erant Participes eorum in peccati originalis inficiatione, non in negatione gratiæ neceſſariæ ad vincendas tentationes, ad ſapientiam & patientiam; ergò ex eo, quod pia *ſtudia, conſilia*, fidei primordia ad ſolas liberi arbitrii vires referrent, *quod ſinè Chriſto benè quis libero uteretur arbitrio, credendo, petendo, pulſando.* Si namque ſinè Chriſti gratiâ nos credere & petere

petere posse non credidissent, ad illos non pertinuit: *Quod nemo nisi per Christum liberô benè utitur arbitriô.* Hoc ultrò dedissent, qui Christi gratiam necessariam esse non ambegissent, respondissentque Celestino: nos contrà Pelagianos Christi gratiam ad singulos actus interiorem necessariam esse admittimus, nos gratiam sinè meritis naturæ concedimus, nos omnem pium motum etiam fidei primordium divinæ gratiæ indigum concedimus, nos gratiam sinè quâ nec homo sanus stare potuit, infirmo & lapso non invidemus. Ut quid ad Pelagianorum erronea placita ablegas, qui tam longâ sensuum intercapedine à pestiferis damnatisque Pelagianorum novitatibus dissidêmus, & damnata in illis pariter damnamus? De efficaciâ tantùm gratiæ, non de necessitate concertatio nostra fervet.

SECTIO VI.

Sententia Semi-Pelagianorum uberiùs panditur per S. S. Prosperum & Hilarium S. Augustini de illâ informatores.

ANtè omnia S. Prosper se metuere significat Augustino, *Ne tam claris, tamque egregiis in omnium virtutum studio viris spiritus Pelagianæ impietatis illudat.* Dein quid sentiant Massilienses de initio fidei, expromit. *S. Prosper ad Aug.*

Primò, *Omnem hominem ad credendum, & ad operandum divinis institutionibus admonêri, ut de apprehendendâ vitâ æternâ nemo desperet, cum* VOLUNTARIÆ DEVOTIONI REMUNERATIO *sit parata.*

Itàque, quantùm ad Deum pertinet, OMNIBUS PARATAM VITAM *æternam, quantùm autem ad arbitrii libertatem, ab his eam apprehendi, qui Deo*

ſpontè crediderint, & auxilium gratiæ MERITO CREDULITATIS *acceperint.*

S. Hilarius ad Aug.

Similiter S. Hilarius refert eorum ſenſa: *ut cum proſtratis annuntiatur obtinendæ ſalutis occaſio,* EO MERITO, *quò voluerint, & crediderint à ſuo morbo ſe poſſe ſanari, & ipſius fidei augmentum & totius ſanitatis ſuæ conſequantur effectum.*

Et iterùm Proſper: *Ac ſic duo ſint quæ humanam operentur ſalutem, Dei ſcilicet gratia, & hominis obedientia. Priorem volunt* OBEDIENTIAM *eſſe quam gratiam, & initium ſalutis ex eo qui Salvatur, non ex eo credendum ſit ſtare, qui ſalvat:* & VOLUNTAS HOMINIS *divinæ gratiæ ſibi pariat opem, non gratia ſibi humanam ſubjiciat voluntatem.* Et Hilarius concinit: *Nullam ità depravatam naturam vel exſtinctam putant, ut non debeat vel poſſit* SE VELLE SANARI; PROPTER QUOD *vel ſanetur quis à ſua, vel ſi noluerit, cum ſuâ ægritudine puniatur. Nec negari gratiam, ſi præcedere dicatur talis voluntas, quæ tantùm medicum quærat, non autem quidquam jam valeat.* Nam illa teſtimonia, ut eſt illud: ſicut *unicuique partitus eſt menſuram fidei*, & ſimilia ad id volunt valêre, *ut adjuvetur* QUI CÆPERIT VELLE, *non ut etiam donetur, ut velit.*

S. Hilarius.

Hanc ſententiam Pelagianis Reliquiis accenſet S. Proſper dum pergit: *In iſtis Pelagianæ pravitatis reliquiis non mediocris virulentiæ fibra nutritur, ſi principium Salutis malè in homine collocatur; ſi divinæ voluntati humana præfertur, ubi quis adjuvatur, quià voluit, non ideò quià adjuvatur, velit, ſi originaliter malus receptionem boni non à ſummo bono, ſed à ſemetipſo inchoare malè creditur, ſi aliundè ei placetur niſi ex eo, quod ipſe donaverit.*

Contrà has Pelagianæ impietatis Reliquias Proſper ab Auguſtino præſidium flagitat: *ut quæ*

in

in istis quæstionibus obscuriora & ad percipiendum difficiliora sunt, quam fidelissimis expositionibus dignetur aperire, ac primùm, quià plerique non putant CHRISTIANAM *fidem hâc dissensione violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, patefaciat.*

Quod Augustinus planissimè plenissimèquè præstitit per binos Libros *de Prædest. SS. & de dono Perseverantiæ* honoris gratiâ Prospero & Hilario nuncupatos, in quibus sæpè asserit Massilienses à damnatô illô in Pelagiô: *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari*, non deviare, adeòque *fidem Christianam hâc dissensione* (utpotè Pelagianâ) *violari.*

Nequè obstat quod S. Prosper aliquos magis Pelagianizare referat, aliquos minùs: non enim in hôc stat summa discriminationis, quod aliqui internam gratiam admiserint ad initium fidei esse necessariam, aliqui negaverint; sed quod aliqui parem ad vitia & ad virtutes naturæ facultatem dederint, alii *verò ad nullum opus incipiendum, nedum perficiendum quemquam sibi sufficere posse consentiunt*, ut scribit S. Hilarius, & Augustinus repetit lib. de Prædest. SS. cap. 1. *S. Hilarius ep. ad Aug.*

Primi Generis Pelagianizantes describit S. Prosper: *Quidam verò horum in tantùm à Pelagianis semitis non declinant, ut cum ad confitendam eam Christi gratiam, quæ omnia præveniat merita humana, cogantur; ne si meritis redditur, fruſtrà gratia nominetur: ad conditionem hanc velint uniuscujusque pertinêre, in quâ eum nihil priùs merentem gratia Creatoris instituat, ut per discretionem boni & mali ad cognitionem* DEI, *& ad* OBEDIENTIAM MANDATORUM *ejus possit suam dirigere* VOLUNTATEM: *Atque ad hanc gratiam, quâ in Christo renascimur; pervenire per* NATURALEM *scilicet* FACULTATEM *petendo, quærendo, pulsando: ut ideò accipiat, ideò inveniat, ideò introeat,* *S. Prosper ep. ad Aug.*

troeat, quiâ BONÔ NATURÆ BENE USUS, *ad istam salvantem gratiam initialis gratiæ ope meruerit pervenire.* Et posteà: *Ut quantùm quisque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum,* PARIQUE MOMENTÔ *animum se vel ad vitia vel ad virtutes movêre, quem bona appetentem gratia Dei foveat, mala sectantem damnatio justa suscipiat.*

Fortè quis objicit S. Hilarium referentem Semi-Pelagianos ad illud: *Quid habes quod non accepisti,* Respondisse: hoc de hac fide dici non posse: *Cum in eâdem naturâ remanserit licet vitiatâ, quæ priùs sana atque perfecta donata sit.* In statu autem naturæ integræ ad fidem erat necessarium auxilium Gratiæ *sinè quo non*; non inviderunt ergò naturæ ægræ, quod concesserunt sanæ ad initium fidei. Videntur ergò admisisse reliquias gratiæ, saltem ad credendum in naturâ vitiatâ superstites remansisse. Sed respondetur

Primô, nullô indiciô constare, quod Semi-Pelagiani id, quod ex Augustino de gratia perseverandi, seu auxilio *sinè quo non* intellexerant, etiam ad fidem naturæ integræ extenderint: nam quod naturæ abjudicârunt lapsæ, non potuêrunt integræ & stanti non invidêre.

Quod autem dicant: *Cum in eâdem naturâ remanserit*, non indicat an sit naturæ donum, an Gratiæ naturæ insitum. Censuêre namque non usquè adeò vitiatam, quin suopte marte queat velle credere, velle *petere*, *pulsare*, &c. Aliud est porrò dicere, in *naturâ remansit*: aliud, ex *reliquiis Gratiæ* primògeniæ hoc saltem residuum est, quod credere velle, petere, pulsare fores Medici saltem valeamus. Hoc autem non exprimunt, sed magis naturæ patrocinantur; ergò.

Secundò Pelagianos, dum statum naturæ integræ à statu naturæ lapsæ discriminare moliuntur, supponere homines lapsos amissis

ac

ac perditis viribus credere posse, & *hoc tantum*: Quantum verò ad perseverantiam, in hoc distare omnium naturam à primo homine, *Ut illum integris viribus juvaret gratia volentem, sinè quâ perseverare non poterat; hos autem amissis, ac perditis viribus credentes tantum non solum erigat prostratos, verum etiam suffulciat ambulantes.* S. Hilarius.

SECTIO VII.

Argumenta Iansenij refutantur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex lib. 9. de grat. Christi Salv. cap. 11. pag. 938.

IN *hoc ponebant* (Massilienses) *differentiam, quod Adam cum illâ gratiâ, quam Augustinus tradit, posset perseverare volens, hoc est, si vellet: lapsi autem credere tantum: de cætero fractæ vires gratiâ Christi essent erigendæ.* Probat ex verbis jam citatis ex S. Hilario: *Hos autem amissis ac perditis viribus credentes tantum.*

REFUTATIO.

HIlarius non dicit: credentes per gratiam, de quâ antè egerat loquens de Adamo; sed amissis viribus scilicet ad se erigendum & sanandum, sat validis tamen ad credendum, deinceps per gratiam erigi, sicut initiô Epistolæ dixerat: *Ut cum prostratus & numquam suis viribus surrecturis annuntiatur obtinendæ salutis occasio; eô meritô quô voluerint, & crediderint à suo morbô se posse sanari, & ipsius fidei augmentum, & totius Sanctitatis suæ consequantur effectum.* Ep. ad Aug.

Quod si ly *credentes tantum* ad gratiam, & non ad vires naturæ referre lubeat, tum ad gratiam quæ erigit prostratos reduci oporteret juxtà sensum nativum & obvium, ac si diceretur: *Hos autem* (lapsos) *amissis ac perditis viribus credentes*

tantum gratia Christi non solum erigat prostratos, verum etiam sufficiat ambulantes, scilicet eadem Christi gratia: Quod à Semi-Pelagianorum mente longè deviat.

Et nonnè S. Prosper fidem *Gratiâ adjutam* à non adjutâ, id est, initium & augmentum Semi-Pelagianos dispescuisse memorat his lucidissimis verbis: *Qui autem crediturí sint, quive in eâ fide quæ deinceps per Dei gratiam sit juvanda, mansuri sunt, præscisse antè mundi constitutionem Deum, & eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos dignos futuros electione, & de hâc vitâ bonô fine excessuros esse præviderit.*

S. Prosper.

ARGUMENTUM II.

Ex lib. 8. de hæresi Pelag. cap. 9. pag. 482.

PAtet nullam Massilienses causam habêre potuisse, cur talem gratiam abjicerent, cum omnibus eorum querêlis accurratissimè satisfaceret, & hoc ipsum se satis intelligere faterentur.

REFUTATIO.

QUam ergò causam habuêre Semi-Pelagiani, qui, teste Prosperô, in tantùm à Pelagianis semitis non declinârunt, ut docuerint, ut quantùm *quisque ad malum, tantùm habeat facultatis ad bonum, parique momentô animum se vel ad vitia, vel ad virtutes movêre, quem bona appetentem gratia Dei foveat &c.*? Quam causam habuerunt internæ gratiæ ablegandæ Semi-Pelagiani, quos Jansenius ipse asserit, ut initiô hujus libri retulimus, ità liberum extulisse arbitrium, ut his nîl *perversius Pelagius eructaverit*? Et numquid Augustinus improperat, quod inconsequenter objiciant: per prædicationem Prædestinationis subverti exhortationes, orationes, dum admittunt *continentiam, patientiam esse do-*

na Dei ? Et quale monstrum, quod Pelagianis horrificum fuisset, commentum meritorum sub conditione tantùm futurorum ad elidendam parvulorum baptizatorum gratuitam electionem excogitatum ? Et à quibus, nisi à Semi-Pelagianis ?

Accidit ergò & illis illud humani, de quo Palladius in Spongia, quod per incogitantiam longius nonnumquam provehuntur quam capitalis dogmatis ratio postulat. Ideò fortasse omnem prorsùs gratiam fidei initio subduxêrunt, ut ne efficaci gratiæ appropiarent, & electioni ecundùm propositum Dei accedere viderentur.

ARGUMENTUM III.

Ex cap. 11. pag. 497.

CErtum est eos (Massilienses) *omnem omninò gratiam potentialem, hoc est, quâ libertati humanæ datur cadere posse si velit tamquam scopo suo minimè contrarium, sine difficultate confessos, dummodò libertas illa servaretur, quâ in utramvis partem se possent eligendo flectere, & cum quâcumque gratiâ seipsos volendo ab aliò nolente discernere: sic enim omnes perplexitates velut umbræ, exortò sole, diffugiunt.*

REFUTATIO.

PErplexitates invenerunt majores quam Jansenius, & ideò ad Pelagiana castra desciverunt, & illud : *Gratiam Dei secundùm merita dari* vehementissimè ab Augustino sibi intortum audire meruerunt. Nam si concederent gratiam ad initium fidei gratis impartitam, gratia ista non fuisset secundùm merita.

Et rursùm admittendo eam, cujus adjutoriô impetrarent fidei incrementum aliaque bonæ vitæ munera divina, non inciderent in Pelagianum virulentum dogma: *Gratiam secundùm merita dari*; eò quod Pelagius meritum solius naturæ

turæ sinè ope interioris gratiæ invexerit; Semi-Pelagiani autem, ut vult Jansenius, gratiam potentialem sinè difficultate confessi fuerint.

Eccur merita naturæ Adamæâ gratiâ instructæ perhorrescerent: qui noverant Augustinum ipsum hanc gloriam stantibus Angelis contulisse, *quæ sit merces meriti?* Cur non jure parili suis innixi principiis admitterent, quod *fides aucta merces sit fidei captæ? Neque enim qui credit nihil meretur*, inquit Augustinus. Jansenius tamen fatetur Massilienses semper minuisse meritum fidei & supplicationis lib. 8, cap. 18. Sed quæ causa hujus attenuationis, nisi, ne cum Pelagio dicere convincerentur, *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari?* Ad quod admittendum eos compellit Augustinus vel invitos. Aliam rationem dat Jansenius: *Ut gratia, quæ datur ad benè vivendum, videretur gratuita.* At quid juvat vidêri gratuitam, & non esse indebitam? Hâc larvâ depositâ, poterant, si hanc ad credendum gratiam internam admittebant, & quidem necessariam & sufficientem, palàm confitêri gratiam secundum merita ope gratiæ comparata dari, cum se per hoc nulli errori obnoxios crederent, & à Pelagianis semitis deviare. Hoc autem non fecerunt; igitur gratiam illam potentialem ad fidei primordia non requisiverunt.

ARGUMENTUM. IV.

Ex libro 8. cap. 10. pag. 489.

NOn quod actus illi boni Massilienſium defectu gratiæ ſimul cum arbitrio influentis non eſſent vel vitâ æternâ digni vel meritorij vel ſupernaturales, ut nunc aliqui comminiſci ſolent, ſed quod obſcuritatem divinorum judiciorum ſuper ſalute & perditione hominum per illam gratiam libertatis naturalis, hoc eſt, per VELLE & NOLLE *uniuſcujuſque reſerarent.* RE-

REFUTATIO.

SI ſupernaturales illos bonos actus rebantur Maſſilienſes; ſi ex ſe meritorios; cur MERITI notionem obumbrabant? Cur attenuabant, & attenuando in Pelagianiſmi ſuſpicionem ſeſe periculoſius præcipitabant? Cur & ipſe Auguſtinus eos Pelagio componit, qui omnem gratiam ad ſolius arbitrii merita referebat acceptam?

Et quod ad obſcuritatem judiciorum Dei pertinet, nonne Auguſtinus illis probro vertit, quod altitudinem divini Conſilii præfidentiori pernicitate ingenii conſcendere præſumant, quam liberi arbitrii Præſumptores ac inflatores Pelagius ac Celeſtius cum Diſcipulis ſuis, comminiſcentes ſeu potiùs fabulantes merita, quæ nec fuerunt, nec ſunt, nec erunt? *Hoc ſi audirent Pelagiani*, inquit Auguſtinus, *non jam laborarent negando originale peccatum, quærere parvulis extrà regnum Cælorum neſcio cujus ſuæ felicitatis locum, maximèque quando convincuntur non eos habêre poſſe vitam æternam, qui non manducavêrunt carnem & bibêrunt Sanguinem Chriſti . . dicerent enim potiùs nullum eſſe originale peccatum; ſed pro ſuis futuris, ſi viverent, meritis vel baptizari, vel non baptizari eos qui de corpore ſolvuntur infantes.* L. de Præd. cap. 13.

ARGUMENTUM V.

Ex eodem cap. pag. 495.

SCiebant enim Semi-Pelagiani non à ſe peti illam integræ naturæ gratiam: eò quod iſtam agnoſcere, perindè ſit, acſi nullam penitùs faterentur. Ex hoc capite elicit Janſenius, Semi-Pelagianos non tam gratiæ quam naturæ, licet adjutoriô gratiæ interioris primi ſtatûs inſtructæ, feciſſe mentionem.

RE-

REFUTATIO.

ETsi ab illis non peteretur gratia integræ naturæ; equidem tempore tam vicinò Pelagianis erroribus jam damnatis, ità loqui debuerunt, ut eorum affinitatem effugerent, & non ex horrore Christianæ Gratiæ perfectos illius Amatores sugillare, & ne plùs cum Pelagio, quam cum Augustino sentire viderentur. Adeòque, ut Pelagianorum amolirentur dogmatum invidiam, aliquam saltem oportebat naturæ gratiam conjugari ad initium fidei, ne plus dare censerentur naturæ lapsæ, quam stanti Augustinus adscripserat. Semper equidem formidare conveniebat illud damnatissimum in Pelagianis inventum: *Gratiam Dei secundùm merita nostra dari.* Quod nisi in Semi-Pelagianis Pelagianorum debellator observasset, neutiquam hoc eis stigma probrosissimum inussisset.

ARGUMENTUM VI.

Ex cap. 10. pag. 483.

HIc *dubitet forsitan aliquis, cur ista interna & actualis gratia non sæpius à cæteris quoque Semi-Pelagianis commendetur, si nihil eorum scopo nocet?* Causas adducit. *Prima est, quod de illâ gratiâ sibi cum Augustinô quæstionem esse sentirent, quæ lapsis hominibus adversùs peccati corruptionem datur.*

pag. 487. & 488. Secunda, *quod interior illa gratia, sinè quâ non creditur, multò minùs Massilienſibus curanda & ad se tuendum proferenda videretur: ipsa quippe ... multò minùs quam natura integerrima poterat credentem à non credente discernere.*

Tertia, *quià cane pejus & angue odissent discretionem hominum solâ voluntate Dei per gratiam fieri... duritiem istam sic mitigandam censuerunt, ut*

ut discretionem ex naturâ quam Deus gratis dederat, religando (quod est nobis Pelagianizando) *eam per ambages illas totam, (etiamsi gratia illa interna cum libertate concurreret & influeret simul) ex propriâ voluntate suspenderent.* pag. 488.

Quarta, *quod illa gratia plerùmque sub integrâ naturâ comprehendi solet, cujus integritatis reliquias cum ipsi supereße post lapsum crederent, etiam gratiam ei debitam sub eâdem superstite integritate complexi sunt.* pag. 489.

REFUTATIO.

ALtiùs Prosper, Hilarius, & Augustinus Semi-Pelagianorum sensa penetrasse visi sunt. Prosper ea vocat *Pelagianæ impietatis Reliquias*: Et Authores à *Pelagianis semitis non declinare*. Augustinus verò eôdem, quô Pelagium Patres Palæstini, cornu arietat, *Gratiam Dei non secundùm merita nostra dari*. Pelagius autem nullam naturæ gratiam internam maximè voluntatis necessariam censuit. Ut autem crederent, necessarium esse præconium veritatis non est inficiatus. Augustinus porrò in hoc præconio solo veritatis summam gratiæ ad fidem necessariæ posuit, cum ipse similiter cum Semi-Pelagianis, ut fatetur, exorbitaret. Cum ergò ipsis intorquet dogma Pelagianum, autumat eos sentire quod ipse sensit, scilicet sufficere ad fidem externam gratiam prædicationis. Itàque ad causas Jansenii pro Semi-Pelagianis allegâtas ordine suô video respondendum.

Ad primam, si de gratiâ adversùs naturæ corruptionem cum Augustino dissidêbant; non ideò oportebat liberi arbitrii vires quoad fidei initium ac bonæ voluntatis primordia ità inflare, ut coïre viderentur cum Pelagio.

Ad secundam, etsi illa interna gratia credentem à non credente non discerneret, ut S. Augusti-

gustinus contrà Massilienses luculenter ostendit; erat tamen à naturâ ipsâ discreta; ideòque exprimenda: Quemadmodum Augustinus in statu naturæ integræ ità liberum arbitrium extollit, ut gratiam non amittat, licet stantes Angelos à lapsis ipsa non discreverit. Et hoc ne sinè gratia stare potuisse viderentur: *Quod adjutorium si defuisset, sinè culpâ utique cecidissent*, ut ait idem Doctor.

Ad tertiam, etsi cane pejus & angue odissent istam discretionem, quæ fit per gratiam; debebant etiam, imò rectiùs & veriùs odisse discretionem Pelagianam, quæ fit per naturam: sicque, si volebant, mitigare duritiem ut liberum non laxarent arbitrium cum injuriâ gratiæ, id nimirum largiendo quod sinè ejus saltem adminiculo præstare non poterat, *initium fidei*, supplicationesque obtinendæ salutis ergô fusas. Nam etsi Moliniani gratiam à seipsa efficacem oderint; eam tamen, quam admittunt gratiam, cum naturâ non confundunt. Nec asserere audent: *Ideò quis adjuvatur quià voluit*, vel ideò accipit gratiam, *quia bono naturæ benè usus est*. Nisi qui sint, quos de oblatâ non ponentibus obicem per naturæ vires gratiâ, ità loqui delectet, quasi voluntas hominis divinæ gratiæ sibi pariat opem, aut obedientiæ humanæ subjiciatur gratiæ adjutorium.

Ad quartam, non claret quod ad fidem etiam in naturâ integrâ gratiæ adjutorium admiserint, licet concesserint, quoad ipsam perseverandi facultatem esse necessariam.

Proindè non erant ipsis reliquiæ gratiæ, sed naturæ vires istæ quas prostratæ atque infirmæ naturæ superstites remansisse credebant, saltem ad credendum se posse sanari, medicumque invocandum.

Nam

Nam quamvis S. Augustinus jam doctior factus etiam ad fidem naturæ sanæ interiorem gratiam esse necessariam docuerit; non sequitur Massilienses in eadem placita concessisse; cum nequidem naturæ lapsæ eam dedisse affatim probatum sit. Senserunt enim quod Augustinus in errore positus, hic autem non nisi *præconium veritatis*, seu gratiam externam tum censuit fidei initiô desiderari. Sic respondêri potest ad Argumentum, quod posset ex Augustino formari.

ARGUMENTUM VII.

SAnctus Augustinus videtur ex verbis S. Hilarii de Semi-Pelagianis scribentis de fide non posse dici, *quid habes quod non accepisti? quià in eâdem naturâ remansit, licet vitiata, quæ sana atque perfecta donata sit*, exsculpsisse hunc sensum quod concesserint naturæ vitiatæ gratiam naturæ sanæ seu perfectæ; nam librô de *Prædestinatione SS. c.* 5. ad ista respondet: *In hâc Apostoli evidentissimâ intentione, quâ contrà humanam superbiam loquitur, ne quisquam in homine, sed in Domino glorietur: Dona Dei naturalia suspicari, sivè ipsam totam perfectamque naturam, qualis in prima conditione donata est, sivè vitiatæ naturæ qualescumque reliquias nimis, quantum existimo, absurdum est. Numquid enim per dona, quæ omnibus communia sunt hominibus, discernuntur homines ab hominibus?* Ubi videtur supponere Semi-Pelagianos admisisse gratiam omnibus communem in statu naturæ lapsæ ad credendum, qualis fuerat in Angelis ad perseverandum; eosque hôc solô titulô absurditatis arguere, quod discretivam seu efficacem gratiam repudiarent, contrà Apostolum dicentem: *Quis te discernit?* Et deinde, *quid autem habes quod non accepisti?*

REFUTATIO I.

NOvô argumentô hîc Auguſtinus naturalem illam credendi potentiam evertendam ratus, ad illud Apoſtolicum: *quis te diſcernit?* Semi-Pelagianos deducit: nam illa credendi facultas ſivè à ſolâ naturâ, ſivè ab adjutâ per gratiam Adamæam (quod poſtremum tamen non ſupponit ab illis conceſſum) promanare dicatur, non diſcernit credentem à non credente, & ideò, ut ratiocinatur Auguſtinus, poſſet dicere homo inflatus adverſùs alterum: *diſcernit me fides mea.*

REFUTATIO. II.

QUamquam Auguſtinus præter naturam communem, etiam communem gratiam ſtantibus & cadentibus Angelis ad perſeverandum, ſi vellent, attribuat, & hoc Semi-Pelagiani non ierint inficias; nullibi tamen confeſſi ſunt, ad ipſam fidem eam gratiam communem datam fuiſſe, vel naturam non ſufficere ad credendum, gratiamque poſtulandam. Quàpropter Auguſtinus ad mentem Semi-pelagianorum *naturalia dona vocat*, naturam vel *vitiatæ naturæ reliquias*, quæ cum ſint credentibus & non credentibus communes, non poſſe Salvari illud, *quis te diſcernit?* quià poſſet dicere communi naturali munere donatus, diſcernit me fides mea, quæ mihi propria eſt, & non communis.

Nequè obviat his, quod poſt pauca ſubdit Auguſtinus, quaſi gratiam ad fidem agnoſcerent: *Nihil tam huic ſenſui contrarium quam de ſuis meritis ſic quemquam gloriari, tamquam ipſe ſibi ea fecerit, non gratia Dei: ſed gratia, quæ bonos diſcernit à malis, non quæ Commnnis eſt bonis & malis.* Ubi videtur *gratiam* agnoſcere Semi-Pelagianam Communem bonis & malis. at

Facile

Facilè diluitur ex eo, quod Augustinus latè accipiat ac sensu non obviô juxtà Semi-Pelagianorum mentem vocem *gratia* pro *naturâ*. Nam in hoc Pelagianizabant. Quarè Augustinus eodem tramite decurrens etiam naturæ exempla titulo *gratiæ* insignit jure parili subjungens : *Sit ergò naturæ gratiæ attributa, quâ sumus animantia rationalia, discernimurque à pecoribus; sit etiam gratia attributa, quâ in ipsis hominibus à deformibus pulchri, vel ingenioſi discernuntur à tardis, ac si quid ejusmodi est. Sed non se ille, quem coërcebat Apostolus adversùs pecus inflabat, nec adversùs hominem alterum de aliquo naturali munere quod inesse posset & pessimo ; sed aliquod bonum quod pertineret ad vitam bonam, sibi, non Deo tribuens, inflabatur quando audire meruit, quis enim te discernit ? Quid autem habes quod non accepisti ? Ut enim sit naturæ fidem posse habêre, numquid & habêre ? Non enim omnium est fides, cum fidem posse habêre sit omnium.*

Sic pergit in notione *naturæ Communis*, non gratiæ, . . . *Proindè posse habêre fidem, sicut posse habêre Charitatem, naturæ est hominum: habêre autem fidem, quemadmodum habêre Charitatem, gratiæ est fidelium. Illa itàque natura in quâ nobis data est possibilitas habendi fidem, non discernit ab homine hominem : ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem.*

Naturam ergò naturæ componens Augustinus, Semi-Pelagianos naturæ limites non excessisse quoad fidei initium, arbitratus est.

SECTIO VIII.

Semi-Pelagianos non admisisse necessitatem gratiæ internæ ad initium fidei affatim confirmant Canones Concilij Arausicani.

PAtres dicti Concilii præfantur: *Aliquos esse, qui de gratia & libero arbitrio minùs cautè, & non secundùm fidei regulam sentire velint.* Contrà quos sequentes condidêre Canones.

Canon 3. sic habet: *Si quis invocatione humanâ voluntatem nostram Deum expectare contendit, non etiam ut purgari velimus per Sancti Spiritûs infusionem & operationem in nobis fieri, resistit ipsi Spiritui Sancto.*

Canon 5. *Qui enim dicunt fidem, quâ in Deum credimus, esse naturalem, omnes eos, qui ab Ecclesiâ Christi alieni sunt, quodammodò fideles esse definiunt.*

Quod autem ità naturalem fidem crederent, ut gratiam ab ea submoverent, contrà quos Concilium agit, sequens Canon elucidat.

Canon 6. *Si quis sinè gratiâ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, pulsantibus nobis misericordiam dicit conferri divinitùs, non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia sicut oportet agere, per infusionem & inspirationem Sancti Spiritûs in nobis fieri confitetur* &c. Resistit Apostolo dicenti: *Quid habes quod non accepisti?* Ille verò, quem arguebat Apostolus, non de gratiâ Adamæâ, sed de solâ naturâ velut ad credendum, petendum sat valida gloriabatur;

batur ; ergò & illi, quorum naturalem fidem Arausicani Patres convellunt Apostolicô argumentô : *quid habes &c.* Rursùs in idem perurget

Canon 7. His verbis : *si quis* PER NATURÆ VIGOREM *bonum aliquod quod ad salutem pertinet vitæ æternæ cogitare, ut expedit, aut eligere, sivè salutari, id est, Evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat, absquè illuminatione & inspiratione Spiritûs Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo, & credendo hæreticô fallitur Spiritu non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis:* SINE ME NIHIL POTESTIS FACERE.

Canon 19. Sic habet : *Natura humana etiamsi in illâ integritate, in quâ est condita, permanêret, nullô modô seipsam Creatore suo non adjuvante, servaret. Undè cum sinè gratia Dei salutem non possit custodire quam accepit, quomodò sinè gratiâ Dei poterit reparare, quod perdidit ?*

Canon 22. *Nemo de suo habet nisi mendacium & peccatum.*

Deniquè Bonifacius Papa in Epistolâ hujus Synodi confirmatoriâ apertè indicat Semi-Pelagianos gratiam internam fidei abjudicasse, his verbis ad Cæsarium Arelatensem Episcopum scribens : *Indicas enim quod aliqui Episcopi Galliarum, cum Cætera jam bona ex Dei acquieverint gratiâ provenire,* FIDEM TANTUM, *quâ in Christo credimus, naturæ* ESSE VELINT, NON GRATIÆ, *& omnibus ex Adam, quod dici nefas est, in libero arbitrio remansisse : non etiam nunc in singulis divinæ misericordiæ largitate conferri.*

Ex his liquidò fluit Semi-Pelagianos cum Pelagianis consensisse in his dogmatibus, primò per FIDEM NATURALEM, quam naturæ lapsæ adscripserunt. 2. Quià *per* NATURÆ VIGOREM *aliquod bonum, quod ad salutem pertinet hominem lapsum cogitare* potuisse dixerunt. 3. Quià SINE GRA-

TIA *Dei credentes, volentes ac desiderantes* bona salutaria constituerunt. 4. hominem *posse sinè gratiâ reparare quod perdidit*, in quo plus naturæ lapsæ indulsêrunt quam Augustinus, & Patres Arausicani naturæ stanti, de quâ dicunt: *Cum fine gratia salutem non possit custodire, quam accepit.* Alioquin possent hanc amoliri à se invidiam dicendo: homo non potest sinè gratiâ Dei reparare quod perdidit, quià nec credere nec petere sinè gratiâ prævalet.

CAPUT II.

De secundâ parte quartæ Ianseniancæ ità sonante: Et in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.

GEmino ex capite Jansenius Semi-Pelagianos hæreticæ pravitatis insimulat: & quod in statu naturæ lapsæ ad credendum gratiam possibilitatis, qualem habuit Adam ad perseverandum, sufficere asseverarent; & quod talem gratiam admitterent, *cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare.* Postremam hanc partem ferit Sedes Apostolica *ut hæreticam.* Utrumque caput, undè Semi-Pelagianos incusat, ex Jansenio stabilitum venio.

SECTIO PRIMA.

Semi-Pelagiani Ianſenio ſunt hæretici, quià ad initium fidei ſufficere aſſerebant auxilium Adamæum, ſivè ſinè quo non.

ID multifariam, variiſque libris Janſenius aſſevêrat, & ſtabilire nititur.

Primò libro 8. *de hæreſi Pelagianâ* cap. 6. ubi exertè pronuntiat : IN EÔ ERGO ERROR *Maſſilienſium ſitus eſt, quod aliquid primæva libertatis reliquum putant, quo ſicut Adam, ſi voluiſſet, poterat perſeveranter operari bonum, ità lapſus homo potuiſſet credere ſi vellet ; neuter tamen abſquè interioris gratiæ adjutorio, cujus uſus vel abuſus relictus eſſet in uniuſcujuſque arbitrio ac poteſtate.*

Secundò cap. octavo ejuſdem libri hoc ipſum repetit : *In hoc ergò prōpriè Maſſilienſium, & Auguſtini (dum ſimiliter erraret) error ſitus fuit, quod Angelorum Sanctorum & ſtantis hominis adjutorium, in quo intelligendo & admittendo nulla penitùs ipſis difficultas fuit, etiam lapſis hominibus ſufficere voluerint : ut quià non penitùs eſset depravata & exſtincta natura, cum illo* EODEM AUXILIO *perdurante, quo anteà in* ADAMO *cuncta poterant,* POSSENT *etiam nunc lapſi fracti & ægri* SALTEM CREDERE, *& à ſuâ infirmitate velle ſanari.*

Tertiò confirmat hoc lib. 2. *de gratiâ Chriſti Salvatoris* cap. 12. : *Qui licet adjutorium poſſibilitatis & ſinè quo non defenderent, tamquam* pag. 134. *gratiæ Chriſti deſtructores damnati ſunt.* Ubi dicit etiam : *Tamquam gratiæ Medicinalis deſtructores & liberi arbitrij præſumptores meritâ cenſuræ ſeveritate damnati ſunt.* Cap. 21. *Nec tamen hoſtes*

gratiæ esse desierunt. Cap. 24. Per illos nihil aliud agi, *nisi ut Christi gratia Medicinalis tollatur...* Atque ità *gratis Christus mortuus sit.* Cap. 27. Per illos *originalis peccati virus* evacuari.

Quartò libro 3. *de Gratia Christi cap.* 1. de Massilienſibus iterùm ſententiam dicit: *Adjutorium, quod Massilienses ad credendum necessarium*
pag. 252. *esse atque ità sufficere statuebant, ut cum eo credere posset homo si vellet: qui tamen tamquam hæretici proscripti sunt:* NON ALIAM SANÈ OB *causam, nisi quià tale auxilium sufficere putarent, adeòque nullum aliud adjutorium ad credendum actu ex parte Dei esse necessarium.*

pag. 1035. Conformiter *libro* 10. *cap.* 7. asſerit: *Quidquid sufficientis gratiæ vel à Neotericis, vel à Pelagianis vel Massilienſibus præter illam agendi gratiam excogitatum est, hoc totum ab Augustino ad legem pertinet, nec extrà limites gratiæ Pelagianæ constitui debet.*

Ex his fundamentis exurgit contrà Recentiores Scholaſticos *lib.* 2. *cap.* 28. *Quanta igitur audacia est post condemnatos jam à tot sæculis Massi-*
pag 215. *lienses, asserere, quod quià in statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia, quâ poterat perseverare si vellet, etiam nunc sufficiat? Itàque non satis penetrant naturæ corruptionem, & humanæ voluntatis infirmitatem,* quam peccatum *attulit, & in quâ discrimen illud fundavit Augustinus, qui talibus ratiunculis doctrinam ejus saluberrimam imprudenter evertunt.*

Alibi cauſam abjurandæ hujus doctrinæ adducit: *Si homo lapsus jam etiam potest, nec gratia*
l. 2. c. 21. *Christi medicinalis donet ut velit, liberè dico, gratis*
pag. 185. *Christus mortuus est. Hoc est enim quod Pelagiani jam justificatis hominibus, maximèque Semi-Pelagiani* longe mitiùs *tribuerunt, nec tamen hostes gratiæ esse desierunt.*

SEC-

SECTIO II.

Ianſenius cenſuit Semi-Pelagianos eſſe hæreticos etiam in hoc quod vellent eam Gratiam talem eſſe cui poſſet humana voluntas reſiſtere vel obtemperare.

JAnſenio non cenſêri hæreticum admittere gratiam, cui in ſenſu diviſo Thomiſtico, ut aiunt, reſiſti poteſt, eſt in propatulo: nam ipſe hujuſmodi Gratiam naturæ lapſæ ſe cum Eccleſia libenter impertiri teſtatur lib. 6. de gratia Chriſti Sal. c. 34. his verbis: *Hominum igitur viatorum non ſolum coactionis expertem eſſe libertatem, ſed etiam neceſſitatis immutabilis* (cui nullo modo reſiſti poteſt) *voluntariæ, hoc eſt, eam ad utrumque indifferentem eſſe cum ſcripturis, Auguſtino & Patribus & Catholicâ fide fatemur perlibenter.* pag. 415.

Et Libro 8. c. 20. *Quamdiu hîc vivimus ſivè in infidelitate ante gratiam, ſive ſub gratia indifferentiam ad contraria, hoc eſt volendum faciendumque bonum & malum ſemper ineſſe libero arbitrio.* pag. 870. Et infrà: *Dicimus liberum arbitrium quantùmcumque vehementi atque efficaci gratiæ delectatione prævenitum atque determinatum ad faciendum bonum, adhuc tamen poſſe bonum non tantùm non facere, ſed etiam malum. Verum eſt enim iſtud non quidem in ſenſu compoſitô, ut vulgò dici ſolet, ſed in ſenſu diviſô. Nimirùm quià eôdem tempore, quô voluntatis arbitrium ſub gratiæ delectatione efficaciter eam movente poſitum eſt, imò quò etiam actum voluntatis bonum facit, eſt in eâdem voluntate poteſtas illud non faciendi, imò peccandi, non quod ceſſatio ab actu quem tunc elicit, aut actuale peccatum cum gratiæ delectantis influxu conſiſtere poſſit* (*quod* Ibid.

ſenſus compoſitus poſtularet.) *ſed quod ceſſandi & peccandi poteſtas cum eâdem gratiâ in eôdem voluntatis arbitriô conjungi poteſt.* Ità exponit quoque Concilium Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 5. & can. 4.: *Homo recipiens inſpirationem illam abjicere poteſt; &, liberum arbitrium à Deô motum poteſt diſſentire ſi velit.*

Itàque Janſenius eô titulô nequivit Semi-Pelagianos hæreſeos arceſſere, quod qualemcumque poteſtatem gratiæ reſiſtendi admitterent.

De poteſtate ergô reluctandi gratiæ, eamque effectu ſuô orbandi in ſenſu compoſitô intelligendus eſt, hoc eſt, de poteſtate, quâ ceſſatio ab actu vel actuale peccatum cum gratiæ influxu componi valeant, & in eâdem ſede morari liberi arbitrii. Hoc enim impoſſibile eſt Janſenio, utpotè qui non ſolùm conſtantiſſimè docet, nulli medicinali gratiæ Chriſti reſiſti, prout ad propoſitionem ſecundam ſatiatiſſimè evictum dedimus, ſed nec reſiſti poſſe, ſaltem in ſenſu compoſitô: quià hæc convertuntur ipſi Janſenio: *Ubi eſt gratia, ibi eſt effectus*: &, *ubi non eſt effectus, non eſt gratia*: Et ideò pernegat eſſe Chriſti gratiam quæ ſuô effectu viduatur, imò ad legem ſeu Pelagianam gratiam tum ablegari dignam dum effectu non potîtur ſuô, ad quem poteſtatem impartit voluntati. Cum itàque Janſenius eſſentiam Chriſtianæ gratiæ in omnimodâ & numquam effectu, ad quem *poſſe* tribuit, orbabili efficacitate conſtituat; Semi-Pelagianos, qui talem gratiam ab initiô fidei ſubmovebant, & aliam, licet internam, ut Janſenius putat, gratiam comminiſcebantur, cui reſiſti poſſe, imò ſæpè reſiſti non ibant infictas; ideò Janſenius illos ut Medicinalis Chriſti everſores, & inimicos Crucis Chriſti meritâ ſeveritate damnatos, hæreticoſque pronuntiat. Nam ut ipſe delineat, *Medicinalis Chriſti*

gra-

gratia tollit omnem resistentiam, est summæ efficaciæ, effectum potentissimè infert, & hôc ipsô quô effectu destituitur, *solô Pelagianæ gratiæ adjutoriô ad justitiæ præceptæ actus* homo nititur &c. prout vidêre perlicet ad propositionem secundam.

Cum ergò Semi-Pelagiani talem gratiam ad initium fidei non admitterent, sed aliam, scilicet Adamæam, cui utique resisti potest, requirere visi sint Jansenio; censuit eos à Pelagianæ gratiæ professione non descisscere, adeòque damnati dogmatis reos esse, concedendo naturæ lapsæ gratiam à Medicinali Christi gratiâ prorsùs degenerem, id est, cui, in sensu compositô, voluntas humana obtemperare, vel resistere posset.

SECTIO III.

Apostolica quartæ propositionis censura defenditur, quæ sic sonat: Falsam & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

PRimam hujus propositionis partem, asserentem Semi-Pelagianos admisisse ad initium fidei necessitatem gratiæ interioris, affatim de falsitate revicimus Augustini verbis & exemplis. Proindè illô ex capite, *quod talem gratiam admitterent, cui voluntas humana resistere posset vel obtemperare*, damnati non sunt. Nam qui nullam gratiam admiserunt necessariam ad initium fidei, procul dubio nec admiserunt talem v. g. Adamæam, licet oppositum contendat Jansenius Massilienssibus affricare. Si igitur ex me scisciteur quispiam, cur ut hæretici damnati sint?

Responsum referet: Quià naturam sibi sufficere ad credendum, sanitatemque petendam asserarunt, quasi *fides aucta merces sit fidei cæptæ*. Et quià hôc pactô in illud in Pelagio damnatum inci-

incidêrunt: *Gratiam Dei ſecundùm merita noſtra dari*, quod illis ab Auguſtino frequenter inculcatum, & infartum eſt.

Quod ſi quis eos internam gratiam ad initium fidei poſtulaſſe pertinaciter contenderet, equidem nec eô titulô fuiſſent hæretici, quod talem gratiam admitterent, cui voluntas humana reſiſtere poſſet etiam in ſenſu compoſito. Nam affatim monſtratum eſt, non omnem Chriſti gratiam eſſe triumphantem, non omnem victricem eſſe oſtendimus, quià victam dedimus. Nequè ſoli Moliniani, quos Janſenius Semi-Pelagianis componit, ſed & efficacis gratiæ defenſores gratiæ reſiſti poſſe aſſerunt, ſignanter gratiam Thomiſticè potentem ſeu ſufficientem admittentes, quam & ipſe Arnaldus veneratus eſt, cujuſque præſidiô & primam & ſecundam propoſitionem ut hæreticas inſectatus eſt, ut claret ex Epiſtolâ illius ad Illuſtriſſimum Fratrem ſuum Andegavenſem Epiſcopum.

Quod ſi Semi-Pelagiani damnati forent ut hæretici, ex eo quod gratiam admiſiſſent, cui voluntas humana reſiſtere poſſet, jam Catholici eſſent hæretici, quià Catholici modò docent ſinè periculo, gratiæ non tantùm reſiſti poſſe, ſed & ſæpè numero de facto reſiſti, & ſignanter Thomiſticæ, & qui eorum ſufficientem gratiam adoptant. Imò damnata ut hæretica Janſeniana ſecunda: *interiori gratiæ numquam reſiſtitur in ſtatu naturæ lapſæ* facilè in Catholicam tranſmigraret. Si namque hæreticum ſonat: Poteſt humana voluntas gratiæ reſiſtere; ergò Catholicè dicetur: non poteſt reſiſtere. Et ſi Catholicum ſit: non poteſt reſiſtere; quid ni Catholiciſſimum erit: *Gratiæ numquam reſiſtitur.* A negatâ enim reſiſtendi poteſtate ad denegatum perpetuò actum rectà conſecutio fluit.

LIBER

LIBER SEXTUS

In quo Cornelius Janſenius per mortem Chriſti omnium omninò Redemptoris ab Auguſtino in quintâ famosâ, ac poſtliminiò in primâ ſecundâ, & quartâ perimitur ac Triumphatur.

Non eſt ergò opus Parvulis Chriſtus, quibus utique ſecundum vos non eſt Ieſus. QUIBUS AUTEM OPUS, HIS PROCULDUBIO EST JESUS. S. Aug. l. 2. op. imp. cont. Jul. c. 170. Eſt autem opus Jeſus omnibus *nemine exceptô*; *ergò nolite Salvatorem non ſalvis parvulis invidêre.* Iterùm ad ſenſum Pelagianum Auguſtinus l. 1. c. 32.

Valdè ingrati ſunt pretio ſuo, aut multùm ſuperbi ſunt, qui dicunt illud tam parvum eſſe, ut ſolos Afros (electos, aut gratiæ participes) *emerit, aut ſe tam magnos eſſe, pro quibus ſolis illud ſit datum.* Idem Africanum decus in pſ. 95.

PRÆ-

PRÆFATIO.

CAusa, quam tuemur, causa est non S. Augustini, non Ecclesiæ tantùm, sed ejus qui acquisivit eam sanguine suô, sed Redemptoris *omnium*, sed Salvatoris, maximè fidelium, justorumque universorum. Adversarii, Jansenius, & ejus asseclæ. Occasio scribendi, damnatæ ab Ecclesiâ propositionis quintæ Jansenianæ pertinaces vindiciæ. Rationes quæ nos impellunt ad materiam hanc (quam oportuit jam olim Româ rescribente esse finitam) denuô fortiùs ac luculentiùs pertractandam, & Ecclesiæ Sanctionem Maximi Doctoris illius Authoritate, ac documentis velut immobilibus fulciendam basibus, & innumeræ sunt, & planè gravissimæ. Videmus enim veram illam Christi gratiam, quâ Christiani sumus, Jansenianis pugionibus impeti, & per ipsam Christi mortem sivè ad electos sivè solorum electorum salutem severè nimis restrictam minui, primum Religionis fundamentum concuti: *Quia in causa duorum hominum, quodum per unum venumdati sumus sub peccato, per alterum redimimur à peccatis, per unum præcipitati sumus in mortem, per alterum liberamur ad vitam . . . propriè fides Christiana consistit.*

L. de peccato Origin. c. 24.

Videmus & peccati originalis universale remedium, id est, baptismum, parvulis non baptizatis invidêri, Redemptoris Misericordiam abbreviari, latitudinem Crucis, id est, Charitatem Crucifixi in omnes expansam coarctari, medullam pietatis exstingui, orationem, spem in Dominum Salvatorem deprimi, gratitudinem pro magno pietatis opere debitam everti, Deo, qui talem ac tantum Redemptorem dedit, gloriam suam adimi,

mi, aliasque feralis Pentados propositiones velut hydræ capita resuscitari adversùm Deum, & Sponsam ejus sanctam Matrem nostram Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Nam si Christus mortuus non est nisi pro salute Justorum vel electorum, nec mortuus est, ut illis, qui non salvantur, gratiam, quâ possent salvari, illis impetraret. Et si promeritus non est, Justis conantibus & volentibus etiam salvari deest gratia quâ præcepta possibilia fiant. Et si talis gratia desit volentibus, non resistitur Gratiæ, quam non habent. Et denique, non potest resisti gratiæ, cui essentia & existentia medicinalis Gratiæ deficit. Sed Apage impiam Matrem hanc cum malesanâ sobole suâ.

Itàque, Christiane Lector, habes in hoc Libro Fidei fundamina, fulcimenta Spei, Charitatis illicia, gratitudinis incentiva, faces pietatis, ut aspicientes in Authorem & Consummatorem Jesum, non sitis animo deficientes. Non enim de corruptibilibus auro vel argento, non de temporali commercio agitur, sed de Pretio magno, Commercio incomparabili, Mercatore æternæ salutis, Redemptore animarum nostrarum: Cujus pietatis opus justioris molis volumen non injuriâ postularet.

Duo namque sunt, inquit S. Augustinus, *quæ principaliter attendere debet humana circumspectio, & dignitatem suæ conditionis, ut peccare timeat, & Excellentiam Redemptionis, ut gratiæ Redimentis non sit ingratus.* *Serm. 182. de tempore.*

Quod si ad opus redemptionis nostræ Captivitas præire debuit, (nam si sub captivitate non teneremur, Redemptore non egeremus) *Primus homo totam massam damnabilem fecit, & nemo liberat de vinculis captivantis nisi gratia Redimentis. Unusquisque etiam peccando animam suam diabolo vendit accepto tamquam pretio dulcedine corporalis voluptatis.* *In Exp. Epi. ad Rom.*

Si

Si ubi Redemptio, ibi Redemptor, *ipse redemit qui creavit, egit hic commercium, sani solvit pretium. Nos emit ne jam aut diaboli aut nostri essemus.* Deus divinitate subvenit, *& homo infirmitate convenit.*

Serm. 20. de Verb. Apost. Tract. 41. in Ioan. in ps. 102. S. Paulinus ep. 2. ad Delphinum. De Sancta Virginitate cap. 55.

Inspicite ergò (cum Augustino Sacras Virgines exhortante loquor) *Pulchritudinem Amatoris vestri, cogitate æqualem Patri subditum & Matri; etiam in Cælis Dominantem, & in terris servientem, creantem omnia, creatum inter omnia.*

Sed ubi Redemptio sonat, intelligitur & pretium. Et quæ magnum habent pretium, CARA *dicuntur. Attende quis te redemit, & quid pro te datum. Ecce Mercator ostendit mercedem, ecce pretium quod dedit. Sanguis ejus fusus est. In sacco ferebat pretium nostrum. Percussus est lanceâ, fossus est saccus, & manavit pretium orbis terrarum. Jam pretium solvit. Sanguinem fudit, Sanguinem inquam fudit unicus Filius Dei pro nobis. O! anima tanti vales, erige te, tanti vales.*

Aug. l. 3. cont. Iul. c. 3. Serm. 6. de diversis. in ps. 21

in Psal. 102.

Nos tali redimimur pretio, nos tali curamur impendio. Hæc quanti valent, in statera Charitatis appendite. Filius Dei dedit pro nobis tantum pretium, dedit seipsum, nihil ad hoc pretium addi potest.

S. Leo serm. 1. de pass. L. de SS. Virg. c. 55. Serm 6. ex additis.

Egit ergò Commercium suum Mercator, & Redemptor generis humani. Pretium solvit. Magnum Pretium, quod etiam dæmonum redemptioni sufficeret adstipulante Jansenio. Negat tamen pro dæmonibus mortuum; quod ne propriâ consecutionis lege facere compellatur, sufficientem illam Redemptionem hominum, quam à S. Prospero in pretii sufficientiâ, licet perperam, sitam autumaverat, abjicit bina ex causa: tum quià *S. Augustinus Prospero & antiquior & doctior* talem Redemptionem nusquam docuerat, tum quod *alioquin pro dæmonibus se redemptionem dedisse Christus dici posset*: Quod quam sit falsum, &

ab

ab Auguſtino alienum, ad meridianum Phæbi Jubar per Auguſtinum evictum dabimus. Quid ergò Redemit, & pro quo pretium ſolvit Mercator ille Cæleſtis? *Novit quid emerit, quià novit quanti emerit, & quantùm dederit. Tanti quid valet, niſi totus orbis?* Mercedem quam pro pretio ei Pater dedit, à ſervitute peccati efficaciter eruit. Et quos ad ſalutem æternam electos dedit, nullô invaſore amiſit. Abſit tamen, ut hujus pretii exortes faciamus etiam filium perditionis, de quo Auguſtinus aſſerere non timuit: *Non agnovit pretium quo redemptus erat.* Neque ab hoc pretio excluſos voluit Auguſtinus, quibus mors Chriſti non profuit: *Quià de latere in Cruce pendentis lanceâ percuſſo Sacramenta Eccleſiæ profluxerunt. Et indè Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* Et Paulino ſuccenturiante, *Ipſe eſt Petra, quæ latere lanceâ percuſſo aquâ fluxit & Sanguine, ut paritet ſalutiferos fontes aquarum gratiarum & Sacramenti, qui idem eſt fons noſtræ ſalutis, & pretium.* Quæ cum pro omnibus, ut medeantur inſtituta ſint, etſi non medeantur, ſi non bibantur, poculum immortalitatis, quod de noſtrâ mortalitate confectum eſt, habet undè omnibus proſit; atquè ità veriſſimum eſt illud S. Auguſtini Juliano intortum: *Quibus autem opus, his procul dubio eſt Jeſus.*

In Pſal. 95.

Tract. 15. in Ioan.

L. 15. de Civ. c. 26.

S. Paulinus ep. ad Floren.

Quod autem nimis ingratus ſit huic pretio, qui ad temporalem juſtitiam non electorum ſejunctâ ſeriâ Redimentis intentione à ſalute eorum illud impenſum aperuit Janſenius, Auguſtinus ipſe luculentiſſimè per Exempla Judæ, Judæorumque perdocebit. Sed Janſenianæ penetralia doctrinæ priùs ſubeunda, & rimanda ſunt.

CAPUT PRIMUM.

De primâ parte quintæ Ianſenianæ quoad factum ſeu exiſtentiam in Libro, cui Titulus : Auguſtinus *&c.*

SECTIO PRODROMA.

De oſcitantia & inconſtantia Ianſenij de Redemptione

PRIMA

Ianſenius Proſperum ex pravo intellectu deſeruit.

POſtquam elicita de morte Chriſti Salvatoris pro omnibus, pro ſufficienti omnibus etiam gratiâ impertitâ, Molinianorum argumenta Janſenius obtrita Semi-Pelagianorum arma indigitaverat *lib. 3. cap. 21. de gratiâ Chriſti Salv.* ſubjunxit, *nihil mirum eis vidêri debeat, ſi idem iiſdem morbis præparemus Antidotum, hoc eſt, ſi iiſdem argumentis, quibus Maſſilienſes uſi ſunt, eaſdem Auguſtini & Proſperi ſolutiones opponamus.* En primam oſcitantiam, ubi Proſperi & Auguſtini ſolutiones germano nexu maritat, & paulò poſt, ut clarebit, utriuſque divortium facit.

pag. 381.

Communi ſolutione Scholaſticorum de Redemptione *ſufficienti* pro omnibus, *non efficienti* Antagoniſtis obviaturus, eam Sancti Proſperi expoſitione limpidare viſus eſt. Sed in Proſperi luce caligavit, ejuſque ſenſum non proſperè aſſecutus eſt. Regulam à Proſpero citatam adfert ex

ex responsione ad Vincentianam primam: *Quod ad magnitudinem & potentiam pretij, & quod ad unam pertinet causam generis humani, Sanguis Christi redemptio est totius mundi.* Et quod mirêris, post majorem expressionem Redemptionis ex responsione ad c. 9. Gallorum: *Cum itàque rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi Redemptione Crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, & propter Communem in primo hominum omnium perditionem*, quasi S. Prosper sibi contrarius esset, cum dixit: *Redemptionis proprietatem haud dubiè penes illos esse*, qui sanctificantur in Sanguine Christi; ex triplici subjectâ causa sufficientem suam Redemptionem, quâ Molinianorum tela contrivisse gloriabatur, turpiter deserit, & aliam Redemptionem angustiorem, quam oportuit, comminiscitur: eam solam veram esse ratus; quæ aliquô in Redemptis effectu potîta fuerit. Hujus inconstantiæ causa prima est, Jansenio ipsô de se confitente: *Quia ipsa phrasis, quâ quis dicitur se pro aliquo redemptionem dare præ se ferre videatur redemptionem, ex redimentis animo, in usum ac liberationem captivorum efferri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Christi inanis esse non potest.* pag. 382.

Secunda, *& quia alioquin etiam pro Dæmonibus se dedisse redemptionem dici posset, quibus redimendis sinè dubio pretium Sanguinis ejus est sufficiens.*

Tertia, *ac denique quia Prospero antiquior ac Doctior Augustinus nusquam in scriptis suis fatetur, Christum pro omnibus, nullô excepto, se dedisse redemptionem, vel Crucifixum esse, vel mortuum; sed tantummodò pro illis, quibus mors ejus profuit.* Has omnes falsitatis nebulas, Sole veritatis, posteà dissipabimus. Sed modò

Hoc dicimus, Jansenium, & Prosperum malè intellexisse, & longè enormius ab eo deviasse.

Nam si Prosperi solutio Semi-Pelagianorum tela soliditate suâ retundebat ; cur non, ut adpromiserat, eadem arma Molinianis intorquere pergebat? Aut si minùs dexterè, cur in ipso limine sibi propria fecit, iis remediis occursurus, ut aiebat, quibus ille Massilienſibus satis fecit?

Sed arma ista invalida tandem Jansenius sensit, Prosperumque velut minùs armatum (sed tamen Augustini Defensorem longè magis Prosperum) turpiter deseruit, quasi argumentô Prosperi aliquid vero ac justo amplius probatum fuisset, nempè dæmones Redemptorum cœtui aggregandos. Pessima consecutio ex Prosperi verbis ac sensu deducta, bona autem, sed cum consequenti falsissimo ex Jansenij Exegesi seu interpretatione Prosperi derivata. Nam

Resp. ad obj. 1. Vinc. Prosperi sententia est, quod non modò *ob Magnitudinem pretij, sed etiam unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur* Redempti. Et hoc ad Dæmones perversissimô tramite protenditur. Jansenii verò interpretatio est: *Quod se dederit redemptionem, id est, pretium pro omnibus omninò sufficienter, quià sufficiens pretium obtulit*: Non respiciendo utique, an pro omnibus in re à Redimente oblatum. Et tum rectè fluit: Etiam pro Dæmonibus Christum sufficienter mortuum, si sic mori pro homine sufficeret. Quid si Massilienses Prospero Exemplum Dæmonum reposuissent? Quid Prosper ageret? Arma abjiceret & ad Jansenij subtilioris Interpretis S. Augustini Asylum confugeret? Audax calumnia: talibus auxiliis, nec defensoribus istis, *Aurelij indiguit tam clarus Prosper Alumnus,*

Jansen. pag. 381.

Concludo adversùs Jansenium cum S. Prospero adversùs Collatoris levitatem differente: *Cum inter initia disputationis à veritatis pietate*

S. Prosper cont. collat. cap. 1.

non

non dissonat, & justo honorari præconio mereretur: nisi præcipiti lævoque progressu ab inchoatâ rectitudine deviaret. Et rursùm: *Doctor Catholice, cur professionem tuam* (in hac parte) *deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relictâ serenissimæ veritatis luce devolveris?* cap. 5.

Hic jam, vel in ipso vestibulo hujus materiæ de Christi redemptione, erubescat Jansenianorum audacia contrà Apostolicæ Sedis Tubam resonans, & obstrepens seu potiùs coaxans contrariam damnatæ quintæ propositionem à Jansenio traditam; eò quod *lib. 3. de grat. Christi Salv.* cap. 21. dixerat Jansenius: *Christus se dedit Redemptionem seu pretium pro omnibus sufficienter, quià sufficiens pretium obtulit, &c.* Nam, ut perspicuum fecimus, hoc Jansenius, ne Homines Dæmonibus componeret, recantavit. Aut si recantasse inficieris, propriâ Dialexi Christum Dæmonum hominumque, quibus mors Christi non profuit, nec proderit, Redemptorem constituit: ac S. Augustino & Sacris Eloquiis hoc beneficium Apostatis Spiritibus abjudicantibus rebellavit.

Objicit Palladius, seu potiùs respondet, *sumimâ, quâ licet modestiâ, Jansenium submovêre sententiam Prosperi, ut Augustini potiorem, innatisque notionibus ac normæ loquendi magis consentientem sufficiat.* sed *Palladius in Spongia pag. 30.*

Respondeo, satis fastidiosè submovêri, & quidem propter absurdum, quod existimat indè promanare consectarium de Redemptione dæmonum, ut jure dicatur aspernanier. Quod si tantùm, ut innatis notionibus magis consentaneam, illam adscisceret sufficeretque, oportebat eas tantùm rationes ex Augustino proferre, quæ rem istam confectam darent. At Jansenius, & à se, & à Prospero longius abscessit.

Refutatio Epist. Leod. pag. 133.

Refutator Epistolæ Leodiensis & Defensionis Authoritatis Ecclesiæ reponit : *Nequaquam censendus est solutionem istam planè rejicere ; etsi aliam ex Augustino* GENUINIOREM VERIOREMQUE ADJICIAT.

Resp. 1. Si non *planè rejiciat* ; ergò ut veram retinet : Ergò & consequens quoque , quod ex ea fluere docet ; nempè dici posse *Christum se dedisse redemptionem pro dæmonibus.* Consequens est falsissimum ; ergò, ut negaret sequentia , debuit mutare antecedentia.

Nequè verosimile est Genuiniorem verioremque Augustini mentem non esse assecutum tantum Augustiniani dogmatis Vindicem, & depugnasse invalidis lacertis armisque facilè conterendis obtrectatorum calumnias mendaces & impias confregisse , utpotè qui faretur se ab Augustini *tramite in nullo deviasse.* Nec vim facit *comparativa* vox *Genuinius.* Nam exploratum est, etiam usu comprobatum , ut dicatur aliquid oportêre *melius* fieri, quod non benè , sed malè factum esse constiterit sic dicitur : *melius furari , quam occidere.*

Quarè rursùs Jansenio, qui suprà Prosperum sapere voluit quasi, sagacius Augustini mentem penetravevit, regerendum, quod Cassiano Prosper pro defensione S. Augustini libro contrà Collat. c. 1. *Nec enim cum sint bonæ opinionis viri, creduntur ullo modo tarditate intelligentiæ, aut temeritate judicij... ac non potiùs magno ingenio ac vehementi studio laborasse , ut subtilissimi tractatoris disputationibus comprehensis , censura nunc districtior & inspectio sagacior inveniret, quod anteà securus favor & benignitas incuriosa non viderat : undè ergò hæc diligentia tam severi emersit examini?* Ut nimirum quod Prosper non intellexerat in Augustino , Jansenius inveniret ?

SEC-

SECTIO II.

Qui Janſenium purgant, eumque in ſolâ pretij ſufficientiâ hominum omnium Redemptionem conſtituiſſe volunt, in hoc Auguſtino contrarium faciunt, & Chriſtum etiam dæmonum eſſe Redemptorem concludunt.

PAlladius, Avitus, Paulus Aurelius, aliique Janſenii vindices ſimili colore tincti, aut Nomine larvati, Janſenium omnium omninò hominum redemptionem, ceu ſufficientem admiſiſſe aſſerunt; tantùm abſit Semi-Pelagianorum lutô hanc ſententiam aſperſerit. *Ecce (fidenter pro magni Auguſtini diſcipulis eloquor) profligatam eô ſenſu propoſitionem (hoc eſt, iſto, qui neget Chriſtum ſufficienter pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe) non modo deteſtamur ut impiam & blaſphemam, ſed ut Archi-Arianam, infernalem & diabolicam.* Quâ de cauſa ſi quæras? Non aliam accipies, quam, quià hoc eſſet inficiari Chriſti Deitatem, ac ſi non attuliſſet condignum pretium. Sed ſi hoc ſit ſufficienter pro hominibus omnibus mortuum eſſe Chriſtum, ſufficiens atque infinitum dediſſe pretium, cogitur Palladius per Janſenium ipſum, *ut impiam, blaſphemam, imò Archi-Arianam & diabolicam deteſtari* propoſitionem, quæ negat Chriſtum pro diabolo mortuum eſſe.

Palladius quidem aſſerit; *Nequè enim de cauſa generis humani, & poculo immortalitatis, quod in ſe habet, ut omnibus proſit, Janſenius quidquam eſt inficiatus, aut hac in re malignis ſpiritibus nos compoſuit.* Sed Janſenium caligantibus oculis legit. Nam primum ſi non eſt inficiatus Janſenius,

ſuopte marte convicit ſe homines multos malignis ſpiritibus compoſuiſſe, imò omnes: quia Janſenius præmiſſô poculô immortalitatis, ac magnitudine pretii ſic arguit: *Alioquin etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſinè dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens.* pag 382. Hoc ergò bicorni argumentô Janſenianos peto: vel Janſenius inficiatus eſt ad Redemptionem Chriſti omnibus hominibus impenſam ſufficere pretii infiniti illius magnitudinem, vel non eſt inficiatus. Si primum; ergò non modò *impiam* & *blaſphemam*, ſed & *Archi-Arianam*, & *diabolicam* tenuit ſententiam, ut ratiocinatur Palladius. Si non eſt inficiatus, ergò & diabolum ſentit eſſe redemptum ſufficienter, quià in hac redemptione Nos malignis ſpiritibus compoſuit. Si id pro Janſenio ſuo audeant aſſeverare Diſcipuli, cum Auguſtino regero: *Mira ſunt quæ dicitis, nova ſunt quæ dicitis, falſa ſunt quæ dicitis: mira ſtupemus, nova cavêmus, falſa convincimus.* Aug. l. 3. Iul. c 3. Quis namquè Catholicorum umquam aſſeruit Chriſtum pro dæmonibus eſſe crucifixum? aliquandò pro illis crucifigendum deliravit Origenes, & jure reprobatus eſt. Quod Nos redempti ſumus, non eſt quidem noſtrorum gloria meritorum, ſed medicina morborum, quod inferioribus & miſerioribus tanta miſericordia ſubvênit: ſed hæc ad dæmones ampliandа non venit.

Cum verò noverimus bonorum omnium Creatorem reparandis Angelis malis nihil gratiæ contuliſſe: cur non potiùs intelligamus, quod tanto damnabilior eorum iudicatà ſit culpa, quanto erat natura ſublimior. Tanto enim minùs peccare debuerunt, quanto meliores nobis fuerunt: Nunc autem in offendendo Creatorem tanto execrabilius beneficio ejus ingrati extiterant, quanto beneficentius ſunt creati, Tract. 110. in Ioan.

creati, nec eis satis fuit desertores esse illius, nisi & nostri fierint deceptores. Similiter disserit S. Aug. l. 3. de lib. arb. c. 10. *Gravius est non solum nullâ suadente propriâ cogitatione peccare, quam ad peccandum alterius suasione traduci. Servata est ergò in utroque peccato justitia Dei sævientis . . . Et tamen quià minùs peccaverat homo quam diabolus, id ipsum ei valuit ad reparandam salutem.* Nempè qui, ut in fine subdit: *Quià minus iste consentiendo, quam ille in malè suadendo peccaverat.* L. 3. de lib. arb. cap. 10.

Consonat Gelasius Papa in opusculo contrà Pelagianos: *Author ergo bonus, ut bonum se opus condidisse firmaret si in eâdem sui conditione persisteret, inferioris creaturæ suæ miseratus offensam, quod Spiritalis substantia, quæ sui & alterius processerat ipsa deceptrix, atque in suâ nequitiâ perseverans omninò consequi digna non fuerat; terrenæ conditionis, & per fraudem deceptæ substantiæ* NATURAM *clementer suscepit, &* CAUSAM.

Ideò & S. Prosper homines, quamtumlibet pessimos, à Dæmonibus dispescit: quià illis, non his remedia suppetunt Christi morte comparata, quorum obtentu Salvari queant: *Hoc*, inquit, *inter malos homines distat & dæmones, quod hominibus etiam valdè malis supereſt, si Deus misereatur, reconciliatio* (nempè per Sanguinem Christi, Sacramenta, fidem &c.) *Dæmonibus autem nulla est in æternum servata conversio.*

Nequè idem dicas, locum habêre in hominibus antè Christi Adventum damnatis; quià, etsi Christus pro illis ex inferno eruendis non sit Crucifixus; fuit tamen pro illis oblatus, sicut ab origine mundi occisus dicitur Agnus Dei, eò quod ejus intuitu in anteceſſum parata fuerint salutis remedia, quæ applicata poterant Salvâre universos. Sed quod non est bibitum, non fuit etiam medicatum.

Longè melius Arnaldus & Prosperum, & ipsam sufficientis notiones Redemptionis humanæ intellexit, vel vindices ejus *Sect.* 3. *art.* 5. de gratia sufficienti, ubi ad Argumentum pro dæmonibus adductum, ità respondetur: *Licet sit in Christo virtus infinita, & ad redimendos etiam dæmones sufficiens; quià tamen non sunt capaces percipiendi influxum & actionem Christi per fidem & Sacramenta: siquidem eorum natura irreparabiliter est damnata, & in malo obdurata, ac sunt extrà statum merendi & salutem consequendi, atque ità non sunt in potentia ut Christo uniantur, idcircò Christus non potest dici sufficienter mortuus pro dæmonibus. Quamobrem nullam causam nullumque remedium pro eorum salute instituit: omnes autem homines quamdiu sunt in hâc vitâ vel recipiunt actu, vel sunt capaces recipiendi influxum & actionem Christi per fidem & Sacramenta, vel actu uniuntur Christo, vel sunt in potentia, ut Christo uniantur.* Quod probatur ex S. Thoma 3. p. q. 8. a. 3. O. Ubi ait: *Christus est caput omnium hominum, sed secundùm diversos gradus. Primò enim & principaliter est caput eorum qui actu sibi uniuntur per gloriam. Secundò qui uniuntur sibi per Charitatem. Tertiò eorum qui actu uniuntur per fidem. Quartò verò eorum qui sibi uniuntur in potentiâ nondùm reducta ad actum, quæ tamen est ad actum reducenda secundùm divinam Prædestinationem. Quintò eorum qui in potentia sunt sibi uniti, quæ numquam reducetur ad actum, sicut homines hoc in sæculo qui non sunt Prædestinati, qui tamen ex hoc sæculo recedentes totaliter desinunt esse membra Christi, quià nec sunt in potentia ut Christo uniantur.*

Vindic. de gratia suff. se. 3 a. 5. pag. 538.

Et pag. 541. *Quià ergò per Passionem Christi instituta & præparata sunt remedia, per quæ omnia omnium hominum, qui ijs uti voluerint, peccata remitti possunt quocumque loco & tempore; & mors*

Christi

Christi omnes, quibus per fidem & Sacramenta applicatur, efficienter à peccato, pœnâ, & potestate diaboli liberat; ideò etsi aliquibus ijs remedijs uti nolentibus non applicetur, nihil tamen deperit ejus efficaciæ. Pag. 542. Confirmat exemplô parvulorum, qui sinè baptismo moriuntur, quibus remedium per Christi mortem paratum est, nempè *Baptisma*, quod juxtà D. Thomam art. 4. ad 3. *habet efficaciam ex passione Christi.* Et pag. 344. col. 2. Tridentinum Sess. 6. can. 3. ubi dicitur: *Etsi pro omnibus Christus mortuus est, non omnes mortis ejus beneficium accipiunt, sed hi dumtaxat, quibus meritum ejus communicatur*, sic exponit: scilicet per fidem, quam omnes non receperunt. Nam, ut idem dicit Concilium sess. 6. cap. 2. *Hunc proposuit Deus propitiationem per fidem.*

Non igitur solius magnitudinem pretii, nec pretium in se spectatum, sed pro hominibus oblatum, virtute cujus præparata sunt remedia salutis applicabilia, quibus omnes redempti possint pro statu viæ Redemptori suo adunari ut membra capiti, pensandam censuit doctissimus Arnaldus; adeòque admodùm perperàm à Redemptione sufficienti omnium hominum ad Apostatas Angelos argumentum trahi, prout Jansenius facit, & ob quam causam Prosperum deserit.

Dices: Arnaldus ibidem sæpènumero ad *Magnitudinem pretij* de quâ S. Prosper, recurrit; ergò à Jansenio non dissidet.

Resp. distinguendo: recurrit ad magnitudinem pretii in se spectati, nego; pro omnibus etiam, quibus non applicatur, oblati ex intentione redimentis, pernego. Si namque ad pretium in se spectatum aciem tantùm figeret, etiam dæmones hominibus componeret, sicut Jansenius; quod tamen aspernatur. Quod autem spectet illud pretium ut oblatum, & velut causam

ſam, è quâ remedia omnibus neceſſaria ad ſalutem profluxêre, claret ex dictis. Nam fidem, & Sacramenta non pro dæmonibus, ſed pro hominibus omnibus reſpectivè inſtituta agnoſcit Arnaldus, & cum Auguſtino, admittendo baptiſmum Parvulis cunctis neceſſarium, omnibus illis facit Chriſtum *Jeſum*, id eſt, *Salvatorem*.

SECTIO III.

Ianſenius magnitudinem Pretij, ut non oblati pro omnibus hominibus, ſpectavit, & à Majoribus ſuis Lovanienſibus degeneravit.

PArili Hallucinationis tramite, quo à Proſperi intellectu abiit Janſenius, à Majorum ſuorum Placitis deſcivit: nimirùm in ſolâ pretii dignitate Redemptionis noſtræ ſufficientiam conſtituens, & in hoc à nativâ redemptionis notione deficiens. Si quis namque Sultano vim pecuniæ daret decem captivis redimendis ſufficientem, ſed vel ad nullius, vel ad unius dumtaxat captivi redemptionem offerret atquè dirigeret, quantùm eſt ex parte ſua; nemo ſanæ mentis eum vel decem, vel plus quam uniùs Redemptorem agnoſceret. Imò datô, quod Sultanus non à Donatore pecuniæ excitatus, pro ſuo beneplacito captivos manu mitteret, non Donatori pecuniæ, ſed Sultano grates penderet. Igitur ſola pretii ſufficientia Redemptoris officium non abſolvit; adeòque non plus homines quam dæmones Redemptori gratias deberent, cum eadem eſſet Redemptori affectio intentioque, & pretii dignitas eadem utriſque redimendis ſufficeret. Jam verò Janſenius pro hominibus, quibus mors Chriſti non profuit

fuit, pretium oblatum esse negat ex Redimentis voluntate & intentione, & ideò sufficientem illam, ne ad Dæmones extendatur, Redemptionem repudiat; Ergò Redemptor eorum dici non poterat. *Non quod ullo pacto negatum velit pretium illud infinitum non esse sufficiens ad redemptionem omnium omninò infidelium, imò etiam Dæmonum omniumque damnatorum* (prout ipse dicit de Ecclesia Lugdunensi) *sed quod esse passum, Crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro omnibus, plus aliquid dicat, quam nudè pretium sufficiens obtulisse, quod iis applicari nolit. Illud enim indicat ex intentione redimentis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos re ipsa de servitute liberaret, non sub illa conditione, si ipsi velint, qui nisi Deo donante velle non possunt, sed ut velint & credant potenter in eorum voluntatibus operando.* Iansen. l. 3. de Grat. c. 21. pag. 385.

Sed Christus non intendit, *ut re ipsa de servitute liberentur*, qui de ea numquam liberantur. Igitur Redemptoris officium Christus non adimplevit aliter, quam Pretium solvendo, quod & dæmonibus atque hominibus, quibus beneficium mortis ejus non applicatur, redimendis seu liberandis æqualiter sufficeret.

Non sic veteres Lovanienses, nec Duacenses Pretium Magnum Redemptionis nostræ Generalis librandum censuêre; sed ut oblatum pro omnibus, nemine demptô, hominibus, quibus præparata sunt remedia, per quæ merita in animas redemptas influere possint: etsi ex Dei ordinatione occultâ & justissimâ non ab omnibus suscipiantur, ut claret in Parvulis defectu baptismi damnatis.

Probatur id primò ex Responsione Censuræ Lovanienſis ad Assertionem, seu objectionem decimam sextam sic sonantem: *Christus pro omnibus*

nibus mortuus est, & pro omnibus instituit Sacramentum in remedium peccatorum nemine excepto.

Respondet censura: *Ex eo, quod Christus pro omnibus parvulis mortuus est, & baptismum instituit, non rectè colligitur sufficiens eos contrà peccatum habêre remedium.* Et infrà: *Et quamquam dici posset, sufficiens pro omnibus institutum remedium; dici tamen non potest id eos habuisse, quod nec in suâ nec in suorum habuerunt potestate.* Ecce Antiquitas Lovanienſis non contenta Pretii dignitate, effectum oblati pretii admittit baptiſmum ſcilicet pro omnibus, exceptô nemine, inſtitutum.. Quod ſicut pretii ſufficientia, ad dæmones extendi non poteſt.

Conſonat Duacenſis: *Mors Christi, & Sacramentum remedia sunt, quæ saluti sufficiunt omnium parvulorum, nemine exceptô; sed non indè est consequens, omnes Parvulos habêre sufficiens remedium.*

Jacobus etiam Bajus lib. inſtit. Chriſt. cap. 108.; *Sufficiens pretium datur, non quià omnibus & singulis propter illud sufficiens auxilium datur; sed quoniam omnes possunt obtinêre per* Christum *sufficiens auxilium, & simul quià Deus omnes per Christum invocantes, ad propriam ipsorum salutem exaudire paratus est.* Quod utique verum non eſſet, ſi Chriſtus ſemetipſum in lytrum, & redemptionem pro omnibus non obtuliſſet, omniumque cauſam & culpam non ſuſcepiſſet, ut eſſet totius mundi propitiatio, quantùm in Medico fuit, ac Redemptore.

Objicies. Cenſura Duacenſis ad aſſertionem, Reſpondet: *Sufficientia quam postulat generalis redemptio, in pretio Sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio.*

Reſpondeo, intelligendum non de pretio merè ſufficienti, non oblato ac ſterili, ſed tali, è quo remedia omnibus neceſſaria fluxerunt, & ſalu-

salutifera, si Deus applicare dignetur. Nam Sacramentum pro omnibus parvulis institutum, atque sufficiens admittit dicta Facultas ad Assert. 16.

Quod si regeras, Lovanienſem Facultatem respondisse Assertionis: *Christus Redemptor omnium quoad pretij sufficientiam*:

Responsio eadem nodum solvet: cum in responsione oblati pretii & applicati ad remedia mentio habeatur per hæc verba: *Quià merito Sanguinis ejus omnes à peccatis liberari possent, si crederent; non est autem Redemptor omnium quoad efficaciam, quià non omnibus datur, ut credatur.* Ità oportuit respondêre Jansenium pro omnibus hominibus, ut non patrocinaretur humani generis hostibus.

Censura Duacensis respondit verbis Prosperi ad Vincentianam, & ad cap. 9. Gall. Sed illa responsio plus quam nudam pretii magnitudinem exhibet. Et cum Censura, ex sententia adversariorum pro sufficienti omnibus dandâ gratiâ decertantium, duo velut absurda Consectaria sub alternante conditione inferat, nempè: *aut Parvulis, quibus per baptismum succurri non potuit, tale auxilium tribuendum; aut certè oporteat dicere non pro illis Christum se dedisse redemptionem;* Liquet, quod cum Parvulis auxilium omninò sufficiens negent dari Duacenses; alteram partem non inficientur, Christum pro illis se dedisse redemptionem.



SEC-

SECTIO IV.

Ianſenium, ſi ſui memor erat, à S. Proſpero recedere non oportuit.

Aug. l 1. cont. Iul. c. 7.

SI Juliano Ambroſium deferenti, quem Magiſter Pelagius magnô præconiô extulerat dicens: *In libris ejus fidem lucere Romanam, qui Scriptorum filos quidam ſpecioſus enituit, ità ut ejus fidem, & puriſſimum in Scripturis ſenſum reprehendere nec inimicus auderet*, tantam laudem improperet; quantò magis Janſenio Proſperum deferenti ingerenda eſt ipſa commendatio, & laus data Proſpero ab ipſo Janſenio? in lib. *de gratia primi hominis* inter Diſcipulos Auguſtini *Primum nominat*. Et l. de *ſtatu naturæ lapſæ* ejus Authoritate ſe munit. Semper vocat Proſperum Germanum Auguſtini *Diſcipulum*, cujus Authoritate Auguſtini Doctrinam de gratia Chriſti probare contendit. Nunc verò, ubi de Redemptione ac morte Chriſti agitur, velut à ſenſu Auguſtini abeuntem deſtituit dicens: *Et quià Proſpero antiquior ac Doctior Auguſtinus numquam in ſcriptis ſuis fatetur Chriſtum pro omnibus, nullo excepto, ſe dediſſe redemptionem, vel Crucifixum eſſe, vel mortuum, ſed tantummodo pro illis, quibus mors ipſius profuit, qui certo modo & multi & omnes ſunt, hinc genuinius veriuſque reſpondemus, &c.* Ac ſi Proſper veram ac Genuinam, ut ex dictis eum velle in comparatione cum Dæmonibus oſtendimus, Auguſtini ſententiam aſſecutus non ſit, Generalem omnium hominum redemptionem adſtruendo propter ſolam magnitudinem pretii, ut putat Janſenius.

Ianſ. l. 3. cap. 21.

Quod ſi Auguſtinus cenſerit Chriſtum non eſſe mortuum, niſi pro illis, quibus mors ejus profuit, vicê-

vicêre Galli Prosperum, rectèque & sinè commento, aut mendacio objecerunt, quod juxtà Doctrinam Augustini, *non pro totius mundi Redemptione Salvator sit Crucifixus.* Nam si hanc ab Augustino invidiam Prosper amoliatur dicens Calumnias esse mendaces, & quod rectissimè *propter unam omnium hominum naturam, & causam à Domino in veritate susceptam omnes dicantur redempti*, scilicet ex mente, quem tuebatur, Augustini; corriget, & confundet Prosperum Doctior subtiliorque Augustini Discipulus ille Jansenius, qui dixit: *Numquam in scriptis suis* (Augustinus) *asseruit Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem.* Quid hoc est, nisi pro victis damnare Victorem, & Semi-Pelagianorum mendaces calumnias in veritatem commutare, Prosperumque non modò oscitantiæ & ignorantiæ, sed & mendacii reum agere? Sed de hoc statim.

SECTIO V.

Jansenius est Prospero & Augustino injurius, Gallorum Calumnias mendaces contrà mortem Christi pro omnibus hominibus pro vera S. Augustini doctrina adoptans.

TAgastæi Luminis Encomiastes & Discipulus inclytus Ruspensis Episcopus, duplicem Prædestinationem Augustini Authoritate communiens, S. Prosperi Testimonia cum laude interponere non ambegit, & quidem ea responsa in medium protulit, quæ contrà Gallorum calumnias exaravit: *Hæc interim pauca de libris* *S. Fulgent. ad Monim.*

S. Augustini & de responsionibus Prosperi ob hoc maluimus huic libello inferre, ut cuncti noverint, quid debeant de Prædestinatione Sanctorum impiorumque sentire, ut appareat ejusdem Beati Augustini dictis tenorem nostræ sententiæ convenire.

At Iprensis Antistes, nescio quid, scopo suo adversum malè suboleſcens ex dictis S. Prosperi responsisque ejus ad Gallorum falsas in Augustinum criminationes conscriptis, Prospero, velut ab Augustini tramite devianti nuntium remittit, & doctrinam S. Augustini à Prospero ad omnes omninò homines justè ac piè dilatatam, ad Genera singulorum, seu ad eos, quibus mors Christi profuit, Copiosam Christi Redemptionem restringendam censuit; ratus, Augustinum, non ut Prosper responderat, ad omnes sic extendisse; *quià nusquam in scriptis suis fatetur* Augustinus Christum pro omnibus, nullò *exceptô, se dedisse redemptionem, vel Crucifixum esse vel mortuum, sed tantummodò pro illis quibus mors ejus profuit.* Aut igitur Prosper erravit aut Jansenius, hic pro generibus singulorum, ille verò pro singulis Generum Augustinum interpretatus. Jansenius sententiam negantem Christum pro omnibus omninò mortuum, ut veram, genuinam germanèque Augustinianam venditat; Prosper verò ut mendacem calumniam, & S. Augustino indignam sobolem repudiat. Quod Gallorum obstrepens invidia Augustino adfingit, Jansenius ceu quid Augustini germanum plenèque simile dogmati adpingit. Hic aliô cum gallis marte conflictari non debuit, quià cum gallis fœdus icit. Ad Gallorum itàque objectiones Jansenio usqueadeò caras properemus.

Nona Gallorum objectio ità Augustino reboat: *Quod non pro totius mundi redemptione* (scilicet ex Augustini mente) *Salvator sit Crucifixus.*

Quid

Quid ad hanc Jansenius? *Augustinus numquam in scriptis suis fatetur Christum pro omnibus, nullo excepto, se dedisse redemptionem, Crucifixum esse &c. Sed tantummodo pro illis, quibus mors ejus profuit.* Igitur vera est Gallorum objectio.

Quid ad hanc & similes S. Prosper? In Præfatione ad Capitula Gallorum confitêtur: Quod *injustis opprobrijs Catholici Prædicatoris*, Augustini, *memoria carpatur, & quod in peccatum cadant, qui alienâ instigatione commoti Scriptorem celeberrimi nominis promptiùs habeant culpare quam nosse.*

Fatêtur quoque, *se in nullo recedere à tramite earum definitionum, quæ in Sancti Viri disputationibus continentur.*

Ad objectionem verò non concedit, quod Jansenius, sed respondet, & diluit: *Nullus omninò est ex omnibus hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro suscepta non fuerit.* Et infrà: *quod Rectissimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione Crucifixus, propter veram humanæ naturæ susceptionem, propter communem in primo homine perditionem.*

Vincentiana prima ità resonat: *Quod Dominus noster Jesus Christus non pro omnium hominum salute & redemptione sit passus.*

Quid ad hanc Jansenius nisi annuendo remutiet, & dicendo: *quod juxtà Sanctissimum Doctorem* (Aug.) *non magis Patrem pro æternâ liberatione ipsorum* (non Prædestinatorum) *quam pro diabolo deprecatus fuerit.* Item: *Nullo modo Principijs ejus consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, Sanguinem fudisse, Patrem orasse sentiatur.* *Iansen. l. 3. de Grat. Chr. pag. 390.*

Quid ad ista S. Prosper? Primò de objectione hâc & aliis in Præfatione dicit esse *Blasphemiarum*

prodigiosa mendacia... qualia diabolico continentur indiculo: Et sub finem se ista refellere, *ut evidenter agnoscant impiarum prophanarumque opinionum nullum cordibus nostris inhæsisse vestigium: & blasphemias, quas perspexerint, nostrâ professione damnari.* Ecce iisdem notis Prosper aspergit hanc, aliasque Vincentianas, quibus Romani Pontifices Jansenianam quintam.

Quid ergò Prosper ad obiectionem directè respondet? *Contrà vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata natura est... Verum & potens ac singulare remedium est Mors Filij Dei Domini nostri Jesu Christi... Quod ergò ad Magnitudinem & potentiam pretij, & quòd ad unam pertinet Causam Generis humani, Sanguis Christi Redemptio est totius mundi.* Et ne impropriè loqui videretur, concludit: *Cum itàque propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino in veritate susceptam rectè omnes dicantur redempti.* Deindè subjicit eam, quæ effectum sapit, proprietatem, quam dicit in omnibus non obtinêre, eò quod non omnes à Captivitate sint eruti.

Cum itàque neque de Generibus singulorum ageret Vincentius, sed de singulis Generum; nec ambigere posset, quin Augustinus, qui Christum verum Dei Filium prædicabat, magnitudinem & sufficientiam ad redimendos omnes nemine exceptô, in Christi Sanguine agnovisset; alia erat de Redimente consideratio, ob quam Augustino impingebant, quod veram & rectè dictam, omnium & singulorum redemptionem esset inficiatus. Et fors ea ipsa Augustini loca permoverunt, quæ Jansenium moverunt, ut hoc ipsum de Augustini mente sibi persuasum haberet.

Alioquin erat in proclivi responsio Prospero: *Verum est quod dicitis*, Augustinus dixit, & verum

rum dixit asserens, Christum nequè pro omnibus, nequè pro omnium salute esse Crucifixum, quià nequè pro salute justorum, qui non salvantur, nequè pro sanctificatione seu justificatione peccatorum, qui non justificantur in sanguine ejus, semetipsum dedit in pretium seu redemptionem, sed dumtaxat pro illis qui talibus beneficiis reipsa perfruuntur.

Jansenius namquè docet similem objectionem, ut Catholicam, ab Augustino facilè admissum iri. Nam agens de Hincmaro Rhemensi lib. 8. *de Hæresi Pelag.* cap. 23. inter articulos ab Hincmaro Rhemensi Archiepiscopo objectos refert tertium: *Quod non pro totius mundi redemptione, id est, pro omnium hominum salute & redemptione Dominus Salvator sit Crucifixus & mortuus, sed tantùm pro illis qui Salvantur. Quod* pag. 546. *ipsissimis verbis, etiam Augustino exprobatum est à Massilienſibus, quod non pro totius mundi redemptione Salvator sit crucifixus: nam quod additur apud Hincmarum, sed tantùm pro ijs qui salvantur, non est nisi partis præcedentis expositio, quam subintelligi volebant Massilienses.* Hæc Jansenius.

De hoc, & aliis articulis asserit pag. 549. quod sint ab Augustino, Prospero, Fulgentioque traditi, *Qui vel fidem Catholicam, vel Doctrinam non improbandam continebant.*

Quod S. Prosper ad Excerpta Genuensium scribit, Jansenio dici posset: *Miror Sanctitatem vestram objectionem calumniantium à Persona Defensoris gratiæ non potuisse discernere ut verba obtrectantium, & ipsi, qui obtrectatoribus suis respondit, aptasse.*

SECTIO VI.

Argumenta contrà veràm ac sufficientem omnium omninò hominum Redemptionem solvuntur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Ex S. Augustino lib. 3. cont. Jul. cap. 3.

SAnctus Augustinus ridet Julianum quasi dicentem de Parvulis : *Redimuntur, sed non liberantur.*

RESPONSIO.

AGit Augustinus de applicatione redemptionis per baptismum, quem Julianus docebat Parvulis dare gratiam adoptionis, sed non remissionis, seu liberationis à peccati servitute. Undè addit Aug. : *Lavantur, sed non abluuntur.*

ARGUMENTUM II.

SAnctus Augustinus innumeris locis mortem Christi pro omnibus explicat pro generibus singulorum, sivè pro omni conditione, statu, sexu hominum, quibus constat Ecclesia.

RESPONSIO.

AUgustinus agit de Redemptione quoad fructum seu efficaciam. Nam, si de sufficientiâ agitur, illam ad omnes, etiam baptismô orbatos, parvulos extendit, ut posteà invictissimè demonstrabitur. *Quibus Christus opus, his procul dubio est Jesus.*

ARGUMENTUM III.

Ex S. Prospero & Hilario.

SAncti Prosper, & Hilarius referunt Massilienſium esse ſententiam quod universis hominibus propitiatio ſit in Sacramento Sanguinis Christi.

RESPONSIO.

MAssilienſes Christum ſinè delectu, ſeu indifferenter pro omnibus, qui Salvari vellent per liberum arbitrium, & Medicum imploraverunt, docuerunt mortuum: ità quidem, ut inter efficacem redemptionem, & ſufficientem non facerent diſtinctionem. Quià Deus omnes volentes Salvari vult ſalvos fieri, & quod Parvuli non Salvarentur, prævisæ malæ voluntati eorum, ſi viverent, imputabant. Sed de hoc poſteà.

ARGUMENTUM. IV.

Ex eodem S. Proſpero ad actionem Vincentianam primam.

REdemptionis proprietas haud dubiè penes illos eſt de quibus Princeps hujus mundi miſſus eſt foras & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti: ſivè qui ſanctificantur in Sanguine Chriſti, ut exponit Janſenius. Ergò propriè tantùm pro illis Chriſtus mortuus eſt, ſivè ſe dedit in redemptionem pro illis, qui reipſa juſtificantur, & quibus mors Chriſti prodeſt.

RESPONSIO.

SAnctus Proſper proprietatem redemptionis accepit ex parte effectûs, ſicut diceremus furem à patibulo non eſſe redemptum ſi reipſa indè non liberaretur, non obſtante redemptionis pretiô pro eo perſolutô.

Vult ergò dicere S. Prosper, quod homo per hoc solum à servitute peccati, & diaboli non sit redemptus, seu cum effectu liberatus, quod Christus pro illo mortuus sit ac pretium solverit; sed quod debeat mors illa per Sacramentum applicari. Ità se explicat idem Doctor verbis sequentibus: *Cujus mors non ità impensa est generi humano, ut ad redemptionem ejus (effectum) etiam qui* regenerandi non erant, pertinerent: *sed ità, ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per singulare Sacramentum celebraretur in singulis.* Alioquin non rectè subderet: *Poculum quippè immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostrâ & virtute divinâ, habet quidem in se ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.* Malè & antè dixisset: *Cum propter unam omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti:* Soli namque *rectissimè dicerentur redempti, penes quos redemptionis proprietas est, sivè qui à captivitate sunt eruti.*

Prætereà quasi aliqui non essent à captivitate diaboli eruti v. g. Cathecumeni, qui incipiunt credere, & nondum satis contriti vel dispositi ad Sacramentum Baptismi; nonne illi ex meritis Christi acciperent, & fidem, & omnem inchoatam conversionem? Id nec Prosper, nec ullus Catholicorum in dubium vocare possit.

ARGUMENTUM V.

Ex eodem Prospero Resp. ad 9. object. Gallorum.

Potest tamen dici, inquit, *pro his tantùm Crucifixus, quibus mors ipsius profuit.*

RESPONSIO.

AGit rursùs de Crucifixione cum effectu, ac si diceret: Crux, & Mors Christi non prodest sinè Sacramento, per quod redemptis applice-

plicetur. Semetipsum explanat rursùs idem Sanctus : *Sicut itàque non sufficit hominum innovationi, natum esse hominem Jesum Christum, nisi in ipso eodem, de quo ipse ortus est, Spiritu renascantur; sic non sufficit hominum redemptioni Crucifixum esse Dominum Jesum Christum, nisi commoriantur ei, & consepeliantur ei in baptismo. Alioquin, nato Salvatore in carne substantiæ nostræ & Crucifixo pro omnibus nobis, non fuerat necessarium, ut renasceremur, & similitudine mortis ejus complantaremur. Sed cum sinè hoc Sacramento nemo hominum consequatur vitam æternam, non est Salvatus Cruce Christi, qui non est Crucifixus in Christo.*

S. Augustinum de effectu mortis Christi contrà Julianum scribentem æmulatus est Prosper, ubi dicit : *Cum semel sit mortuus, tamen pro unoquoque tunc moritur, quando in ejus morte, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur, id est, tunc eis proderit mors ejus, qui fuit sinè peccato, quando in ejus morte baptizatus, mortuus etiam fuerit ipse peccato, qui mortuus fuerat in peccato.* L. 6. cont. Iul. c. 15.

Quis jam non videat de effectu redemptionis, qui sinè Sacramento obtinêri non potest, Prosperum disseruisse, non autem de sufficientia tamquam causa ad omnes pertinente ? Alioquin certâ consecutionis lege ex Prospero flueret, quod nullus eorum, qui baptizati nondum sunt, Christi Sanguine redemptus esset, licet posteà baptizandus foret : quià de omnibus non baptizatis veraciter diceretur : nondum ex illis *Princeps hujus mundi missus est foras, nondum Crucifixi sunt in Christo, nondum eruti sunt de captivitate diaboli.* Stupenda est ergò hallucinatio Jansenii, & assecularum ejus circà Prosperum, qui mentem suam luculentissimè testatam fecit, se universalis hominum redemptioni nihil detractum velle, his verbis : *Nullus omninò est ex omnibus hominibus,*

cujus natura in Christo Domino suscepta non fuerit. Sed ad quid juvat omnium suscepisse naturam, si non ut satisfaceret pro omnium culpâ? Ad quid suscepta natura, si non perditio naturæ pensata, si non causa à Redemptore suscepta fuerit, *ut rectissimè omnes dicerentur redempti?* Atque S. Prosper hæc omnia disertè asserit, & *rectissimè* omnes dici redemptos, *& causam omnium in veritate susceptam à Domino Jesu Christo*; ergò.

SECTIO VII.

Prima pars quintæ Jansenianæ ostenditur è Libro Jansenij ritè excerpta, quæ ita sonat: Semi-Pelagianum est, dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

UT hanc propositionem malè Jansenio adfictam doceant Jansenii vindices, oppositam, hoc est, Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse *sufficienter* asserunt, & per summam calumniam Sedi Apostolicæ objectare non verentur. Sed has iniquitatis officias, argutiasque luce veritatis dispulimus, ostendentes Jansenium à Prospero defeciisse. Nunc verò dispiciendum occurrit, num Semi-pelagiani erroris notâ lutulaverit sententiam asserentem Christum pro omnibus omninò mortuum esse.

Antè omnia exploratissimum est Jansenium Massilienſibus eam tribuisse sententiam, & ex illa contrà gratiæ efficacis Defensores arma procudisse: nam Argumenta Molinianorum pro gratiâ sufficienti omnibus data à Morte & Redemp-

demptione Christi deprompta, dicit *ad Nauseam à Pelagianis, præsertimque Semi-Pelagianis* inculcata, ideòque *mirum* vidêri, *Recentiores tanto studio trita hæreticorum arma colligere, & obsoleta recudere.* Et in Parallelo *erroris Massilienſium & Recentiorum*, dicit Faustum infeliciter imitatum Massilienses, *qui Christum pro omnibus mortuum esse, adversùs quorumdam prædestinationem ad vitam, invidiosissimè premit.* Sed negabunt Jansenianí propterea fuisse Hæreticis associatos, sicut modò pernegant. Quamquam Vincentius Paleophilus plus aliquid subolere faciat, dum Vincentianam objectionem, & cap. 9. Gallorum ità vocat *tela rancida atque exesa*, ut *asserat ab hostibus Dei & Ecclesiæ adversùs Catholicam Doctrinam intorta, licet veri aliquid contineant.* Itàque id sensisse Jansenium,

L. 3. de Gr. Chr. c. 21. pag. 380.

Parallelo not. 14. pag. 1086.

Vincentius Paleophil. pag. 9.

Probatur 1.: Jansenius censuit Semi-Pelagianum, & hæreticum dogma, quod Ecclesia Lugdunensis velut *noxium* & *erroneum* reprobat, & à *pio auditu fidelium explodit*; atqui hoc juxtà eundem Jansenium docuerunt Semi-Pelagiani, & qui eos imitati sunt, signanter Hincmarus Rhemensis Archiepiscopus, ergò.

Minor ex eodem Jansenio liquet post Ecclesiæ Lugdunensis & Valentini declarationem subdente: *Quis autem scriptorum istorum Coryphæus fuerit (nempè Hincmarus Archi-Episcopus Rhemensis) & quantoperè in proscribendis quibusdam articulis tamquam hæresios prædestinatianæ dogmatibus aberraverit, cum eos Catholica fides tamquam vel vera vel à Patribus tradita veneretur ut latius diximus.*

L 3. de Grat. Chr. Sal. pag. 386.

Quod autem in puncto Redemptionis nostræ Hincmarum Rhemensem Massilienſibus in hoc composuerit, rursùs patet ex libro 8. de *hæresi Pelagiana* cap. ultimo pag. 546. ubi Hincmarum dicit velut dogma Prædestinatianorum objeciſſe pro-

propositionem de morte Christi, quæ coincidit cum Gallorum cap.9.apud Prosperum, dicitque nihil aliud esse, quam calumnias Massilienſium, *adversùs Augustinum ac doctrinam Ecclesiæ, quam hæresis nomine traducebant.* Et quæ erat doctrina, quam hæresis nomine traducebant, Authore Jansenio, nisi quod Hincmarus objiciebat: *quod non pro totius mundi redemptione, id est, pro omnium hominum salute, & redemptione Dominus & Salvator noster Jesus Christus crucifixus sit & mortuus, sed tantùm pro ijs qui salvantur?* Hanc Jansenius cum Massilienſium objectione convertit. Hanc ergò calumniam, quam ut hæresim Prædestinatianorũ Hincmarus traduxit, *Doctrinam Ecclesiæ* Jansenius appellat; ergò oppositam, quæ asserit Christum pro omnium redemptione mortuum, ut contrariam doctrinæ Ecclesiæ, adeòque erroneam, Imò & hæreticam censuit.

L.8. de har. Pelag. c.ult. pag.547.

Nam de Valentinâ Synodo refert: *Hæc igitur cum accuratiùs ponderasset Valentina Synodus, quæ tempore Hincmari & contrà Hincmarum cæteroſque illorum articulorum damnatores celebrata fuit, tamquam Catholicam fidem tradit id quod Hincmarus in Godscalco tamquam Prædestinatianam hæresim condamnaverat.* Inter articulos autem illos Jansenius numerat tertium, *quod non pro omnium hominum salute & redemptione Dominus & Salvator noster Jesus Christus sit Crucifixus, & mortuus.* Igitur hæc Doctrina tamquam Catholica fides tradita per Concilium Valentinum judicata est; ergò oppositа, quæ erat Hincmari & Massilienſium, Authore Jansenio, ut hæretica judicata. Ergò verum est; quod juxtà Jansenium Semi-Pelagianum sit, *dicere Christum pro omnibus omninò hominibus mortuum esse.*

pag.548.

pag 549. Conformia sunt, quæ de eodem Hincmaro, affirmat: quod *Hincmarus Massilienſium objectiones*

nes

nes, & Anathemata pro hæresi Prædestinatorum acceperit... qui vel fidem Catholicam vel doctrinam non improbandam continebant. Et antè dicit, *hanc ab Augustino, Prospero, Fulgentioque* traditam.

En Jansenius calumnias Gallorum, quas ut mendaces & impias S. Prosper ab Augustino, & à se propulsârat, Doctrinam *Fidei, Doctrinam* Ecclesiæ appellat, & quidem ab Augustino & Prospero traditam; oppositam verò, id est, Mortem Christi pro omnibus omninò hominibus & fidei contrariam, & ab Hincmaro & Massilienſibus introductam, ac tandem in Valentinâ Synodo damnatam. Hæc plurimum lucis affundunt illis, quibus ab aliis contenta in Jansenio propositionis pars prima.

Probatur secundò, quià post Synodi Valentinæ Sanctiones, & Ecclesiæ Lugdunensis judicia, facta etiam, ut Præmissum est, Hincmari Rhemensis, contrà quem Valentina celebrata est, teste Jansenio, quid de illa sufficienti omnium redemptione sentiat Jansenius & quidem ad mentem ejusdem Synodi Patrum satis indicat, dum ità pergit: *Ex quibus omnibus jam satis arbitror patêre, Argumentum istud, quo Christus pro omnibus passus & mortuus, vel redemptionem pro omnibus dedisse dicitur, nihil omninò pro auxilio sufficienti omnibus nemine excepto, suppeditando facere.* Causam attendamus, quâ nempè destruit antecedens, mortem illam sufficientem, & hoc ex Patribus Valentinis & Lugdunensibus. Subdit namquè: *Nec enim juxtà Doctrinam Antiquorum pro omnibus omninò Christus passus aut mortuus est, aut pro omnibus omninò tam Generaliter Sanguinem fudit, cum hoc potiùs tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant esse respuendum.* Ubinam hoc declaratum putat Jansenius, & contrà quos, nisi contrà Semi-Pelagianos & contrà Hincmarum eorum supparem, ut præmiserat? Dicit

L. 3. de grat. Chr. c. 21. pag. 386.

Dicit Confutator Epistolæ Leodiensis, & Perillustris Ecclesiæ Defensoris criminator haud vulgariter pertinax Jansenii vindex: *Patet Jansenium non aliud dicere, quam juxtà doctrinam antiquorum Christum non generaliter pro omnibus passum, aut mortuum esse, aut sanguinem fudisse, ut omnibus omninò pretium passionis mortis ac sanguinis, voluntate absolutâ & efficaci applicare voluerit; cum hoc potiùs tamquam errorem à fide Catholica abhorrentem doceant respuendum.* Sed

Respondeo, quod licet nos ad dicta Sanctorum Patrum, signanter Augustini respondêre possimus, atque etiam ad Concilium Valentinum, utpotè qui præter efficacem redemptionem à sufficienti dividimus, non sic tamen Jansenius, qui nullam sufficientem admisit, ut antè probatum est, imò eam ad Massilienses transcribit, & oppositum docet esse Augustinianum & Catholicum. Una ergò juxtà Jansenium Augustino est & sola Redemptio, quæ suô numquam effectu viduatur, quià Christus non est mortuus *nisi his quibus mors ejus profuit.*

Hoc Massilienses non sustinuerunt, non Hincmarus; & intulerunt, velut hæresim, ergò Christus non est pro omnibus mortuus. Juxtà Jansenium dictum Augustini erat de fide: non est pro omnibus mortuus. Hoc contrà Hincmarum definit Valentina Synodus. Quid igitur, nisi quod Hincmarus & alii sufficientis dumtaxat & non efficientis redemptionis Defensores, quales erant omnes Semi-Pelagiani, fuerint hæretici? Numquid enim Molinianos illis semper componit Jansenius, eò quod & sufficientem Redemptionem asserant, & sufficientem indè gratiam eliciant, licet non pro omnibus efficacem tribuant?

Instabis: Jansenius indicatum cupit Patres Lugdunenses non esse inficiatos, Christum mortuum

esse

esse pro omnibus sufficienter, ergò non censuit Assertores sufficientis Redemptionis omnium esse ut hæreticos ab iis judicatos.

Probat Anteced. quià dicit: *Non quod ullô pactô negatum velit pretium illud infinitum non esse sufficiens ad Redemptionem omnium omninò infidelium.*

Resp. Admittere solum pretium, sicut Jansenius, est nullam admittere Redemptionem, prout fusè monstratum est.

Et si ideò Ecclesia Lugdunensis admiserit, etiam admisit Redemptionem Dæmonum, nam de eodem pretio subdit Jansenius, *Etiam dæmonibus.* Et quià vidit hoc non sufficere, subjunxit; sed quod passum esse, Crucifixum, mortuum, se redemptionem dedisse, vel propitiatorem esse pro nobis, *plus aliquid dicat, quam nudè pretium obtulisse, quod iis applicare nolit. Illud enim indicat intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater reipsa de servitute liberaret.*

Itàque juxtà Jansenium inter pretium sufficiens offerre, quod etiam dæmonibus, ipsô probante applicatur, & inter efficacem Redemptionem vi cujus reipsa Pater hominem liberat, non datur redemptio media quæ verè ac *rectissimè*, ut Prosper ait, talis dicitur, & sufficiens, & qualem parvulis non baptizatis, nec baptizandis concedere debent omnes. Et ideò putat Ecclesiã Lugdunensem & Concilium Valentinum meritò Hincmarum damnasse velut assertorem Redemptionis omnium; eò quod omnis Redemptio debeat omnibus reipsa prodesse. Atque Semi-Pelagiani idem cum Hincmaro senserunt; ergò illi propterea erraverunt ut hæretici, quod Redemptionem admiserint aliam quam efficacem, id est, illam, quæ ad omnes omninò homines pro statu viæ extendatur. Quod si ideò Hæretici fuerunt;

ergò

ergò & Prosper; imò Augustinus ipse, qui, ut fusè probabitur, licet excellenter de efficaci redemptione loquatur, nec eam ad omnes producat; aliam tamen admisit respectu eorum, qui mortis Christi beneficium non consequuntur, sicut & Synodus Tridentina loquitur.

Quod ex Tridentino solet pro sufficienti Redemptione adduci: *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt*, Palladius in spongia unô flatu dissipare nititur dicendo, *ly omnes accipiendum* pro generibus singulorum, non pro singulis generum, ut sensus sit: licet Christus mortuus sit pro omni statu, genere, sexu, conditione, &c.; Non omnes tamen cujusque statûs, Generis, conditionis, sexûs beneficium mortis ejus accipiunt: sed hi dumtaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur. Fundamentum ejus est, quod vox illa *omnes* sic accipiatur sæpè in Scripturis, signantur à Sancto Augustino. *Licuit*, inquit, *Concilio loqui cum Apostolo. Non libuit impeditam de voce* omnibus *disceptationem evolvere, ac minus in Prosperi gratiam Magni Augustini explanationem quasi per cuniculos furtivos suffodere.* Censet itàque per Augustinum vocem *omnibus*, præsertim de morte Christi non aliter, quam pro generibus singulorum fuisse explanatam. Si secùs ex Augustino demonstraverimus, & hoc effugium auferetur. Quàpropter tempus est, ut S. Augustinum adeamus, & cum eo, & pro eo loquamur.

Palladius in Spongia fol. 31.

SEC-

CAPUT II.

De falsitate primæ partis Ianseniane Propositionis quintæ, assertionem mortis Christi pro omnibus Semi-Pelagianismi insimulantis.

PRosperum S. Augustini Vindicem strenuum, & Semi-Pelagianorum Debellatorem acerrimum disertè traditam reliquisse mortem Christi pro *omnibus omninò hominibus*, atque à tramite S. Augustini non deviasse convicimus. Proindè nec Augustinus, nec Prosper Semi-Pelagianus fuit, vel esse potuit. Augustini mentem infrà uberiùs libaturis., Semi-Pelagianorum sensa de morte Christi juvat ex Prospero, cui perspicua fuêre, prælibare, ut ad solis radios rutilet discrimen Catholicos inter & hæreticos illos de Redemptionis beneficio differentes. Itàque sit

SECTIO PRIMA.

Semi-Pelagiani docuêrunt Christum sinè delectu, & indifferenter, & æquâliter pro omnibus esse mortuum.

SEmi-Pelagianorum nova placita de morte Christi Augustinum docet S. Prosper his verbis: *Universis hominibus propitiationem, quæ est in Sacramento Sanguinis Christi, sinè exceptione esse propositam, ut quicumque ad fidem & baptismum accedere voluerint, salvi esse possint . . . Ideòque omnem hominem ad credendum & ad operandum divinis institutionibus admonêri, ut de apprehendendâ vitâ æternâ nemo desperet, cum voluntaria*

tariæ devotioni remuneratio sit parata. Nam, teste Hilario, censebant *nullam ità depravatam esse naturam, ut non debeat vel possit se velle sanari: propter quod vel sanetur quis à suâ, vel si noluerit, cum suâ ægritudine puniatur.* Præmiserat: *Quod enim dicitur: Crede & salvus eris, unum horum exigi asserunt, aliud offerri, ut propter id quod exigitur si redditum fuerit, id quod offertur deinceps tribuatur.* Et S. Prosper in carmine de ingratis cap. 10.

Gratia quâ Christi populus sumus, hoc cohibetur
Limite vobiscum, & formam hanc adscribitis illi:
Ut cunctos vocet illa quidem, invitetque, nec ullum
Præteriens studeat communem adferre salutem
Omnibus, & totum peccato absolvere mundum.
Sed proprio quemque arbitrio parêre vocanti
Judicioque suo, motâ se extendere mente
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahat ulli.

Et cap. 6.

Cum sinè delectu seu lex seu gratia Christi
Omnem hominem Salvare velit, donumque vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate suâ proprioque vigore venire.

Itàque Semi-Pelagiani omnium Salvari Volentium sinè delectu, quos Medicum quæsituros, credituros suâ libertate Prævidit, efficaciter justificandorum Salvatorem venisse & pro omnibus illis efficaciter mortuum crediderunt: omnem gratuitam Christi gratiam, fidemque aversati. Atque sicut gratiæ Christi, ità gratuito ejus adventui ac Passioni fuerunt ingrati; iique adeò, ut nec Parvulos ex gratuitâ electione baptizandos dicerent, sed prævisâ eorum voluntate bonâ: & ideò aliquos non baptizari, quià prævisi sunt in bonâ voluntate non permansuri si viverent. Propter quem errorem Augustinus docet, eos plusquam Pelagianos exorbitasse, utpotè dicentes gratiam dari secundùm merita, quæ nec sunt, nequè futura sunt.

SEC-

SECTIO II.

Quod Semi-Pelagiani docuerint, Christum pro omnibus, qui per solum liberum arbitrium credere & sanari voluerint, esse indifferenter mortuum, confirmatur ex S. Prospero.

SAnctus Prosper in Carmine de ingratis frequenter Semi-Pelagianos Pelagianis componit quoad *credendi*, *quærendi* Medicum naturalem facultatem. Evidentissimum verò est, Pelagianos ad fidem, & orationem nullam gratiam voluntati necessariam asseruisse. Idem ergò de Semi-Pelagianis arbitrandum. Itàque

S. Prosper de ingratis cap. 4. docet, eos Pelagianum errorem resuscitasse, dum ità canit.

Quo quidam instantur nunc turpiter, atque perempti
Dogmatis exstinctas tentant animare favillas,
Dum libertatem arbitrij, affectumque volendi
In naturalis motus virtute locantes,
Tam bona quemque docent sectari posse suopte
Ingenio, quam posse subest cuique in mala ferri.

Et cap. 6. refert sententiam eorum.

Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate suâ proprioque vigore venire:
Sitque salus dignis Salvari ex fonte volendi.

Et cap. 10.

Sed proprio quemque arbitrio parêre vocanti,
Judicioque suo mota se extendere mente,
Ad lucem oblatam, quæ se non subtrahit ulli;
Sed cupidos recti juvet, illustretque volentes.
Hinc adjutoris Domini bonitate magistrâ
Crescere virtutum studia, ut quod quisque petendum
Mandatis didicit, jugi sectetur amore.

Refutat illos cap. 20.

Divinorum operum quod ponitis in redimendis
Principium? Mandata Dei facere antè lavacrum,
Nosse & amare Deum, promissis credere Christi,
Quærere, pulsare & petere proprium omnibus esse
Asseritis, qui se studeant aptare vocanti.
Anne ab aquis divina manus revocare receptos
Incipit? & vitæ causa est sua cuique voluntas:
Ut merces operum sit gratia, judiciumque
De pretio, quo, quod donum perhibetur, ematur?
\- - - - -
Ut pulsante aures Sermone illecta voluntas
Judicio præcurrat opem, nec gratia jam sit
Gratia: quæ legis fungens vice iure monentis,
Solùm agat: atque agro cum plantatore ministret,
Terraque seminibus det, non Deus, incrementum.

Et de Generali Redemptione cap. 13.

Nam si nemo usquam est, quem non velit esse Redemptum:
Haud dubiè implêtur quidquid vult summa potestas.
Non omnes autem salvantur, magnaque pars est
Quæ sedet in tenebris mortis, nec vivificatur.

Deindè quid ipsi respondeant, præoccupat.

An varij motus animorum talia gignunt?
Libertasque facit causam non omnibus unam?

Respondet:

Ergò hominis valida est arbitrio divina voluntas,
Aut etiam invalida est, operis cui finis in illo est.
Quem frustrà juvisse velit, nisi præferat ille
Affectum, cujus comitetur gratia cursum.

Cap. 45. Catholicam fidem opponit:

Vita, salus, virtus, sapientia: gratia Christi est,
Quâ currit, gaudet, tolerat, cavet, eligit, instat,
Credit, sperat, amat, mundatur, justificatur.

Cap. 38. Objicit errorem Pelagianum, quem tenent.

Quid prodest verbis Commentum Pelagianum

Ref-

Respuere, & solâ damnatos plectere voce?
Cum paucis Squalidâ sublatis de cute nervis,
Intima viperii foveantur Viscera sensus?

Cap. 34.

I procul insana impietas, artesque malignas
Aufer, & Auctborem comitare exclusa Britannum:
Nos humiles tenuesque sumus, Grex parvus, & altis
Inniti metuens: quià sufficientia nostra
Ex Christo est, Si quid recti sapimus volumusque,
Illi debemus, qui vincula nostra resolvit,
Proque malis bona restituit, non inveniendo
Quod merito legeret, sed donans quo legeretur,
Ut de perceptis prodiret causa merendi:
Deque datis in danda gradus, industria crescens
Scanderet, atque bonum fieret Deus omnibus unum.

Præmisit ergò meritò contrà Ingratos:

Vos igitur soli queruli, solique superbi:
Vos soli ingrati, quos urit gratia: cujus
Omne opus arbitrio vultis subsistere vestro:
Et quod non cuncti mortales atria vitæ
Ingrediuntur, ità ex ipsis pendêre putatis,
Ut tam ex judicio constet cujusque quod intrat,
Quam quod non intrat.

Cap. 11. Quærit sibi probari gratiam Christi omnibus volentibus offerri.

. . . Dic undè probes, quod gratia Christi
Nullum omninò hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum vitamque beatam
Impartire velit?

Cap. 12. Responsum Semi-Pelegianorum refundentium in voluntatem, quod non omnes Salventur, refert:

Namquè utrumque simul sapitis, qui dicitis, omnes
Omnibus oblatum potuisse apprendere munus:
Naturæ quoniam non sit detracta facultas:
Nec sinè justitiâ pereant, qui mentis honorem

Sordibus obruerit vitiorum: ut lumen ab alto
Emissum, indignâ nollent requiescere sede:
Sic, quod nascendo est unum, distare, volendo:
Ut meritum ad paucos, natura spectet ad omnes.

Cap. 6. Inducit Pelagianos dexteram jungere volentes, eò quòd, quoad naturales vires volendi salutem, non dissonent à Semi-Pelagianis.

Dum nostri decus arbitrij lumenque creatum
Principio, quod sponte potest insistere rectis,
Manserit illæsum: nec viribus absit ab illis,
Quas condente Deo generaliter omnis in Adam
Suscepit natura hominis, nec suppetat ulli
De non accepta arbitrij virtute querela:
Cùm sinè delectu seu lex seu gratia Christi
Omnem hominem salvare velit: donumque vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate suâ proprioque vigore venire:
Sitque salus dignis salvari ex fonte volendi.
Hæc si vestra fides, vestra est doctrina, remotis
Quæ vestro exemplo rejecimus, addite sanctis
Nos Gregibus, Tandemque bonis defendite vestros.

Ecce qualem Salvatorem omnium prædicaverint Semi-Peligiani. Qui omnes, nemine exceptô, redemit; sed naturali vigôre pretium agnoscere volentes. Qui omnes justificare venit, sed libertate sua ad Lavacrum currentes. Qui sanare venit ægrotos universos, sed Medicum ità implorantes. Qui salvare venit omnes, sed ex *fonte volendi salvari dignos*: Gratiam donare sed *quæ cupidos recti juvet, illustretque volentes*. Ut ad *munus nullus non possit ad illud libertate sua, proprioque vigôre venire*.

Nil habet hoc dogma commune cùm Catholicis, sed Pelagianis liberi arbitrii inflatoribus ac decomptoribus, & Gratiæ ingratissimis inimicis.

Quotquot enim Christum pro omnibus mortuum credunt, vel sunt Molinïani, qui ex morte

Christi

Christi sufficientem, & necessariam ex ea ad fidem & omnem bonam voluntatem gratiam gratis datam eliciunt : vel alii, qui pro omnibus sic mortuum asserunt, ut quibusdam efficaciter mortem prodesse voluerit ; quibusdam verò media salutis instituerit, vel immortalitatis pocula de latere suo profiua, quæ si ab omnibus libarentur, omnibus mederentur. Quod autem non bibantur, non humani esse arbitrij, sed divini Judicii, juxtà illud Prosperi cap. 35. de Ingratis :

Cur verò humani generis de germine toto
Pars quædam in Christo rursùm generanda legatur,
Pars pereat, cum causa eadem simul implicet omnes,
Nec discernantur merito, qui munere distant :
Non satis audemus scrutari, nec per opertas
Ire vias, calleſque gradu pulsare remotos :
Multa etenim benè tecta latent, nescitaque prosunt.

Absit itaquè, ut Augustinus, qui cum sequacibus suis Christum pro omnibus mortuum defendit, ad ingratissimorum hæreticorum castra transierit, qui minores semper libero dedit arbitrio, partes præcipuas Deo, ut vel ideò S. Prosper eum tam eximio decantaverit Elogio de Ingratis cap. 2.

Nam cibus illi,
Et vita, & requies, Deus est : omnisque voluptas
Unus amor Christi est, unus Christus est honor illi :
Et dum multa sibi tribuit bona, fit Deus illi
Omnia : & in sancto regnat sapientia templo.

SECTIO III.

Argumenta ex Authoritate Ecclesiæ Lugdunensis discutiuntur & diluuntur.

MAgnum sibi Præsidium quærit Jansenius ab hac Authoritate Ecclesiæ Lugdunensis in illis eruditis Libris, quos de tenendâ Scripturæ veritate S. Remigius scripsit, ubi ex professo docet, Christum Fidelium Ecclesiam Passione suâ redemisse, nullo verò modo pro illis infidelibus, qui per quatuor annorum millia antè adventum Salvatoris in infidelitate suâ mortui atque damnati sunt, vel aliis similiter post ejus adventum in suâ infidelitate perseverantibus passum esse. Verba S. Remigii sunt: *De infidelibus verò eadem constantia definit. Cesset hæc nova & inaudita præsumptio, ut nullus hominum impiorum, & apud inferos irrevocabiliter damnatorum fuerit, pro quo Christus passus non fuerit. Cum pro solis illis defunctis passionem sustinuerit, qui eum, dum in corpore viverent, fideliter venturum & mundum suâ passione redempturum crediderunt. Hoc itàque Catholicum, hoc fidei Ecclesiæ ab initio commendatum.*

Respondeo S. Remigium agere de redemptione relata ad impios pro statu irrevocabilis damnationis, non pro statu viæ quo erant salvabiles & Christo incorporabiles, pro quibus saltem sufficienter Christus mortuus est, quià instituit media, quæ si suscepissent, salvati fuissent. Undè erant Christi membra in potentia, ut loquitur D. Thomas, quià potuerunt Christo uniri dum vivcrent. Post mortem verò potentia ista desivit. Quod de efficaci damnatorum redemptione etiam egerit, patet ex argumentis, quibus utitur: *Quià sicut de eisdem refugis Angelis & immundi-*

mundis ſpiritibus ſcriptum eſt, quod Deus Angelis peccantibus non pepercerit, ſed rudentibus inferni detractos ſub caligine tradidit in Judicium cruciandos reſervari: & idcircò veriſſimè creduntur irrevocabili judicio ad pœnas & ad interitum perpetuum prædeſtinatos: ità & illi homines impij in ſuâ impietate mortui eodem irrevocabili divino Judicio tam erant pœnis perpetuis condemnati.

Probat id quoque ex Oſeâ Prophetâ dicente: *Ero Mors tua ô Mors, morſus tuus ero inferne.* Quæ verba S. Gregorius exponit: *Quià ergò in electis ſuis funditùs occîdit mortem*, MORS MORTIS EXTITIT. *Quià verò ex inferno partem abſtulit & partem reliquit, non occîdit funditùs, ſed momordit infernum.* Ait ergò: *Ero Mors tua, ô Mors.* Ac ſi apertè dicat, quià in electis meis te funditùs perimo. *Ero morſus tuus inferne*, quià ſublatis eis, te ex parte transfigo.

Quantùm ad infideles, qui nondum mortui ſunt, ſed in ſuâ infidelitate, atque impietate perſeveraturi, nihil definit, ſed ità loquitur: *Si de Scripturæ ſanctæ authoritate quod etiam pro talibus paſſus ſit, certiſſimis & clariſſimis teſtimonijs nobis demonſtrare potuerunt boni Viri qui talia definierunt, dignum omninò eſt, ut credamus & nos: ſi verò non potuerint, ceſſent contendere pro eo, quod non legunt, pudeat eos definire, quod neſciunt.*

Reſpondetur agi de efficaci Redemptione & abſolutâ, aut ſi mavis indifferenti, quam ad omnes qui ſalvari Sponte voluerunt extenderunt Semi-Pelagiani, quorum imitator fuit Hincmarus, & contrà quem S. Remigius, ſicut & Synodus Valentina egit. Quod autem pro infidelibus, etſi ad fidem non pertingant, Chriſtus mortuus ſit, propter *unam omnium cauſam à Domino in veritate ſuſceptam*, ex S. Proſpero monſtravimus; licet efficacitas, ejuſque proprietas tantum penes illos

sit, qui reipsa in Christi membra transeunt per Fidem & Sacramenta.

Et nonnè Augustinus inter fideles computat parvulos baptizatos, & non baptizatos inter infideles? atquè tamen pro non baptizandis Christus est mortuus: quià quibus opus est Christus, his procul dubio est Jesus: omnibus autem parvulis opus est Christus, & ejus baptismus; ergò.

Objici etiam potest, quod Ecclesia Lugdunensis hanc propositionem refutet: *Christus Jesus Dominus noster, sicut nullus homo est, vel fuit, vel erit, cujus natura in illo susceptа non fuerit, ità nullus est, fuit vel erit, pro quo passus non fuerit, licet non omnes passionis ejus mysterio redimantur... quià poculum immortalitatis quod confectum est de infirmitate nostrâ & virtute divinâ, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bibitur, non medetur.*

Resp. Sunt tamen verba Prosperi: *Nullus est ex hominibus, cujus natura in Christo Domino nostro susceptа non fuerit. Ad cap. 9.* Gall. & ad Vinc. 1. *Cum propter omnium naturam, & unam omnium causam à Domino nostro in veritate susceptam, rectè omnes dicantur redempti, & tamen non omnes à captivitate sint eruti, &c.* Et infrà: *poculum quippe, &c.*

Itàque aliam susceptionem naturæ intellexit Prosper, aliam Ecclesia Lugdunensis; ille talem quâ factum est, ut pro illa natura voluerit Deo satisfacere causam ejus in se suscipiendo, & sic se caput constituendo omnium membrorum, quæ ipsi uniri possent (Sicut D. Thomas docet Christum esse Caput omnium hominum viatorum quià uniuntur illi actu vel potentiâ); aliter verò Ecclesia ista, nempè pro illa, quâ homines ei actu conjunguntur ut viva membra capiti adunata per gratiam. Huc enim collineant probationes ex Patribus desumptæ, signatè ex S. Leone

&

& Gregorio magno. S. Leo namquè ità loquitur: *Naſcens Dominus Jeſus Chriſtus homo verus, qui numquam eſſe deſtitit Deus verus, novæ creaturæ in ſe fecit exordium. Generatio Chriſti origo eſt populi Chriſtiani. Natalis Capitis, natalis & corporis.* Item: *Illa ſubſtantiæ noſtræ in Deitate ſuſceptio, quem hominem miſericordiæ ſuæ niſi infidelem reliquit exortem? & cui non communis natura cum Chriſto eſt, ſi aſſumentem recipit, & eo Spiritu eſt regeneratus quo ille primogenitus.* Et Sanctus Gregorius: *Interpellat autem pro nobis Dominus non voce ſed miſeratione, quià quod damnari in electis noluit, ſuſcipiendo ſervavit.* Et S. Hilarius de Sacramentali Communione: *Non enim quis in eo erit, niſi in quo ipſe fuerit.* Et in concluſione Miſſarum Natalis Domini Eccleſia orat: *Hujus Domine Sacramenti ſemper novitas natalis inſtauret, cujus Nativitas ſingularis humanam depulit vetuſtatem.*

Ex his concludit Eccleſia Lugdunenſis: *Quod illa humanæ naturæ in Chriſto ſuſceptio infideles hujus miſericordiæ reliquit exſortes. Et eis ſolis præſtitit, ut haberent Communem naturam cum Chriſto, qui aſſumentem Recipiunt, & illo Spiritu ſunt regenerati, quo ille eſt progenitus.* De actuali ergò cum Chriſto unione agitur: alioquin omnes non regenerati, ſed poſteà regenerandi non eſſent à Chriſto ſuſcepti, & redempti: cum tamen dicat S. Leo: *Sicut à peccato nullum liberum reperit, ità liberandis omnibus venit. . . . animetur gentilis, quià vocatur ad vitam, &c.*

Conformiter Eccleſia Lugdunenſis de efficaci redemptione ſivè redemptis fructuoſa loquitur ubi ait: *Manifeſtè ergò conſtat, quià ſuſceptio illa redemptio fuit, ut qui ſuſcepti ſunt, ſint redempti, & qui redempti, illi ſuſcepti. Undè & fideles in Chriſto ſunt, & Chriſtus in illis. Infideles non ſunt*

in

in Christo (actu) *nec Christus in illis. Solis fidelibus dicit, quos sibi per Sacramentum veræ Incarnationis & gratiam Redemptionis univit,* MANETE IN ME, EGO IN VOBIS.

Quod autem infidelium caput Christus sit, adeòque illorum naturam susceperit & causam, ut loquitur Sanctus Prosper declarat Doctor Angelicus 3. p. q. 8 art. 3. . *Christus*, inquit, *est caput omnium hominum, sed secundùm diversos gradus: primò enim & principaliter est caput eorum qui actu sibi uniuntur per gloriam. Secundò eorum qui actu sibi uniuntur per Charitatem .... Quintò eorum qui in potentiâ sibi sunt uniti, quæ numquam reducetur ad actum.* Et art. 3. ad 1 *Dicendum quod illi qui sunt infideles, etsi actu non sint de Ecclesiâ, sunt tamen de Ecclesiâ in potentiâ: quæ quidem potentia in duobus fundatur: primò quidem & principaliter in virtute Christi, quæ est sufficiens ad salutem totius Generis humani; secundario in arbitrii libertate.*

Quod si quæras, cur ergò non omnes Salventur, cum meritum Christi frustrari non possit?

Respondet in q. q. disput. q. 29. de grat. Christi art. 7. ad 4. dicendum *quod meritum Christi, quantùm ad sufficientiam æqualiter se habet ad omnes; non autem quantum ad efficaciam; quod accidit partim ex libero arbitrio, partim ex divinâ electione, per quam quibusdam misericorditer effectus meritorum Christi confertur, quibusdam verò justo judicio subtrahitur*: Et ad 13. *Hoc ipsum gratis alicui nostrum confertur, quod efficaciam meriti Christi consequamur.* Et 3. p. q. 1. art. 1. ad tertium comparat, sicut Prosper, poculo medicinæ. Sicut si Medicus faciat medicinam ex quâ possint quicumque morbi sanari.

SEC-

SECTIO IV.

Negata per Ianſenium Mors Chriſti pro omnibus omninò hominibus viatoribus, per Auguſtinum aſſeritur, dictumque de Auguſtino Aſſertum illius refellitur.

DUo ſunt, quæ Janſenius famosô capite 21. aſſerit, refellenda, & quidem ex ipſo, quem ſemper appellat, Auguſtino. Primum, quod *phraſis* illa, *ſe pro aliquo redemptionem dare, ſignificet, ex redimentis animo in uſum ac liberationem captivorum offerri ac dirigi, quæ oblatio ac directio Chriſti inanis eſſe non poteſt.* Item: *ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsâ de ſervitute liberaret.* *Ianſ. l. 3. de Grat. Chr. cap. 21. pag. 382.* *pag. 385.*

Alterum eſt: quod *Auguſtinus numquam in ſcriptis ſuis fatêtur Chriſtum pro omnibus, nullô exceptô, ſe dediſſe redemptionem, vel crucifixum eſſe vel mortuum; ſed tantummodò pro illis, quibus mors ejus profuit.* Hæc magnus licet ille Janſenius inſignis ingenio, clarus eloquio, Auguſtino turgidus, ſententiis nimium phaleratus, *Sanctiſſimi ſui*, ut indigitat, *Doctoris*, illius tamen medullata ſenſa de morte Chriſti (quidquid in aliis perhibuerit) nondum viſus eſt nobis penetraſſe. *pag. 382.* Hoc dictum noſtrum Paradoxi loco habebunt aliqui, ſed hi potiſſimùm, qui Auguſtinum noſtrum Europæo ſuo, hoc eſt, Janſenio à primâ Theologiæ lanugine dumtaxat pervolverunt, ac ità perbiberunt, ut nec adulti nec ſenes dimittere queant. Hinc malè radicata illa præjudicia tumidô eructata pectore, *ne ad latum unguem Auguſtinum Europæum, hoc eſt, Janſenium ab Africano, id eſt, Auguſtino vero, quemquam uſquè modo diſpeſcere potuiſſe.* Hic ergò æquus arbiter conſpiciat,

ſpiciat, non quam lato ungue, ſed longo ſenſuum intervallo Europæus ab Africano diſſideat, an non intercapedo major interjaceat inter utrumque, quam inter Africam & Europam.

A poſtremo Janſenij loco auſpicemur: *Auguſtinus numquam &c.* Auguſtinus de omnibus hominibus loquebatur quando ſcribebat: *Sicut unus fuit ad mortem propter peccatum, ſic eſt unus ad vitam propter juſtitiam.* L. 3 ad Bon. cap. 4.

De omnibus aiebat apud Auguſtinum Redemptor: *factus ſum quod feci, ne periret quod feci.* Serm. 12. de Verb. Apoſt. cap. 7.

De omnibus dixit Auguſtinus ſanandis à Medico: *Quantum in medico fuit, ſanare venit ægrotum.* Tract. 2. in Ioan.

De omnium Peremptore, ac Sanatore itidem aſſerebat: *Unus, & unus. Unus per quem ruina, alius per quem ſtructura.* Serm. 12 de Verb. Apoſt.

De remedio omnium loquebatur: *fuſus eſt ſanguis medici, & factus eſt medicamentum Phrenetici.* L. 5 de hær. cap. 7.

De omnibus loquebatur Juliano, nemine Exceptô: *Quibus opus, his procul dubio eſt Jeſus.* L. 2 op. imp. cap. 170.

De omnibus loquebatur eidem: *Sententia noſtra Chriſtum Salvatorem prædicat omnium Hominum, etiam parvulorum.* Aug. l. 5. cont. Iul. c. 12.

De redemptionis pretio magno pro omnibus loquebatur: *manavit pretium orbis terrarum.* Item de omnibus loquebatur quando addebat: *Totum, non partem Judicare debet, qui pro toto pretium dedit.* in pſ. 20. in pſ. 95.

De omnibus loquebatur dicens: *aſſumpſit vita mortem, ut vita occideret mortem.* Tract. 28. in Ioan.

De omnium medico rursùs ſcribebat: *omnis homo naſcitur periturus in æternum, ſi non renaſcatur, & perditus niſi ab eo quæſitus, qui venit quærere quod perierat.* Aug. l. 5. cont. Iul. c. 1.

De

De omnibus, exceptô nemine, arguebat ex Apoſtolo: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt*, NEMINE EXCEPTO. *L. 20. de Civ. Dei.*

Pro eiſdem omnibus Julianum urgebat dum dicebat: *Juliane, non hoc Auguſtinus, ſed Apoſtolus dixit: Imò per ipſum ſuum Apoſtolum Chriſtus* (ſcilicet) *unus pro omnibus mortuus eſt, Cohibe te vaniloquio. Cede Deo.* *L. 1. op. imp. cap. 133.*

SECTIO V.

Confirmatur Mors Chriſti pro omnibus ex eodem S. Auguſtino ex neceſſitate Chriſti pro omnibus.

SI humani generis Redemptor non niſi ratione pretij, quod etiam ad Dæmones pertinet, Interprete Janſenio, dicatur omninò Redemptor omnium, quod redemptionis officium evacuat; Planè ſequitur, ad hominum, quibus mors non profuit reipſa, Redemptionem, Paſſionem ac Mortem eſſe impertinentem, & indifferentem ſicut ad Dæmonum liberationem. Exindè fluit Non magis ad homines illos Chriſtum ſpectare, quam ad eoſdem Apoſtatas Angelos. Proindè non magis hominibus iſtis quam Dæmonibus Chriſtum eſſe neceſſarium, quatenùs redemptor, Mediator, & Medicus factus eſt. Atqui tamen S. Auguſtinus Chriſtum hominibus omnibus, nemine exceptô, dixit eſſe neceſſarium; ergò.

Probatur. Primò Quià S. Auguſtinus illis ſolis Chriſtum non eſſe neceſſarium aſſerit, qui ſinè concupiſcentia ſunt procreati; atqui tales nulli ſunt; ergò Chriſtus eſt omnibus neceſſarius.

Pro-

Probatur Major ex Epistola 89. q. 3. *Proindè isti, si fortè invenerint infantem non ex illius unius hominis concupiscentiâ procreatum, ipsum dicunt illi damnationi non esse obnoxium, nec per Christi Gratiam ab illa damnatione liberandum.*

Secundò damnandos censet Parvulos quibus Christi gratia defuit, ergò illis necessaria fuit; alioquin esset sequela impertinens, tantumque dici oportuit, damnati sunt, quià in peccato nati, in peccato mortui sunt. Et ideò mortui: quià sicut Dæmones Redemptorem non habuerunt, nec salvari potuerunt: sic nec illi.

Augustinus tamen in defectum medicinæ acceptæ refert, quod liberati non sint; ergò medicum habuerunt.

Epist. 28. Probatur minor ex Epistola 28. *Quæcumque autem anima sinè gratiâ Mediatoris & Sacramento ejus in quâlibet ætate de corpore exierit, & in pœnam futuram, & ultimo judicio corpus recepturum ad pœnam.*

L. 1. op post. cap. 5. Et alibi: *Numquid nisi damnatus parvulus nascitur? Et per quem nisi per Christum ab istâ damnatione liberatur?*

Et iterùm: *Non eos habêre vitam, nisi habeant Christum, Joannes Evangelista testatur dicens in Epistolâ suâ: qui habet filium habet vitam, qui non habet filium, vitam non habet; merito itàque intelliguntur mortui, qui non habent vitam, pro quibus est mortuus, ut habeant.*

L. 6. cont. Iul. c. 9. Et antè: *Jam itàque vobis ipsis reddite rationem, ne putetis indignum, ut qui non admittuntur in regnum Dei, sint sub illo qui cecidit de regno Dei: & qui non habent vitam, sint sub illo, qui perdidit vitam: non autem habêre parvulos vitam, nisi habeant Christum;* quem proculdubio habêre non possunt nisi *induerint eum,* eo modo quo scriptum est: *quotquot in Christo Baptizati estis, Christum induistis.*

An-

An de Dæmonibus dici possit: *Non nisi per Christi gratiam fuisse liberandos*? Ideò in morte permansuros, & in ultimô judiciô puniendos, quià *Gratiam Mediatoris non acceperunt*? An ideò vitam non habebunt, quià *Christum*, qui vita est, non *induerunt*? Hoc tamen dici debuit de illis, sicut de hominibus, v. g. Parvulis non baptizatis, si redempti non sint, nisi quià pretium oblatum est sufficiens, sed non aliâ Redimentis intentione liberandi à morte oblatum, quam pro dæmonibus. Hæc autem comparatio plena cum Spiritibus Apostatis Jansenii est. Ergò illa corruit per eam, quam Augustinus requirit in hominibus omnibus Christianæ medicinæ necessitatem.

SECTIO VI.

Confirmatur ex sententia S. Augustini de necessitate baptismi quoad omnes nemine exceptô.

IN lúmine ipso constituo, Sacramentum baptismi esse ex effectibus unum Passionis ac Mortis Domini nostri Jesu Christi. Quod si quis inficias eat, revincet illum S. Augustinus ubi ait: *De latere in cruce pendentis lanceâ percusso Sacramenta Ecclesiæ profluxerunt.* Et alibi: *Ostium arcæ Noë quid significet, nempè illud est vulnus, quando latus crucifixi lanceâ perforatum est: hâc quippè ad illum venientes ingrediuntur, quià indè Sacramenta manarunt, quibus credentes initiantur.* His jam suppositis sciscitaturus venio, num ad solos Redemptos hæc pertineant? Num ad alios? Ad alios, quam Redemptos Christi Sanguine ea pertinêre nemo dixerit. Cum sint Passionis ac mortis effecta, ergò ad solos Redemptos pertinent.

Tract. 15. in Ioan.

L. 13. de Civ. Dei c. 26.

Secundò percunctor, an solis Redemptis sint necessaria an aliis? Non aliis, quià ad illos non pertinent, ut jam dictum est; ergò his solis necessaria sunt.

Sed Sacramentum primum necessarium est omnibus, etiam illis, quibus non datur; ergò & illi inter Redemptos censendi sunt.

Baptismum porrò necessarium esse non modò parvulis, qui baptizantur, sed qui non baptizantur, ubique docet Augustinus; igitur docet Christum redemisse eos, qui reipsa à captivitate diaboli non liberantur, & quibus mors ejus non profuit.

Ab assumpto pendent omnia. Itàque

L 1. op. imp. cap. 60. Probatur primò. De parvulis omnibus intelligendus est Augustinus ubi ait: *Quo Creatore nati sunt, hoc indigent Salvatore.*

Secundò de omnibus Parvulis loquitur: *Natura ista in tantas & tam manifestas collapsa miserias Liberatorem, Mundatorem, Redemptorem habet necessarium non Julianum, non Cælestium, non Pelagium laudatorem.*

L. 3. cont. Iul c. 3.

Tertiò ad omnes Parvulos spectat, quod de curâ baptizari volentium refert: *Non ob aliud ad Jesum, hoc est, ad Salvatorem & ad Medicum Christum piis gestantium manibus ferri, nisi ut per Medicinam Sacramentorum ejus possint à peccati peste sanari.*

L. 3. de pec. merit. c. 4.

L. de Dono Persev c. 12. Et tamen *Festinantibus parentibus ac paratis Ministris ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non dari.*

Quartò Juliano pro omnibus Parvulis intorquet: *Aut dic apertè, Baptizari eos non oportêre: non enim aliud, cui morerentur, habuêrunt.*

L. 2. op. post. cap. 212.

Et rursùm: *Nolite ergò eximere parvulos de numero peccatorum, quià & pro ipsis mortuum fatemini Christum.*

cap. 172.

Quin-

Quintò ad omnes pertinet: *Quibus autem opus, his procul dubio est Jesus.*

Sextò de Parvulis non baptizatis loquitur: *Illi, quibus Sacramentum defuerit, in iis habendi sunt, qui non credunt filio, atquè ideò si hujus inanes gratiæ exierint, sequetur eos quo diritur: non habebunt vitam, sed ira Dei manet super eos.* L. 1. de pecc. merit. c. 20.

Septimò frequenter de Parvulis dicit non habituris vitam: *Qui non manducaverint carnem Domini*, scilicet in baptismo quod & libro 1. cont. Julianum cap. 7. confirmat per Innocentium Papam dicentem: *Nisi manducaverint carnem & Sanguinem biberint, vitam parvulos habêre non posse.*

Et quemadmodum visio serpentis omnibus à serpentibus sauciatis necessaria fuit, ità & omnibus, nemine exceptô, à serpente tartareo lęsis Christum esse necessarium. *Serpentis morsu movebaris, ideò crucifigitur Christus, ideò fundit Sanguinem Christus in Remissionem peccatorum. Sicut exaltavit Moyses Serpentem in deserto, undè sanarentur, qui in illo deserto à serpentibus mordebantur, & illum exaltatum attendere jubebantur, & quisquis attenderet, sanabatur: sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in illum, id est, qui attendit exaltatum, non pereat sed habeat vitam æternam.* Serm. 14. de Verb. Apost. cap. 3.

Adam primus accepit morsum serpentis cum veneno. cap. 11.

Ab hoc veneno serpentis non liberat nisi gratia Serpentis. cap. 14.

Cujus Medicinalis adventus non est opus sanis sed ægrotantibus: in cujus regnum non intrabit *Nisi qui renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto... ab hoc peccato, ab hac ægritudine, ab hâc irâ Dei, cujus naturaliter filij sunt, non liberat nisi agnus Dei: non nisi Redemptor, cujus Sanguine deletur debitum nōstrum.* L. 1. de Pecc. merit. c. 23.

Defectu etiam fidei, quâ serpentem aspiciant, id est in Christum credant, damnandos asserit parvulos eôdem libro juxtà illud: *qui crederit & baptizatus fuerit salvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Quis autem nesciat*, inquit, *credere esse infantibus baptizari, non credere autem non baptizari?*

cap. 27.

Comparat quoque baptismum arcæ Noë sicut Apostolus Petrus, & subdit: *Ab hac salute & lumine alieni sunt parvuli, & in perditione ac tenebris remanebunt nisi per adoptionem populo Dei fuerint sociati tenentes Christum passum justum pro injustis, ut eos adducat ad Deum.* Item ex illo loco ubi Salvator ait: *Qui mecum non est adversùm me est, constitue igitur quemlibet parvulum: si jam cum Christo est, ut quid baptizatur? Si autem quod habet veritas, ideò baptizatur ut cum Christo sit, profectò non baptizatus non est cum Christo. Et quià non est cùm Christo, adversùs Christum est.*

cap. 28.

Concludit itàque: *Omnem hominem separari à Deo nisi quis per Mediatorem Christum reconciliatur Deo, nec separari quemquam nisi peccatis interludentibus posse.*

Igitur *quibus opus, his procul dubio est Jesus*, omnibus Redemptor, omnibus medicus, qui poculum immortalitatis de nostra infirmitate & virtute divinâ confecit, sed si non bibitur non medetur.

Hanc Medicinam ad parvulos, qui sinè baptismo moriuntur, extendit etiam S. Fulgentius lib. 1. *de verit. Prædest.* cap. 14. ubi docet mitiori pœnâ Parvulos cruciandos, quià remedium baptismi non contempserunt: *Deterius est enim*, ait, REDEMPTIONIS *beneficium impiâ voluntate non quærere, quam ad* ILLUD *impedimento teneræ prorsùs ætatis venire non posse.* Undè & antè præmisit de contemptoribus baptismi: *Sed in eo est majorem*

jorum causa deterior, quià rationis utendæ facultate percepta, respuunt aut negligunt regenerationis salutare remedium, sinè quo non solùm regno potîri non nequibunt, quin etiam gravioribus suppliciis subjacebunt,

Ergò baptismus est *regenerationis remedium, & Redemptionis beneficium* institutum pro illis etiam, qui per ætatem ad illud venire non possunt atque ità moriuntur, de quibus idem Sanctus pronuntiat, quod *arsuri sunt sinè baptismate morientes.*

SECTIO VII.

Mors Christi pro omnibus probatur ex Argumento Apostolico, Expositore S. Augustino: Quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. 2.*Corint.* 5. ℣.14.

SI Christum passum esse, crucifixum, mortuum præ se ferat; intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servitute liberaret, ut contendit Jansenius; Apostolici argumenti ea vis erit: *Christus pro omnium hominum generibus, Regibus, privatis, nobilibus, ignobilibus, item omnium nationum, linguarum reali liberatione à servitute peccati obtinenda mortuus est; ergò ex omni genere, conditione, natione, linguâ mortui sunt in peccato.* Hac consecutione stante, possent multi ex omni genere liberi esse à peccato, qui consequenter ad mortem Christi non pertinerent, eò quod non sit mortuus Christus nisi pro mortuis juxtà Apostoli consequentiam.

Atqui tamen Apostolus hoc argumento visus est, non modo genera singulorum omnium, sed & singula generum seu individua sub peccato concludere, ut ostendat à redemptione nullum esse exceptum, ergò. Nam S. Augustinus ex hoc loco: *Christus pro omnibus mortuus est*, non modò genera hominum, sed singulos hominum peccato esse obnoxios concludit l. 20. de civitate Dei c. 6. *Omnes itàquè mortui sunt in peccatis*, NEMINE EXCEPTÔ. Si ideò omnes, nemine exceptô, in peccatis mortui sunt, quià unus pro omnibus mortuus est; ergò etiam unus pro omnibus, nemine exceptô, mortuus est. Alioquin à generibus singulorum ad singula generum non fluit recta consecutio. Nam si dicerem: Omnes homines sunt fideles capiendo ly *omnes* pro generibus hominum, nullo modo sequeretur, singulos homines esse fideles. Apostolicam dialexim peccati originalis acerrimus propugnator Augustinus oculatiùs inspexit, cum per eam Pelagianorum machinamenta contrivit. Julianus quidem eorum Coryphæus Christum pro omnibus mortuum esse concessit, ac non pro mortuis solis: mortuum voluit pro adultis, peccato mortuis, vivificandis & regenerandis; pro parvulis verò, quos à peccato censebat immunes, Gratiâ adoptionis adornandis. Sed S. Augustinus Apostolicum arietem ei impegit, quasi pro singulis mortuum asserentis; & exindè singulorum mortem inferentis. *Quidquid argumentêris*, ait, *quidquid Apostolicorum verborum conêris evertere à morte, quæ in peccato est, parvulos non ostendis immunes, quià & pro eis Christum mortuum negare non audes.* Imò ex hâc morte Christi pro omnibus S. Augustinus mortem omnium & singulorum, etiam parvulorum peccato inflictam invictissimè deducit.

L. 2. *op post.* cap. 175.

Tu

Tu dicis, ait Juliano, *etiam pro peccatoribus mortuum; ego dico non nisi pro peccatoribus mortuum; ità ut respondêre cogâris, si nullo peccato parvuli obstricti sunt, non esse pro parvulis mortuum.* Dicit enim ad Corinthios: *Quoniam unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt, & pro omnibus mortuus est.* Nullô modô hic negare permitteris, non nisi pro his, *qui mortui sunt, mortuum fuisse Jesum. . . . Ex hoc enim probavit, Omnes mortuos esse, quià pro omnibus mortuus est Unus. Impingo, inculco, infercio recusanti. Accipe, salubre est, nolo moriâris: Unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. Vide, quià consequens esse voluit, ut intelligantur omnes mortui, si pro omnibus mortuus est. Quià ergò non in corpore, restat ut in peccato esse mortuos, si pro omnibus Christus mortuus, nemo neget, nemo dubitet, qui se non negat, aut dubitat esse Christianum.* L. 6. c. 4.

Tu autem jam in primo libro tuo contrà nos clamans dixisti, Christum etiam pro parvulis mortuum. Nullô modô igitur negare permitteris eos trahere originale peccatum.

Et cum alibi dixisset: *Christum etiam pro impiis mortuum*, redarguit illum Augustinus: *Sed Apostolus non ità locutus est*, qui dixit *pro impiis & peccatoribus mortuum.* Frustrà ergò tu *magnam Christi misericordiam extenuandam putasti. Ille enim pro male merentibus mortuus est: à quo beneficio Salvatoris parvulos separatis, quoniam salvos eos dicitis. Ille autem dicit: non opus est sanis medicus. Non ergò est opus parvulis Christus, quibus utique secundùm vos non est Jesus.* L. 2. op. pist. cap. 170.

Julianus vim Argumenti sentiens in consequenti: *Omnes mortui sunt*, respondet: *omnes* pro multis accipi penè innumera Scripturarum exempla testantur. Sed S. Augustinus nil ista moratur, urgetque hôc locô ab Apostolo *ly omnes* pro omnibus

nibus strictim accipi, ità ut parvuli non censeantur excluſi.

Et pergit in capto conflictu premere Adversarium: *Hinc te exue ſi potes, quod unus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt: & aude dicere: non omnes eſſe mortuos, pro quibus mortuus eſt Chriſtus; cum tibi Apoſtolus fauces premat, opprimat audaciſſimam vocem, quid ſequeretur oſtendens & dicens: ergò omnes mortui ſunt. Noli ſic laudare Apoſtolum, noli exponere, ut nolis audire: ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergò omnes mortui ſunt.*

Quod ſi Julianus, quod modo Janſenius facere viſus eſt, repoſuiſſet Auguſtino: *Chriſtus non eſt mortuus pro omnibus nemine exceptô*: Poteratne Auguſtinus hanc elicere ſequelam: *ergo omnes, etiam parvuli mortui ſunt*, nemine exceptô? Ut ergò magis premat & opprimat in conſequenti, debuit de eodem Antecedens interpretatum dare acſi diceret: *Chriſtus pro omnibus nemine exceptô, mortuus eſt*; ergò omnes mortui ſunt etiam parvuli: quià pro omnibus Chriſtus mortuus eſt.



CA-

CAPUT III.

De secundâ parte propositionis Quintæ Ianseniane: Christus pro salute dumtaxat prædestinatorum mortuus est.

SECTIO PRIMA.

Quis sit sensus obvius in Iansenio damnatus hujus periodi?

QUi Jansenium ab omni erroris fœce illimem, Apostolicæ Sedis scita fœdando, reddere nituntur, hi sensum comminiscuntur verè dignum fulmine, sed in Calvino aut Luthero, non Jansenio repertum, de quo dicunt: *Qui quintæ propositioni malignè affingi posset, quem legitimè sumpta non habet.* Est autem hic: *Christus mortuus est tantùmmodò pro Prædestinatis, ità ut ij soli per meritum mortis Christi veram fidem ac Justitiam accipiant.* Ità habet brevissima quinque propositionum in varios sensus distinctio exhibita Innocentio Papæ X. anno 1653. Et quià omnes gratiæ, quæ hominibus, etiam reprobis, ad credendum & piè vivendum à Deo dantur, ad Dei providentiam, non ad Christi passionem juxtà Calvinistas referuntur, Authores dictorum sensuum, propositioni quintæ sic expositæ hanc notam inurunt: *Hæc propositio est hæretica, Calviniana, aut Lutherana, & à Concilio Tridentino damnata.* Siquidem, ut testantur Vindiciæ Arnaldinæ de Grat. sufficienti sect. 3. art. 6. pag. 547:

Thesis Calvinistarum anno 1653. Tiguri defensa quadragesima ità habet: *Gratiæ illæ transi-*

toriæ, quas vocant, providentiæ Divinæ, non mortis Christi sunt effecta. Itàquè Jansenij Defensores duo asserunt, & quod hic sensus non sit legitimus sed *malignè afflictus*, & quod in illo affecto sensu propositio sit hæretica, non Janseniana, sed Calvinistica aut Lutherana.

Sunt etiam alij, qui hunc sensum non fictè, sed verè è Libro Jansenij exsculptum volunt: Christus pro solis Prædestinatis mortuus est. Nequè vanis argumentis id evictum donant, eò quod Jansenius temporalem reproborum Justitiam ità extenuet, ut non pro illa, sed pro solis electis mortuum asserat, exertè dicens ab Augustino non prædestinatos à morte Christi excludi, nullumque Justum morte Christi redemptum censêri, quem perire contigerit.

Sed quamquam hic sensus Calvinianam redolens luem è Jansenii Libro elici posset, adeòquè verè damnabilis esset propositio huic interpretationi subjecta; non reor equidem Romanæ Sedis Antistites novitiæ hæreseos damnatores eò oculos intendisse; primò, quià non ut Calvinianam aut Lutheranam in Concilio Tridentino fulguritam, sed ut noviter ortam & à Cornelio Jansenio procusam perstrinxêre; Secundò, quià hic sensus non ità obvius est, nec incurrit in oculos legentium Jansenianum volumen, ob apparentiores Antilogias, majorique studio exsculpendus venit, prout ex sequentibus enitescet.

Autumo ergò sensum naturalem ac obvium, eumque Jansenianum à Sede Apostolicâ damnatum, hunc esse: *Christus pro salute solorum prædestinatorum mortuus est.* Ità scilicet, ut ly illud *dumtaxat afficiat Prædestinatos* ac proindè indicetur, quod pro nullius reprobi salute Christus sit mortuus, quidquid demum sit de aliis temporalibus gratiæ beneficiis ipsis reprobis collatis.

Ità

Ità quintam propositionem intellexit, & ut hæreticam repudiavit Arnaldus in Epistolâ suâ ad Illustrissimum & Reverendissimum Henricum Arnaldum Andegavensium Episcopum Fratrem suum, quam consignant nobis vindiciæ Arnaldinæ pag. 639. nam pag. 643. ad propositionem quintam Arnaldus sensum suum pandit his verbis: *Non est Semi-Pelagianum dicere Christum pro omnibus omninò mortuum. Asserere verò pro salute dumtaxat Prædestinatorum Christum Sanguinem fudisse, reverà hæreticum est, quià licet solis electis efficaci & absolutâ voluntate morte suâ promerêri voluerit, pro quibusdam tamen reprobis Sanguinem suum fudit, iisque promeruit gratias, quibus ad salutem æternam pervenire possent.*

Ecce Magnus ille Arnaldus, licet circà factum Jansenii, an scilicet quinque prōpositiones sint in Jansenio, hæsitaverit, dixeritque ad fidem non pertinêre, equidem talem sensum dixit hæreticum, quem reverà Jansenius in libro suo exprimit. Cur enim hæreticam dicit quintam propositionem? An quià sensus est: Christus pro solis Prædestinatis mortuus est, ità ut ij soli per meritum Christi veram fidem ac justitiam accipiant? An quià excludit reprobos ab omni effectu mortis Christi? neutiquam. Cur ergò? Quià indicat propositio, quod Christus pro solis electis promeruerit gratiam, per quam ad salutem seu vitam æternam venire possent. Censet ergò Arnaldus Catholicum prorsùs ac fide tenendum, reprobos aliquos per Christi merita gratiàsque exindè manantes Salvari posse; etsi soli electi ad salutem perveniant; ergò censet Hæreticum asserere, quod justi non prædestinati Salvari non possint. Et hoc est, quod docet Jansenius, & hoc in Jansenio jure damnat orbis Catholicus.

Ne-

Nequè hujusmodi interpretatio à naturali verborum significatu deviat : v. g. de Sancto Paulino propriſſimè dicitur, quod pro Redemptione dumtaxat unici filij viduæ captivi Patriâ ſua exceſſerit, licet alia illic agere meditaretur, quià nimirùm pro ſolo filio iſto redimendo ſe vadem dare intenderit. Sic ergò ſi Redemptor dicatur pro ſalute dumtaxat electorum Sanguinem fudiſſe, rectè colligitur quod pro ſolorum electorum ſalute pretium Sanguinis dederit, quamquam pro reprobis ad alios fines eundem Sanguinem fudiſſe etiam rectè dici poſſet.

SECTIO II.

Præfatæ propoſitionis Quintæ periodus quoad obvium iſtum ſenſum è Libro Cornelii Ianſeni excerpta Titaniâ luce clarius enitescit.

PRobatur primò : quià ſi Janſenius cenſuiſſet Chriſtum pro ſalute aliquorum reproborum v. g. juſtorum temporalium mortuum eſſe ratione gratiarum, quibus ſalvari poſſent ; nullô modô potuiſſet oblationem Chriſti, ſicut orationem pro liberatione reproborum, prorsùs negare, ipſoſque damnatis ſpiritibus componere ; hoc tamen exertè facit, his verbis : *Ex quo factum eſt ut juxtà Sactiſſimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum* (non perſeverantium) *quam pro diaboli deprecatus fuerit.* Et id declarat à ſimili, quià juxtà S. Auguſtinum, ſi Eccleſia noſſet, qui ſint prædeſtinati in ignem æternum ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo diabolo. Hinc concludit Chriſtum non plus Patrem oraſſe pro æternâ libera-

L. 3. de gra. Chriſti c. 21. pag. 390.

pag 389.

beratione reproborum, quam *Dæmonum. Neque enim*, inquit, *quo sit prædestinatus ignorat.* Quod iterùm dicere non posset, si admitteret Christum orasse pro gratiis quibus temporales justi Salvari possent. Magnô enim intervallô diabolus cum justo temporali in causa salutis æternæ dissideret.

Imò vanum & stultum reputat pro salute reproborum orare ac pati; *Vanum*, ait, *pro talibus Salvandis seriâ voluntate pati ac mori, vanum pro talibus à peditione decretâ liberandis offerre Patri Vota, preces, mortem ac Sanguinem suum.* Et, si *quid pro illis rogavit Patrem, pro temporalibus quibusdam justitiæ effectibus rogavit.* Et, *pro istis* (electis) *ab omni malo liberandis rogavit Patrem suum, non pro cæteris qui à fide & Charitate deficientes in iniquitate moriuntur.* Et, *Nullo modo principiis ejus* (Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, Sanguinem fudisse, semetipsum Redemptionem dedisse, Patrem orasse censeatur.* Ibid. pag. 390. pag. 386. pag. 390.

Quemadmodum ergò Jansenius docet, quod Christus *tantummodò* mortuus sit pro illis, *quibus Mors ipsius profuit*: Ità tantùm pro salute eorum solorum qui in æternum salvantur; quià *oblatio mortis Christi vana esse non potest.* „ *Illud enim indicat intentione morientis pretium pro illis oblatum esse, ut ejus oblatione placatus Pater eos reipsa de servitute liberaret.* „ *Proderit igitur necessariò Christi Sanguis & mors, pro quo Sanguinem suum fuderit & mortuus fuerit: & cui nullo modo prodest, pro illo nec Sanguinem fudit, vel mortuus fuit.* „ *Omnibus verò illis pro quibus Sanguinem fudit, & quatenùs pro eis fudit, etiam sufficiens auxilium donat, quo non solum possint, sed etiam reipsa velint & faciant, id quod ab eis volendum & faciendum esse decrevit.* pag. 383. pag. 388. pag. 385. pag. 387. pag. 386.

Cer-

Certissimum verò est, solos electos non solum posse sed etiam velle in justitia finaliter perseverare & perseverando Salvari; ergò ex principio Jansseniano rursùs profluit, quod pro solorum perseverantium salute ac perseverandi gratiâ sufficienti Christus Sanguinem suum fuderit: nam reprobi reipsa non persevêrant.

SECTIO III.

Vindiciæ Ianseniane difflantur.

ARGUMENTUM PRIMUM.

Palladii in Spongia Notarum pag. 32.

FRivola in Præsulem criminatio, quod assevêret Principiis Augustini consentaneum, Christum Dominum non magis Patrem pro æternâ salute pereuntium, quam pro diaboli deprecatum. Cum enim liquidò claresçat, quid phrasi illa, pro æternâ alicujus salute deprecari, intelligat, videlicet ex redimentis animo orationem istam in actualem liberationem dirigi; quæ directio Christi inanis esse non potest; miserrimæ cavillationis genus est, sententias istâ circumscriptione determinatas & septas arrodere: dum nihil apertiùs est, quam Christum directione illâ voluntatis absolutæ, quæ inanis, & irrita non potest esse, non magis pereuntium æternam salutem, quam ipsius diaboli, voluisse.

REFUTATIO.

NOn modò miserrimæ, sed ingratissimæ opinionis genus est, salutarem Generis humani, ac præsertim justorum Redemptionem pusilli electorum Gregis palis velle circumsepire, nec aliam in Redemptore statuere redimendi ac salvandi voluntatem præter illam absolutam, quæ salutem inferat: atquè hoc fundamine malefacto intentenden-

tentionem salvandi Justos non electos componere intentioni, quæ nulla fuit, Christi salvandi dæmones. Quis autem in dubium vocare possit, Jansenium omnem seriam salutis reproborum abjudicasse voluntatem, partasque per mortem Christi gratias, quibus Justi salvari possent reprobi, respuisse? Nam gratiam & Molinisticè & Thomisticè sufficientem ad Perseverandum hujusmodi temporalibus justis invidit, justisque conantibus & volentibus gratiam adêmit, quâ præcepta, inter quod non minimum est Perseverandi, possibilia fiant.

Nequè hæc S. Augustini Principiis consentanea sunt, cum S. Augustinus, licet absolutam Salvandi voluntatem ad electos restringat, aliam tamen agnoscat in Redimentis animo directionem, quæ nec effectum, nec salutem in redemptis operetur. Omnium enim parvulorum sinè exceptione, admittit Christum esse *Jesum*, id est, *Salvatorem*, licet non omnes Christo uniantur, nec à peccato salventur: omnibus necessarium à Christo institutum regenerationis Sacramentum ejus Sanguine rubricatum ac morte vivificum. Imò nec Judam, nec judæos reprobos à Salvatoris beneficio ac animo fecit exortes. A quibus omnibus Jansenius longissimô tramite deviat. Quàpropter Salvandi voluntas apud Jansenium sicut non nisi una, eaque absoluta & efficacissima est, ità mitem non patitur interpretationem, quasi in diabolum Salvandum nullam habuerit Christus voluntatis directionem; in reprobos autem aliquam, nempè ob impartîtas gratias, quibus saltem Salvari possent, nisi fortè admodum remotè nempè gratiam habitualem; quamquam & illam, eo quod ad salutem æternam non prosit, reprobis suprà modum extenuet asserens eam magis prodesse electis, quam illis ipsis, qui justitiam temporalem accipiunt. AR-

ARGUMENTUM II.

Refutatoris Epistolæ Leodiensis pag. 141.

HInc autem rectè sequitur id, quod indè concludit Jansenius: si quis enim æternam salutem reipsâ non consequatur, sequitur Christum pro æternâ ipsius salute nec mortuum esse nec Sanguinem fudisse, nec semetipsum Redemptionem dedisse, nec Patrem orasse, sensu Augustini, id est, non sic, ut pro æternâ ipsius salute pretium mortis & Sanguinis sui applicare, semetipsum Redemptionem dare aut Patrem orare voluntate absolutâ & efficaci voluerit.

REFUTATIO.

IN sensu S. Augustini consecutio est proflua, & consequens verum; quià S. Augustinus de efficaci & absolutâ salvandi voluntate agit, ex quâ salus velut effectus infallibiliter promânat; Jansenii autem sensu consequentia cespitat: quià ex eo, quod S. Augustinus asserat nullum Redemptorum perire, quod de absolutâ & efficaci Redemptione solà cupit intellectum, Jansenius infert neminem à salute excidere pro qua Christus mortuus fuerit etiam sufficienter; eò quod Redemptionem sufficientem exsufflet, præsertim intellectam ratione mediorum, quibus reprobi v.g. justi Salvari possent: quod Hæreticum censet ipse Arnaldus. Quod ergò S. Augustinus de una eaque excellentissima Redemptione Intelligit, Jansenius transfert ad omnem, seu potiùs omnem aliam negat ab excellentissima illa discretam.

ARGUMENTUM III.

Est Vincentii Paleologi pag. 33.

SAnctus Thomas expressè tradit, quod Dominus non oraverit pro omnibus crucifixoribus suis, sed pro his solùm qui erant Prædestinati, ut per ipsum

sum vitam consequerentur æternam. Hîc mirè tripudiat Vincentius, & Notarium hoc velut in eluctabili Argumento triumphatum eludit, & respondentem, quod idem S. Doctor doceat: Christum pro omnibus omninò esse mortuum non quantùm ad efficaciam, sed quantùm ad sufficientiam, dicit fœdissimum captare effugium Sermone ad res parergas conversò.

REFUTATIO.

SAnctus Thomas docet, quod Dominus tantùm oraverit pro solis Prædestinatis re ipsâ Salvandis, seu ut vitam consequerentur æternam, seu pro ipsâ salute efficaciter obtinenda, concedo. Pro salute in suâ causâ, sive mediis, quibus salvari possent etiam reprobi, & signanter Justi, qui, ut benè notat Arnaldus, per mortem Christi accipiunt Gratias, quibus salvari possent, nego. Si namquè juxtà D. Thom. Christus nequè pro salute in se, nequè pro causa orasset, quomodò idem Doctor assereret, quod *Passio Christi sit causa sufficiens salutis humanæ, causa universalis remissionis omnium peccatorum*? Quod pro *totâ naturâ satisfecit*? Quod Christus sit caput omnium hominum etiam reproborum viventium?

Non erat itàquè Parergum, sufficientiam mortis Christi oggerere Vincentio, sed Doctorem Angelicum per seipsum exponere: nam si pro vitâ æternâ solorum Prædestinatorum ità orasse vellet Doctor Angelicus; non posset, quod satiatissimè præstat, sufficientiam mortis Christi pro omnibus, inculcare, inculcatamque tam constanter tuêri. Nam ratione solius pretii non poterat sufficientem Redemptionem asserere, eò quod alioquin etiam pro Dæmonibus se Redemptionem dedisse dici posset, ut ratiocinatur ipse Jansenius. Ergò Sacrificium mortis etiam, certâ ratione pro reproborum salute litatum est,

sic ut eam saltem in causis & mediis, quantùm potuit Salvator, affectu pietatis oraverit. Alioquin quid ad illum parvuli non baptizandi, aut quid & Sacramentum ejus ad parvulos qui reipsâ non baptizantur, nequè salvantur?

ARGUMENTUM. IV.

Ejusdem in Mantissa pag. 63.

Dic saltem illi, tum damnatæ Jansenianæ quintæ manifestè reum fore Vincentium Paleophilum, cum Roma edixerit propositionem quintam intellectam eô sensu, ut Christus pro solorum prædestinatorum salute voluntate absolutâ, seu rationis (ut D. Thomas loquitur) *mortuus sit, velut impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declarari, & ut talem damnari.*

REFUTATIO.

LOngô dissident intervallô: Christus pro solorum prædestinatorum salute voluntate *absolutâ seu rationis* mortuus est, & *pro solorum prædestinatorum salute mortuus est:* Prima namquè per illam absolutam voluntatem à salute reipsâ obtinendâ reprobos dumtaxat excludit; secunda verò omnis oblationis pretii, & mortis ac mediorum pro salute institutorum facit exortes eos, qui non Salvantur, destruitque veram, quam S. Thomas admittit, omnium Redemptionem.

Verum quidem est, quod Vincentius illud: *Christus mortuus est pro salute solorum Prædestinatorum*, intelligat *de voluntate absolutâ;* sed & certum est, quod omnem aliam Redemptionem, quæ ab effectu sejungitur sivè salutis sivè gratiæ, ut spuriam rejiciat; ut proindè sub alis Doctoris Angelici vaticani ictum fulminis non effugiat.

AR-

ARGUMENTUM V.

Ex S. Thomæ 3. p. q. 21. art. 4. O.

Secundùm voluntatem rationis Christus nihil aliud voluit, nisi quod scivit Deum velle. Et ideò omnis absoluta voluntas Christi, etiam humana, fuit impleta, quià fuit Deo conformis: & per consequens omnis ejus oratio fuit exaudita. Nam ut præmisit, *oratio est quodammodò interpretativa voluntatis humanæ. Atqui pro salute solorum fuit exaudita electorum; ergò.*

RESPONSIO.

VOluntas Dei fuit, ut Christus fieret caput omnium. Ut pro omnibus, quorum caput fieret, se daret Redemptionem, & institueret remedia. Voluntas Dei fuit, ut etiam reprobis justis darentur auxilia salutaria; ergò voluntas Christi fuit in hunc finem pati & orare. Quià autem Deus voluit solos electos reipsà salutem consequi, voluit & sic Christus; & pro auxilio isto efficaciter salutem adferente mortuus est, & oravit. Et sic oratio Christi eatenùs etiam exaudita est, nequè in sola velleitate pietatis perstitit.

SECTIO IV.

Vincentius Paleologus Ianseniana causam ad Doctoris Angelici Tribunal devocans, in morte Christi pro omnibus seu omnium salute ab eôdem condemnatur.

JAnsenius notionem vocis *redemptionem dare* præ cæteris sibi penetrare visus, disertè & exertè insufficientem habet redemptionem, quæ re-

redemptis nullô modô prodeſt, nequè Salvatorem niſi eorum, qui reipſa ſalvantur, agnoſcit: *Numquam in ſcriptis ſuis fatetur* (Aug.) ait, *Chriſtum pro omnibus, nullo exceptô, ſe dediſſe redemptionem & crucifixum eſſe; ſed tantummodò pro illis quibus mors ejus profuit.* Et, *Proderit igitur illi neceſſariò Chriſti ſanguis & mors pro quo ſanguinem illum fuderit & mortuus fuerit.*

Ianſ. l. 3. de Grat. c. 21. pag. 382.

pag. 387.

Quod ſi putes eum ratione pretii ſufficientis poſſe dici Redemptorem illorum, quibus non profuit, hanc ſufficientiam ipſe Janſenius reprobam facit; *Quià alioquin etiam pro dæmonibus ſe dediſſe redemptionem dici poſſet, quibus redimendis ſinè dubio pretium ſanguinis ejus eſt ſufficiens.* Quod repetit, ubi rationem inſufficientis redemptionis allegat, quam ipſe Vincentius Paleologus de *Gratia Triumphante* ſuam facit: Nimirum voces illæ: *pro aliquo aliquid dare, aliquid perſolvere, aliquid ad redemptionem offerre, præter ſufficientiam ſimul indicant id quod datur, offertur, ſolvitur, ex ſeriô abſolutôque dantis aut offerentis animô in captivi aut liberandi utilitatem debere influere. Et ſi offerens illâ intentione careat, vel perperam, vel ſaltem valdè impropriè dicitur pro iis, quibus ut prodeſſet, fixâ volitione non voluit, captivitatis pretium obtuliſſe.* Habemus mentem Vincentij, habemus menten Janſenii à Vincentio explanatam, uſque adeò dilucidè, ut addat: *Hæc uſquè adeò perſpicua & plana ſunt; ut vel laniis, & Salſamentariis ſe deridiculum præbêret, qui & tam certa & tam obvia negare præſumeret.*

pag. 385.

pag. 34. & 35.

Ergònè Laniis & Salſamentariis poſt-habes Scholaſticorum Coryphæum, quem appellas, cujus Authoritate premere & opprimere moliebaris Doctorem Academicum, quem per ſummum ludibrium modò *Notarium*, modò *Scribillatorem*, vocitare conſueſti? Si enim non niſi

vel

vel perperam, vel valdè impropriè dicitur Christus pro iis quibus ut prodesset fixâ volitione non voluit, captivitatis pretium obtulisse; ergò perperam, & valdè impropriè dixit Doctor Angelicus, quod & de Diabolo dicere poterat, ut ratiocinatur ipse Jansenius, in cap. 2. Epist. ad Hebræos hæc verba explanans: *Ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem pro omnibus*, inquit, *dupliciter potest intelligi, vel ut sit distributio accommoda, scilicet pro omnibus prædestinatis. Pro istis enim tantùm habet efficaciam. Vel absolutè pro omnibus quantùm ad sufficientiam. Sufficiens enim quantùm in se, omnibus est.* S. Tim. 4. *Qui est Salvator omnium maximè fidelium.* Chrys. *pro omnibus hominibus generaliter mortuus est: quià omnibus pretium sufficit. Etsi non omnes credunt, ipse tamen quod suum est implevit.*

Perperam & valdè impropriè fatus est idem Doctor dicens: *Satisfaciendo pro totâ naturâ sufficienter meruit peccatorum remissionem.* *In 3. dist. 19. q 1. ad 1. ad 4.*

Perperam dixit: *Christus in quantùm nobis influxit per meritum dicitur caput nostrum.*

Impropriè, & perperam dixit: *Christus est caput omnium hominum, sed secundùm diversos gradus... etiam eorum qui in potentiâ sunt sibi uniti, quæ numquam reducetur ad actum, sicut homines in hoc mundo viuentes qui non sunt prædestinati.* 3. p. q. 8. a. 5.

Impropriè, imò falsò dixit: *Certum est Christum venisse in hunc mundum ... ad deletionem omnium peccatorum.. non quod omnia deleantur, quod est propter defectum hominum, qui Christo non inhærent ... sed quià ipse exhibuit quod sufficiens fuit ad omnium peccatorum deletionem.* 3. p q. 1. a. 4.

Perperam asseruit: *Quod sicut Passio Christi prodest quidem* omnibus, quantùm ad sufficientiam & remissionem culpæ *& adeptionem gratiæ & gloriæ, sed effectum non habet nisi in illis qui passioni Christi conjunguntur per fidem & Charitatem.* *q. 79. art. 7. ad 2.*

q. 1. art. 1. ad 4. Perperam, & impropriè locutus est dicens: *Passio Christi præcessit ut causa quædam universalis Remissionis peccatorum, sicut dictum est, necesse quod singulis adhibeatur ad deletionem propriorum peccatorum; hoc autem fit per baptismum & pœnitentiam & alia Sacramenta, quæ habent virtutem ex Passione Christi.*

q. 61. art. 1. ad. 3. Et iterùm: *Passio Christi est sufficiens causa humanæ salutis; nec propter hoc sequitur, quod Sacramenta non sint necessaria ad humanam salutem, quià operantur in virtute Passionis Christi, & Passio Christi quodammodò applicatur hominibus per Sacramenta.* Quod repetit in quæst. disput. q. 20. *de gratiâ Christi* art. 7. ad 8. & q. 48. art. 6. ad 2. Passio Christi per spiritalem contactum efficaciam sortîtur, scilicet per fidem & fidei Sacramenta.

Nunc Confidentissimè Jansenii ultor, tuique destructor & illius, Vincenti ex te sciscitor: sentisne perperam vel valdè impropriè de *Redemptione sufficienti*, quæ usquè ad gratiæ seu unionis cum Christo capite actualis exortes homines protenditur, ab Angelico Magistro tam multifariè locisque diversis dissertatum, vel non? Si primum, igitur nugas enucleandas posteris transmisit, nullô verô seu propriè dictô sensu sufficientem Redemptionem asserendo continentissimè, & ab efficienti (quam solam dici Redemptionem Janseniana novitas clamitat) continuè dispescendo. Et, quid si eâ reverentiâ excepisset olim *Notarius* ille tuus Doctoris Angelici tunc placita tibi effata, dixissetque vel *impropriè valdè*, vel *perperam asserta* de voluntate Christi ejusquè interprete oratione pro salute solorum electorum? Quis tibi tum sensus? Quæ arma suppeterent pro tanti Doctoris contutandâ Authoritate? At meliora præsagio. Dicturus es igitur Doctorem Angelicum

licum propriâ Phrasi dixisse, Christum omnium Redemptorem asseruisse. Percunctor, quo jure? An ratione pretij de se sufficientis dumtaxat, an verò pretij pro omnibus à Christo seriô absolutoque dantis seu offerentis animo in realem utilitatem Redemptorum influentis? An ratione pretij ad certa media, per quæ passio applicata prodest, destinati? Si ratione pretij in utilitatem reipsa influentis, jam alios, quibus mors non applicatur, à Redemptione exemtos reddis, & à Doctore Angelico abis. Num ratione pretij secundùm se sed non oblati pro his, quibus mors nullô modô prodest? jam Jansenium tuum deseris, & juxtà illius consecutionem in Redemptionis beneficio parvulum v. g. non baptizandum Apostatis Angelis componis, reclamante Augustino, reclamante Apostolo, & universo repugnante Christi exercitu. Si ratione pretij ad media salutis directi, licet salus non subsequatur, jam verum invenies Redemptorem, non adstipulante Jansenio, sed laudante Augustino atquè Doctore tuo Angelico, ad quem provocasti. Jansenio enim semper Redemptio spirat effectum. Augustino, & Doctori Angelico significat aliquandò salutis remedia, aliquandò salutiferam pretiosi Sanguinis communicationem, aliquandò intentionem absolutam salutis in seipsâ, aliquandò in causâ, per quam salus obtinêri possit, etiam ab illis qui reipsâ salutem non consequuntur. Quod & ipse Arnaldus respectu saltem aliquorum reproborum tam fixum tenuit, ut hæterodoxum esse dixerit, asserere Christum pro salute dumtaxat, seu solorum Prædestinatorum esse mortuum.

CAPUT IV.

In quo impia, blasphema, contumoliosa, divinæ pietati derogans Ianseniana propositio per Augustinum perstringitur.

JUre meritissimô ad Partem Donati, ad Africam coarctantes Ecclesiam, quam acquisitam sanguine suô D. J. Christus voluit esse totô orbe diffusam, ut ingratos pretio Redemptoris perstrinxit Augustinus his verbis: *Valdè ingrati sunt pretio suo, aut multum superbi sunt, qui dicunt, aut illud tam parvum esse, ut solos Afros emerit, aut se tam magnos, pro* QUIBUS SOLIS ILLUD SIT DATUM.

Aug. in ps. 95.

Nec injuriâ Juliano ingessit inficianti Christum Parvulorum esse *Jesum*, id est, *Salvatorem* ac Liberatorem: *Frustrà tu magnam Christi misericordiam extenuendam putasti: ille enim pro malè merentibus mortuus est: à quo beneficio parvulos separatis, quoniam salvos esse dicitis: ille autem dicit: non est opus sanis medicus.*

L. 2. op post. cap 170.

Acriori meruit notâ peruri Jansenii effatum: *Nullô modô principijs* (Augustini) *consentaneum est, ut Christus Dominus pro infidelium in infidelitate morientium, vel Justorum non perseverantium æternâ salute mortuus esse, redemptionem dedisse, Patrem orasse censeatur.* Et iterùm: *Ex quo factum est, ut juxtà sanctissimum Doctorum non magis Patrem pro æternâ liberatione ipsorum quam pro diaboli deprecatus fuerit.*

L. 3. de gra. Christi c. 21. pag. 390.

Ad salutem ergò electorum salvandi voluntas restringitur, & magna Dei misericordia exter-

nuatur.

nuatur. *Ut quid dilexit nos Christus, nisi ut regnare possimus cum Christo? Quis magis dilexit infirmos, quam qui pro omnibus factus est infirmus? & pro omnibus ipsâ infirmitate crucifixus?* Si Jansenio fides, non plus dilexit parvulos baptismi exortes, nec magis est pro infirmis factus infirmus quam pro dæmonibus. Non plus oravit Patrem, quam pro dæmonibus. Tract. 84. in Ioan. Tract. 8.

Nos ergò plus illos diligimus, qui oramus pro omnibus illis, qui regenerati non sunt, ut baptismo initientur & salventur. Christus pro Justorum non electorum salute non magis passus est, quam pro dæmonum; ergò nos magis Justos diligimus, qui pro omnibus Justis oramus, ut salventur, imò & pro eorum salute patimur & sustinemus, pro quâ & animas ponere animo comparati esse debemus, & quidem exemplô Principis Pastorum, qui pro salute ovium, ut ovis ad occisionem ductus est. Num fortè piissimus animarum Conditor & Redemptor, qui nobis & præceptum pro salute omnium orandi & patiendi dedit, imò ipsum orationis & patientiæ spiritum infundit, nec ipse pro illâ orasse, nec passus esse censebitur, cum vita Christi norma sit hominis Christiani? Aut qui nos stoicos, id est, affectione vacuos esse vetuit, ipse in ruinâ pereuntium, in defectu non perseverantium justorum, quos naturæ suæ consortes fecit, quos Sanctô Spiritu subarravit, ipse stoicus Christus fuit? Ipse meliora & viciniora saluti non aptavit, non desideravit, non ingemuit, non oravit quantùm in Mediatore fuit, non sanare cupivit, quantùm in Medico fuit? Non eum major cura incessit ergà salutem filiorum, quam perduellium apostatarum spirituum? Si nos, cum simus mali, demus bona data filiis nostris; ille, cujus voluntas non potest suâ benignitate destitui, omni salu-

tifero pane justitiæ ac potu sapientiæ orbos reliquit filios suos? Hoc testamenti vice legavit, ut non nisi perire, non nisi æternùm mori valeant adoptati? Hæc sanè Redemptoris Amori derogant, & detrahunt pietati: ut rectè Jansenianæ crudelitati regerendum sit illud Augustini: *His repugnans, ista convellere moliens Catholicæ fidei munimenta, ipsosque nervos dirumpere Christianæ Religionis veræque pietatis, convinceris.* Sed non verbis; inquies, doctrina ista, sed argumentis solidioribus impetenda venit, si tam impia & blasphema censenda sit, ut præfertur, nec nisi per Augustinum, cui hæc doctrina adscribitur, diluenda.

l. 6. cont. Iul. c. 26.

SECTIO PRIMA.

Jansenius negans Christum pro salute infidelium non convertendorum mortuum, exemplo Parvulorum, per Augustinum refutatur.

INfidelium Gregi parvulos non baptizatos, fidelium verò Choro baptizatos accensêri, vel Hospes in S. Augustino gnarus est. Sed pro salute Parvulorum plus egit Christus, quam pro salute Dæmonum, ergò. Minorem si inficias eat Jansenius, erit in dæmones pius & sævus in parvulos: quasi parem haberent utrique causam. Id prorsùs à S. Augustino alienum, qui illud Apostoli: *Christus pro impiis mortuus est*, non dæmonibus sed parvulis omnibus applicat; de illis verò dicit: *Nihil eis undè sanarentur, impensum est: quià tanto fuit culpa damnabilior, quanto natura sublimior.* Ad cunctos autem parvulos Christum pertinêre docet primò: ubi ait:

Quo

Quo *Creatore indigent, hoc indigent Salvatore.* L. 2. op. post. cap. 121.

Secundò *indigent auxilio Salvatoris, ut de potestate deceptoris eruantur.*

Tertiò: *Quod Christi habeant necessariam in illa ætate medicinam.* L. 2. de Nup. & conc. c. 3.

Quartò: *Quibus autem opus, his proculdubio est Jesus.* L. 2. op. post. cap. 170.

Quintò: quod parvuli non baptizati *stabunt antè Tribunal Christi, ut reportent condemnationis Judicium*, quià Evangelica est ista sententia dicendo: *qui non crediderit, condemnabitur.* L. 6. c. 10.

Quô pactô enim Christus, Christi gratia, Christi medicina, Christi fides, Christi Sacramenta sunt Parvulis, etiam non electis, necessaria ad salutem, si salutis eorum curam non egit Christus, si, quantum in medico fuit, salvare non voluit, si non pati, non orare plus quam pro dæmonum reparatione voluit? Nunquid parvuli omnes, si baptizati è vestigio decederent, certissimè salvarentur? Et cujus virtute ac merito, nisi Domini Salvatoris, è cujus Crucifixi latere salutis remedia, teste Augustino, promanârunt? Nam si Christus salutem omnium parvulorum non deperiit, nec illis etiam salutis viam aperuit, nec poculum immortalitatis de nostrâ infirmitate confecit. Et insuper, cum à Salvatore judicandos Augustinus pronuntiet sacramento baptismatis orbos, etiam ad Redemptorum per illum numerum pertinêre censendi sunt juxtà illud S. Augustini: *Judicabit orbem terrarum. Non partem, quià non partem emit. Totum judicare debet, qui pro toto pretium dedit.* Judicabit ergò & Parvulos omnes, quià pro omnibus pretium dedit. Nullum pro Apostatis pretium dedit, nullum remedium salutis instituit; ut proindè in curâ salutis, in commerito Salvatoris Jansenius perperam homines illis composuerit. in ps. 95.

SEC-

SECTIO II.

Amor, zelus, cura Christi Salvatoris ergà filium Perditionis, seu Iudam Proditorem, Ianseniance propositionis severitatem convellit.

SI qui reproborum diabolo componendi fuerant à Jansenio; primatum obtinuisset is, qui filius perditionis appellatus est, cui satius, veritate complorante, fuerat, non esse natum, imò ob nequitiam *Diabolus* dici meruit. Nec hujus tamen, licèt internô bellô vastati ac reprobi discipuli Magister optimus, salutem neglexit, sed amavit, zelavit, curavit, ut variis argumentis probatum nobis exhibet Augustinus: Ut mirum foret, si Augustinus idem assereret, quod prætendit Jansenius, Salvatorem non magis *oravse*, *passum* esse pro salute Justorum non perseverantium, cum tantam curam gesserit etiam pro illo, cujus jam manus erant in scelere. Benevolentiam Redemptoris, affectum Salvatoris ergà salutem Proditoris, non ego, sed Augustinus prodat.

Primò, enarratione in psalm. 3. docet Davidem fuisse Typum Christi ratione mansuetudinis & dilectionis ergà perduellum filium Absalonem; Absalonem verò figuram Judæ. Absalon licet Patri rebellis, & Patris internecioni intentus, *Patris Davidis* Pax dicitur. Et Judas Pax *Christi*. *Absalon Patris pax dicitur, quià Pater habuit pacem, quam ille non habuit.* Quærit, S. Augustinus, quomodò cum Patrem sit persecutus? Et respondet: *Quià in illo bello David pacatus fuit filio, quià eum dolore planxit exstinctum*, dicens: *Absalon filius meus, quis mihi dabit mori pro te.* Id Christo apponit

ponit Augustinus his verbis: *Ipsa Domini nostri tanta, & tam miranda patientia, quod eum tamdiu pertulit tamquam bonum, cum ejus cogitationes non ignoraret, eum adhibuit ad convivium, &c. Quod denique in ipsâ traditione ejus osculum accepit, bene intelligitur pacem Christum exhibuisse traditori suo, quamvis ille tam scelerate cogitationis interno bello vastaretur. Et ideò Absalon Patris pax dicitur, quià Pater habuit pacem, quam ille non habuit.* David verum ergà rebellem filium affectum gessit, pacem ei salutemque animæ peroptavit, quantam potuit, vitamque pro illa profundere paratus Quantò magis alter David qui venit quærere omne quod perierat, desideratæ pacis ac salutiferæ affectionis Judæ ceu Absaloni symbola sincera exhibuisse credendus est, qualia nulli Dæmonum dedit, nec daturus est in perpetuas æternitates? Non fuêre politica, non extima solum pacis oscula: propter quæ Judas *Patris Pax* dici potuit, sed vota cordis, affectus Medici, qui quantùm in Medico fuit, Sanare venit ægrotum. *Qui passurus exitia præmisit obsequia, & illi non dedignatus est pedes lavare, cujus manum jam prævidebat in scelere.* Tract. 55. in Ioan.

Secundò, quià Dominus Jesus super damnatione Judæ turbatus est non carne, sed Spiritu, non *miseriâ* sed *misericordiâ* stimulante. *Ubi autem urit dolor, ardet amor*, ut Augustinus ait; igitur si Judæ perditio Magistrum usserit, salutis amor accendit. Ergò rursùs amore Vincente, quantùm in Magistro ac Medico fuit, sanare ac Salvare peroptavit, ardentiori fortè siti quam à se calicem amotum postulavit: Quoniam Spiritu turbatus fuit, & eôdem quidem affectu pietatis ac miserationis quem à nobis, ac præsertim animarum Pastoribus desideravit. Nil horum simile ergà dæmones gessit, nec à nobis gerendum

dum imperavit. Sed cum hæc abstrusa, & Mysterio quodam obnupta videantur, Africanus Titan cuncta enubilet.

Atquè imprimis, eodem irradiante & Stoicorum tenebras dispellente didicimus, motus affectusque de amore boni & sanctâ Charitate venientes vitia non esse sed virtutes. *Quamobrem etiam ipse Dominus in formâ servi agere vitam dignatus, adhibuit eos, ubi adhibendos esse judicavit. Nequè enim in quo erat verum corpus & verus animus, falsus erat humanus affectus. Cum ergò in ejus Evangelio ista referuntur, quod suprà duritiam cordis Judæorum cum ira contristatus est quod dixerit: Gaudeo propter vos, ut credatis, quod Lazarum suscitaturus etiam lacrymas fuderit, &c., Non falso utique referuntur.*

L. 14. de Civ. Dei c. 9.

Quali autem ergà Judam Salvator affectu processerit, elucidat idem Doctor hæc verba Evangelii Commentatus: *Turbatus est Spiritu & dixit: Amen dico vobis: quià unus ex vobis tradet me.*

Tract. 160. in Ioan.

Sicut ergò tunc ejus anima turbata est horâ propinquante Passionis: ità etiam nunc, *Exituro Judâ atquè venturo & propinquante tantò scelere Traditoris turbatus est Spiritu.* Turbatus est potestatem habens ponendi animam suam & potestatem habens iterùm sumendi eam. *Turbatur tam ingens potestas, turbatur petræ firmitas. Qui transfiguravit Corpus humilitatis nostræ Corpori gloriæ suæ, transfiguravit eam in se affectum animæ suæ ..... Nos ipsos in illius perturbatione videamus... pereant argumenta Philosophorum, qui negant in sapientem cadere perturbationes animorum. Stultam fecit Deus sapientiam hujus mundi: &, Dominus novit cogitationes hominum, quoniam vanæ sunt.*

Turbetur planè animus Christianus, non miseriâ sed misericordiâ timeat, ne pereant homines Christo, contristetur, cum perit aliquis Christo, lætetur cum acqui-

acquiruntur homines Christo, concupiscat regnare cum Christo.

Quare? *quià Christus transfiguravit etiam in se affectum infirmitatis nostræ compatiens nobis affectu animæ suæ.*

Hanc perturbationem sanctorum suorum, per Schismaticos & Hæreticos futuram quodammodò prænuntians Dominus præfiguravit in semetipso, *cum exituro Judâ homine malo, & Commixtionem frumenti, in qua diu fuerat toleratus, separatione apertissimâ relicturo, turbatus est non carne, sed Spiritu. Spiritales enim hujusmodi* scandalis non perversitate, *sed Charitate turbantur*: *Turbatus* itaquè est Jesus, & protestatus est & dixit: *Amen dico vobis quià unus ex vobis tradet me. Unus ex vobis numero, non merito, specie non virtute; Commixtione corporali, non vinculo spirituali: carnis adjunctione, non cordis socius unitate. Proindè non qui ex vobis est in vobis est, sed qui in vobis est, exiturus est.* Doluit ergò Jesus, qui dolêre nos docuit exemplô suô, quià periit à se Judas; concupivit ut secum regnaret Judas, & quoad potuit, oravit & fecit, ne periret Judas. Non fuit falsus in Veritate Incarnata, & Charitate Crucifigenda, dum viveret Judas, affectus. *Tract. 60.*

SECTIO III.

Confirmantur prædicta urgentioribus pro Judæ salute expressionibus S. Augustini.

NOn modò *quando venit (Judas) ut traderet eum, osculum illi dedit, ut appareret de illo dictum:* HOMO *pacis meæ*; sed & salutem dedit, ut Augustinus loquitur: *Medicus non daret venenum, salutem medicus dedit, sed indignè accipiendo,* *Aug. in ps. 40. Tract. 6. in Ioan.*

Tract. 62. *do, ad perniciem accepit.* Et, *quid erat panis traditori datus, nisi demonstratio, cui Gratiæ fuisset ingratus?*

Et cum dixit illi: *Quod facis, fac citiùs*, fuit verbum *Libentiùs parati, quam irati non tam pœnam exprimens Venditoris, quam mercedem significans Redemptoris.*

Tract. 55. Nequè Christum Redemptorem ac Salvatorem Judæ invidit Augustinus, sed concessit. *Jam talis venerat* inquit, *& videbatur, & tolerabatur, & se ignorari arbitrabatur.*

Jam venerat ad Convivium explorator Pastoris, insidiator SALVATORIS, *venditor* REDEMPTORIS.

L. 2. de Symbolo ad Cathec. Et *quid egit iniquitas Judæ qui eum vendidit, à quo redimi debuit?*

in ps. 68. con. 2. *Projêcit pretium, quo ab illo Dominus Venditus erat, nec agnovit pretium quo ipse à Domino redemptus erat.*

Quæ si vera sint de Juda peccatore, quantò magis de justo dici potuit, quod Salvatorem habuerit, per quem Salvari poterat nondum deserens, nondumquè à Deo desertus? Imò Augustinus asserit illum orare potuisse, antequam Dominum tradere cogitarat: *Quandò autem Judas orare potuit, ut oratio ejus non fieret in peccatum? Credo antequam Dominum traderet, & de illo tradendo jam cogitaret. Postquam autem illum tradidit, eumque pœnituit, si per Christum rogaret, indulgentiam rogaret: si indulgentiam rogaret, spem habêret: si misericordiam speraret, non sibi desperatione collum ligaret.*

in ps. 168.

Huic consonat S. Leo serm. 6. de Passione differens de oratione Christi in cruce pendentis: *Pater ignosce illis. Quod remedium*, inquit; *nec te Juda transisset si ad eam pœnitentiam confugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ instigaret ad laqueum.* Et Serm. 8. *Expectasses consummationem*

tionem sceleris tui, & donec Sanguis Christi pro omnibus funderetur infamis lethi dispendium distulisses.

Indulgentiam tamen non est adeptus: *Quoniam perditionis filius, cui diabolus stabat à dextris, priùs in desperationem transiit, quam Sacramentum Christus generalis redemptionis impleret: nam mortuô pro impijs omnibus Dominô, potuisset fortè hîc consequi remedium, si non festinasset ad laqueum.* S. Leo serm. 11. de pass.

SECTIO IV.

Christus pro salute reproborum Iudæorum passus & mortuus, juxtà S. Augustinum reprobat impiam Ianseniauam.

A Juda reprobo, quem clementia Salvatoris ad pœnitentiam invitavit, salus pulsavit, vita ad vitam revocavit, ut loquitur S. Leo serm. 7. de Pass: Et qui, notante Augustinô Personam Judæorum qui oderant Christum sustinuit, transitum facio, ad perfidos Judæos, quià nec istorum salutem neglexit Christus, sed sitivit, dilexit, quæsivit. *Nostis, quibus dolis egerint; quemadmodum discipulum pecuniâ corruperint, ut sibi traderetur; quomodò falsos testes procuraverint, quomodò insidijs & dolis egerint, ut sagittarent in abscondito immaculatum. Magna iniquitas! O! durum cor! occidere velle hominem qui mortuos suscitabat, repentè, id est, insidiosè quasi inopinatè. Illos mors occîdit, quià noluerunt occidere iniquitatem.* Aug. in ps. 108. in ps. 63.

Rebellaverunt contrà Dominum, qui si rebellassent contrà delectationes malas, suam malam invidentiam vincerent, nec vincerentur ab eo, & esset illis Dominus Salvator qui venerat ut sanaret; nunc autem faverunt febri, repugnaverunt MEDICO. *Quidquid* Tract. 12. in Ioan.

Juggerebat febris, faciebant. Quidquid jubebat con-
In Psal. 63. *trà* MEDICUS, *negligebant. Ergò illi magis occisi sunt, non Dominus. Nam in Domino mors occisa est, in illis vixit.*

Quantùm in medico fuit, sanare venit ægrotum.
Tract. 12. *Perdidit superbos Dominus* MEDICUS ÆGROTOS. De illis Augustinus asserit: *Peccatum vestrum manet. Quare? quià dicendo, videmus:* MEDICUM
Tract. 45. *non quæritis, in cæcitate vestrâ remanêtis.* Erat ergò & istorum Medicus, non sicut dæmonum: Volebat ergò & illos sanare Medicus.

Tract. 4. in Ioan. *Populi tamen spernentes per superbiam suam humilitatem Dei, Crucifixêrunt* SALVATOREM SUUM, *& fecerunt Damnatorem suum.* En Titanio in jubare eundem reproborum judæorum *Salvatorem* simul ac *Damnatorem.* Damnatorem, quià dignos punit, Salvatorem quià salutem, quantùm in Medico fuit, adferre voluit.

Non est ergò consentaneum Principiis S. Augustini, quod Christus passus, sit pro salute reproborum plùs quam diaboli? Si pro salute eorum, quos noverat non salvandos, nîl egit, nihil pertulit, nîl oravit, nihil expendit, undè eorum *Salvator* dictus est? Undè *Medicus*, si nîl medelæ contulit ægris?

Igitur mortuus est pro omnibus, etiam pro eis à quibus crucifixus est. Quàpropter tamquam *Medico & Salvatori* ingratissimis in judicio imperaturus est: *Agnoscitis latus quod pupugistis,*
L. 2. de Sym. ad Cathec. cap. 8. *quoniam per vos & propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis.*

Simili reprobum damnatumque hominem, non diabolum, verbi acinace percellet Salvator atquè Damnator Christus, eôdem Augustinô Præcone, *Suscepi dolores tuos, ut tibi gloriam darem.*
Serm. 69. de tempore. *Cur, quod pro te pertuli, perdidisti? Cur ingrate Redemptoris tui Munera renuisti?*

Et

Et quid improperia Nomine Salvatoris quotannis decantata in die Paraſceves indicatum volunt, niſi quod Majores Perfidorum Judæorum, quos nunc optat converſos Mater Eccleſia, *Salvatorem ſuum* tantis opprobriis atquè ſuppliciis affecerunt? *Fecerunt ergò Salvatorem ſuum damnatorem ſuum.* Quoſdam tamen, quos à Patre electos noverat Salvator, elegit è Crucifixoribus ſuis, quorum ſalutem ardentiori ſiti avebat, converſionemque oratione ſuâ impetravit.

Sitio aiebat, & datô acetô, minus feciſtis. Date quod eſtis. Judæi quippè erant acetum degenerantes à Vino Patriarcharum & Prophetarum, & tamquam de vaſe pleno de iniquitate mundi hujus impleti cor habentes velut ſpongiam cavernoſis quodammodo atque tortuoſis latibulis fraudulentum. Sitiebat ergò Chriſtus Judæos, id eſt, *ſalutem eorum. Faciebat iſta populus impius, patiebatur iſta Miſericors Chriſtus. Qui faciebat, quid faceret, neſciebat. Qui patiebatur autem, quid fieret non ſolùm & cur fieret ſciebat, verùm etiam de malè facientibus benè ipſe faciebat. Fuſus eſt Sanguis medici, & factus eſt medicamentum phrenetici.* Et quibus efficaciter voluit ignoſci, *mutari illos voluit, ex inimicis fratres facere dignatus eſt & verò ſic fecit. Occiſus eſt, ſepultus eſt, in cælum aſcendit, Spiritum Sanctum miſit, cœperunt cum fiducia prædicare nomen ipſius, & qui Sanguinem ejus ſæviendo fuderunt, credendo biberunt. Miracula faciebant in nomine Crucifixi.* Tract. 110. in Ioan. Tract. 5. in Epiſt. Ioan.

Hos ſingulariter dilectos à Patre *dilexit impios, ut faceret juſtos, dilexit ægrotos, ut faceret ſanos.* Tract. 9. in Epiſt.

Sed numquid non dilexit eos, de quibus legimus: *Deleantur de libro Viventium & cum Juſtis non ſcribantur?* Fecerunt illi, ut dictum eſt, *Salvatorem ſuum damnatorem ſuum.*

L. 2. de Symb. c. 6. Et *quid egit insana impietas Judæorum, quià invitati non solùm venire noluerunt, sed insuper Sponsum occiderunt?*

Ideò inhortatur Catechumenos Augustinus: *Festinet unusquisque cum vivit, ut vivat, currat, ut ejus pretioso sanguine redimatur, ne cum fuerit de numero Redemptorum, in numero maneat perditorum.* Si fiant homines de numero perditorum qui erant de Numero Redemptorum, igitur Christus se redemptionem dedit etiam in salutem perditorum. Redemptio enim apud Augustinum, interprete Jansenio, etiam salutis intentionem involvit.

Si fieri non possit, ut, pro quo sanguinem Christus fudit, non assequatur istiùs mortis effectum, ut contendit Jansenius; ergò vel nulli damnati sunt Judæi ut Crucifixores Salvatoris, vel habebunt quod Christo judici vulnera sua objicienti respondeant: occidimus hominem justum & Sanctum, sed non *Salvatorem* nostrum, utpotè qui non venisti nisi in salutem pati electorum tuorum: pupugimus quidem latus, sed intrare non potuimus, non enim pro salute nostrâ atquè conversione plùs à te effectum est, quàm pro diaboli, cujus ministri fuimus. Non meruimus ergò facere *Salvatorem nostrum Damnatorem nostrum.*



SECTIO V.

Argumenta Ianſeniana pro morte Chriſti in ſolorum electorum ſalutem oblata refelluntur.

ARGUMENTUM I.

Apoſtolus de ipſis in illud regnum prædeſtinatis loquens: qui proprio, inquit, *filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: & in tractatibus in Joannem de eôdem locô: quibus nobis? Præſcitis, Prædeſtinatis, juſtificatis, &c. Ecce ipſum locum, quo pro omnibus traditus aſſeritur de prædeſtinatis omnibus intelligendum.* *Aug. l. 22. de Civ. Dei. cap. 22.* *Tract. 45. in Ioan.*

RESPONSIO.

AGit Auguſtinus de efficaciter ac completè redimendis. Alioquin cum Auguſtinô reſpondeo, quod hic Juliano regeſſit: *Noli mihi jam adverſari. Nam ſi adhuc facis, cui vel quibus adverſeris adverte.. Manifeſtiſſimè dixi: ſententia noſtra nec deformis eſt, quià ſpecioſum formâ præ filiis hominum Salvatorem prædicat omnium hominum.* *L. 2 cont. Iul. c. 5.* *L. 5. c. 1.* Apertiſſimè enim dixit de reprobis Judæis: *Crucifixêrunt Salvatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum.* Apertiſſimè de Juda pronuntiavit, quod *inſidiator Salvatoris, venditor Redemptoris, ſalutem* à medico accepit, nec agnovit pretium *quô redimi debuit, & quô ipſe à Dominô Redemptus erat.*

Satiatiſſimè inculcavit Auguſtinus, apertiſſimè Apoſtolum dicere: *Chriſtus pro omnibus mortuus eſt; ergò omnes mortui ſunt*, & quidem *Nemine exceptô*, expoſitore Auguſtino. Luculentiſſimè de parvulis omnibus idem concluſit: *Quibus autem opus, his procul dubio eſt Jeſus.* Hinc exue te ſi potes.

ARGUMENTUM II.

ET ne quis fortè suspicaretur, ità phrases hujusmodi affirmativas de prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alij justi, qui de beato illo numero non sunt, non excludantur; non uno in loco invertit hujusmodi locutiones, ità ut eas negativè efferendo dicat, Christum pro cæteris, qui non fuerint prædestinati, non esse mortuum, non oraſſe, non se dediſſe Redemptionem. Hoc enim in Epistola ad Evodium sinè ulla ambiguitate pronuntiat: Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus. Quod si nullus ex illis perit: pro quo Christus mortuus est, profectò quisquis perit sivè aliquandò justus fuerit sivè non justus, non est pro illo mortuus Christus.

RESPONSIO.

AGit Auguſtinus de absolutâ & efficaci voluntate Redemptis, & quidem Redemptione completâ per traditionem eorum quos dedit illi Pater, ut non perdat ex illis quemquam. Non negat S. Auguſtinus perire juſtificatos, & alios ſufficienter Redemptos, & non prædeſtinatos. Numquid non periit filius perditionis? numquid non perierunt multi, qui *Salvatorem* ſuum *fecerunt Damnatorem ſuum*? Alioquin Apoſtolica reclamant eloquia. Numquid qui illuminati ſunt & *guſtaverunt donum cæleſte & conculcaverunt Sanguinem teſtamenti pereunt*? & numquid pro illis crucifixus eſt Chriſtus, qui facti ſunt inimici crucis rursùs in ſemetipſis crucifigentes Filium Dei, & oſtentui habentes?

Numquid pretiô magnô empti erant, de quibus Judas in Canonicâ ſuâ, qui *Domini Jeſu Chriſti gratiam transferunt in luxuriam*? Et nonnè iſti perierunt *velut arbores autumnales bis mortuæ, eradicatæ*?

Nonnè

Nonnè & illi empti sunt, de quibus Apostolorum Vertex: *Et qui emit eos, Dominum negaverunt?* Sensus est, ait Estius: *Christum Redemptorem suum, qui mercatus est eos & redemit sanguine suô, eôque jure Dominus ipsorum est, abnegaturi sunt, si non verbô, saltem factis, & pravitate doctrinæ, videlicet Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, ut exprimit S. Judas in suâ Epistolâ. Ex hoc loco colligitur Christum redemisse quosdam reprobos*, inquit Estius, *nimirùm qui redemptionis ejus secundùm aliquos effectus facti sunt participes, cujusmodi erant hi, de quibus Petrus loquitur.... Quæ eadem doctrina est Concilii Valentini antè annos penè 800. in Galliis habiti cap. 5. affirmantis Christi redemptionem etiam ad eos pertinêre, qui etsi non salventur, baptismô tamen regenerati fuerunt, & in sanguine Christi à peccatis abluti.*

Addo & ego, quod cum Justi essent, Gratiam quâ tales permanêre possent saltem sufficientem sed ex parte efficacem acceperunt, vi cujus eorum salutem magis Salvator voluisse videtur, quàm aliorum reproborum, v. g. Parvulorum non baptizandorum, qui nullum fructum passionis perceperunt, nec ità Salvari possunt, ut illi.

ARGUMENTUM III.

ET in Sermone de Natali S. Vincentii: *Etsi laniatur caro, etsi laceratur: quando perit, qui sanguine Christi redemptus est? Potens homo non potest perdere, quod emit auro suo, & Christus perdit, quod emit sanguine suo? Quasi diceret: nullo pacto. Quisquis ergò perit, non ille, ex Augustini mente, Christi sanguine redemptus est.* *Serm. 8. inter Parisien.*

RESPONSIO Eadem.

ALioquin: Numquid perdidit Judam unum de duodecim, qui non agnovit *pretium quô redemptus erat?* Numquid perdidit illos, de quibus

Apostolus Petrus loquitur, qui *negant Dominum, qui emit eos?* Numquid non perdidit, de quibus Judas in Epistola? Et nonnè Ecclesia Lugdunensis à Jansenio ipso citata pag. 384. ità loquitur: *Catholica fides tenet, & Scripturæ Sanctæ veritas docet quod pro omnibus credentibus & per Gratiam baptismi ex aquâ & Spiritu Sanctô regeneratis, & Ecclesiæ incorporatis verè Dominus noster & Salvator est passus?*

AUGUSTINUS RESPONDET.

Aug. l. 2. cont. Iul. c. 5. *IN quibusdam locis sensus meos ad tuum potiùs interpretaris arbitrium abutens tardiusculis cordibus hominum... Non est ubi hæreat Lector, ubi caliget Auditor.*

L. 2. de nup. & conc. cap. 33. *Judicet Christus, & cui rei mors ejus profecerit, ipse dicat: hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Judicet, & cum illo Apostolus dicat, quarè Christus sic traditus. Traditus est,* inquit, *propter delicta nostra. Pro quibus traditus est Christus, habent quod in eis sanet, sicut ipse ait, non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.*

L. 3. cont. Iul c. 3. *De hoc pretio quarè sit susum, quid interrogemus alium? Redemptor ipse respondeat, dicat ipse Mercator: Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

I nunc Jansseni, & dic Augustinum tradere (nî mecum expenas) Christum pro non prædestinatis non esse mortuum, non orasse &c. cum *tibi os premat & fauces opprimat* ille S. Augustinus (sub cujus tegmine virus sui perversi dogmatis occultant Discipuli tui, etiam non tui, quià plus tibi quam S. Augustino, quam S. Augustinus sibi, honoris delatum cupiunt) qui Pelagianorum Coryphæum hoc telo petiit: *Proindè separat eos* (baptizatos parvulos, idem est de justis non perseveraturis) *& à justificatione, quæ fit in* CHRIS-

L. 2. op imp. cap. 173.

TI SANGUINE, *cujus fundendi causa, quandò eum bibendum commendavit, nulla nisi in remissionem dicta est peccatorum, ... per hanc enim reconciliati sumus Deo.* An dicturus es, si electi non sint parvuli, non sunt Redempti in Sanguine Christi? Dic ergò: in Sacramento Salvatoris *baptizantur, sed non Salvantur: lavantur, sed non abluuntur.* Sed hæc sunt Paradoxa Pelagianorum. *Natura ista Salvatorem, Liberatorem, Mundatorem, Redemptorem Christum habet necessarium. Sed ubi Redemptio sonat, intelligitur & pretium. Et hoc quid est, nisi pretiosus Sanguis Agni immaculati Jesu Christi?* De hoc autem pretiô quarè sit *fusum, quid interrogemus alium? Redemptor ipse respondeat. Dicat ipse Mercator: hic est*, inquit, *Sanguis meus qui pro multis effundetur in Remissionem peccatorum.* Pergite nunc, pergite, si soli electi Redempti sunt, & dicite: in *Sacramento Salvatoris baptizantur, sed non Salvantur, lavantur, sed non abluuntur, exorcizantur & exsufflantur, sed à potestate Dæmonum non eruuntur.* L. 3. c. 3.

ARGUMENTUM IV.

ET utramque simul phrasim in eâdem oratione conjungens, ità Christum pro prædestinatis ovibus oraße docet, ut pro cæteris non oraverit secundùm doctrinam, quam ei Christus præformavit, quandò dixit: non pro mundo rogo, hoc est pro mundo reprobato atquè damnato, sed pro his, quos dediſti mihi, quos omnes Prædestinatos constanter docet. Citat Tract. 107. in Joan. & 100. & concludit: *Ecce quam disertis verbis iterùm iterùmque tradit, non perire eum, qui sanguine Christi redemptus est, non perire, pro quo Christus mortuus est, &c.*

RESPONSIO.

AGit Augustinus de oratione absoluta & efficaci per quam Christus & salutem & media efficacia rogavit conformia electioni eorum

rum, quos illi pater dedit ut re ipsa consortes regni faceret. Alioquin si ab omni oratione & redemptione segreges velis non prædestinatos, invictissimè concluditur non nisi Prædestinatos in Christi sanguine esse Justificatos, & iterùm cum Augustino illud absurdissimum Consectarium per mortem Christi perimo: *undè rubet Baptismus Christi, nisi in Christi sanguine consecratus? Quicumque Baptizati sumus in Christo Jesu, in morte ipsius Baptizati sumus. Ergò verum est, nos mortuos esse peccato in morte Christi qui fuit sinè peccato.*

Tract. 111. in Ioan.

L. 6. cont. Iul. c. 5.

Illi Baptizantur in morte Christi, pro quibus mortuus est Christus.

L. 2. op post. cap. 135.

Et cum semel sit mortuus, tamen pro unoquoque tunc moritur, quandò in ejus morte quantælibet ætatis fuerit, baptizantur, id est, tunc eis proderit mors ejus qui fuit sinè peccato, quandò in ejus morte baptizatus mortuus fuerit etiam ipse peccato.

L. 6. c. 15.

Deniquè unus pro omnibus mortuus est, nec aliqui poterunt vivere pro quibus non est mortuus, qui pro omnibus unus est mortuus. His repugnans, ista convellere moliens Catholicæ fidei munimenta ipsosque nervos dirumpere nititur Catholicæ Religionis veræque pietatis.

L. 6. c. ult.

Multi ergò pereunt pro quibus mortuus est Christus, docente S. Augustinô: & multos, quos redemit morte suâ Christus, perdit, eôdem attestante Augustinô.

ARGUMENTUM V.

NEc *causam supprimit* (Aug.) *cur pro tali mundo, non rogat Christus, nequè enim*, inquit, *quo sit Prædestinatus ignorat. Hoc est, quià novit eum ad perditionem æternam pro meritis prædestinatum. Vanum est autem & stultum, pro eo irritando vel avertendo rogare Deum quod immutabili De-*

Decreto sancîtum & prædestinatum esse jam nosti: Vanum etiam pro talibus salvandis seriâ voluntate pati ac mori, vanum pro talibus à perditione decreta liberandis offerre Patri vota, preces, mortem, ac Sanguinem suum. Mortis enim & Sanguinis oblatio est quoddam efficacissimum rogandi genus.

RESPONSIO.

DE absolutâ, efficaci & salutem inferente oratione & mortis oblatione S. Augustinus disserit. Christus namquè decretam Patris sententiam evertere nec voluit, nec velle potuit: quià Placita Patris semper implevit. Sed & placitum fuit Æterni Patris, ut, sicut omnium naturam, ità & causam omnium susciperet, esset Redemptor, Salvator, & Medicus infirmorum omnium, non *dæmonum*, *sed hominum:* ut, *quantum in Medico* erat, *sanare vellet ægrotum*, *poculum immortalitatis de nostrâ infirmitate*, & *virtute divinâ* conficeret, quod universis hominibus, non dæmonibus, mederetur, si biberetur: ut in satisfactionem omnium delictorum se lytrum daret, cujus virtute Sacramenta fœcundaret, gratiam curationis promereretur iis, quibus eam Pater dare dignaretur, daret salutem electis: justificatos quoque tamquam Fratres Spiritu suô subarrhatos actualis gratiæ subsidiô non destitueret, & pro illâ Patrem oraret, ut quidquid vellent & possent, non nisi per hunc medicum vellent & possent: sicque omnia in gloriam Patris, & in laudem gloriæ gratiæ suæ proficerent: sicquè esset omnium Redemptor, atquè Salvator. Electorum quidem per omnipotentissimam, signanter Perseverantiæ Salvificam gratiam: justorum aliorum per sufficientem non penitùs enervem & inefficacem: iniquorum convertendorum per medicinalem efficacem: Non con-

ver-

vertendorum per placita Patri remedia instituenda : Parvulorum sinè regenerationis Sacramento emigraturorum , salutiferi Lavacri institutione , salutisque , quantùm fas Medico Patris Unigenito, voto ac desiderio salutis, ut, si Patri, alluberet, illos in Sanguine filij regeneraret. Sic nullos hominum à Redemptionis ac Salvationis voluntate Salvator excluſit. Sic & Judas, & Judæi habuêrunt Salvatorem , quem fecerunt damnatorem suum. Sic non fuit stultum Christo se lytrum dare etiam pro reprobis, sic non stultum labanti & pereunti Judææ Metropoli Jesum illacrymari, *Exituro Judâ ad facinus impium* consummandum Spiritu conturbari, *misericordiâ non miseriâ* , miseratione non passione percelli ; licet quo esset prædestinatus , non esset ignarus. Sic non fuit stultum Christo in horto Oliveti doloris acerbitate usquè ad mortem perfundi, non tam mortis timore , quam periturarum dolore animarum, quas erat impendio Sanguinis sui Redempturus : *Pretium meum cogitaverunt repellere , cucurrii in siti.* Et, *Quæ utilitas in Sanguine meo dum descendo in corruptionem?*

ARGUMENTUM VI.

EX quo principio , in Sancti Præsulis istius doctrinâ fluit, ut non solum à Judice aut Mediatore omnia præsciente , sed etiam nobis ipsis , qui sinceram omnibus proximis nostris debemus salutis procurandæ Charitatem, non magis Deum pro reprobatis , quam pro diabolo deprecandum esse pronuntiet, si nobis istud istius secreti mysterium panderetur , ut quo prædestinatus esset , quisque nosceremus.

RESPONSIO.

ERgò nos magis diligimus homines reprobos quam Christus : Nos enim , si baptizati non sint parvuli , oramus ut per Baptismum regene-

generentur; Christus autem non oravit, eò quod non regenerandos prænosceret. Nos, si infideles sint, oramus ut fideles fiant, etsi numquam tales futuri sint, non itidem Christus. Nos pro fidelibus malis supplicamus, ut ex malis boni fiant, etsi hujusmodi futuri non sint; Non ità Christus *qui aliquid inaniter velle non potuit*, ut ait Jansenius.

Nos pro Justis oramus, ut in Justitiâ perseverandi voluntatem ac potestatem accipiant; & tamen juxtà Jansenium Justis conantibus ea potestas deficit, si Prædestinati non sint; Non ità pro illis orat Christus, quià non vult salvare nisi Prædestinatos; & stultum foret pro eo irritando & avertendo decreto Patris, *rogare Deum, quod immutabili Decreto sancitum est*; Ergò. Non jam Christi adjutores sumus in officio Charitatis, & zelo procurandæ salutis alienæ, sed Christo majores sumus, & in officio Mediatoris ac Salvatoris illô Superiores: quià ubi, Authore Janseniô Christus nîl pro salute impendit, nos longè plura præstamus. Non enim plus quam pro salute Diaboli laboravit; nos nîl pro diabolo, sed pro omnibus, etiam pro illis, qui ad ignem æternum cum Diabolo sunt destinati.

Et tamen de Piissimo Salvatore pronuntiat Augustinus: quis magis *dilexit infirmos, quam qui pro omnibus factus est infirmus, & pro omnibus ipsâ infirmitate crucifixus?* *Tract. 8. in Ioan.*

ARGUMENTUM VII.

Seu Confirmatio Præcedentis.

SEd Augustinum securissimè tanquam de re sibi certissimâ pronuntiantem audiamus: denique si de aliquibus Ecclesia ità certa esset, ut qui sunt illi (Reprobati) *etiam nosset, qui licet adhuc in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in ignem æter-*

æternum ire cum diabolo ; tam pro eis non oraret quam nec pro ipso (Diabolo) S. Aug. lib. 21. de Civ. 24.

RESPONSIO.

AGit Augustinus de efficaci & absolutâ oratione pro salute reproborum viventium, si noscerentur, quos comparat re ipsa damnatis, quos aliqui docebant Sanctorum intercessionibus ab infernali supplicio eruendos. Pro his dicit Sanctos non intervenire ; sed nec Ecclesia intercederet pro illis, similiter efficaciter à damnatione præservandis, si nosset ad damnationem pro suis meritis esse destinatos. Nequè nos dicimus pro reproborum salute Christum ità efficaciter, & absolutè supplicasse. Verùmtamen negandum non est, quin Ecclesia in hypothesi oraret, quantum salvâ obedientiâ posset, ut Justis gratia non deficeret, sinè quâ perseverare non possent, peccata vitarent, &c. atquè impetrare posset, ut justi non electi minùs Deum offenderent, per multos annos re ipsa Deo benè servirent, &c. Procurando Gratiam efficacem ad similes effectus : esto donum finalis perseverantiæ impetrare non posset. Quis dubitet Mediatorem, Salvatorem, ac fontem Gratiæ tantumdem & plura filiis suis temporalibus emeruisse ? Præsertim cum ipse Personam Mediatoris, ac Salvatoris, Deo Patre ordinante, suscepisset, atquè ità, quantùm in se erat, pro salute omnium viritim ageret, & graviorem à redemptis, nisi suâ ingraditudine aliud mererentur, pœnam amoliretur, salvà tamen debitâ æterno Patri subjectione, ad quem acceptatio votorum Filij pertinebat.

AR-

ARGUMENTUM VIII.

ET in libro de Correptione & Gratia, cum rationem dare conaretur quôdam locô, cur apud omnes monendo, operando corripiendo instandum esset, ut omnes salvi fierent, cum nonnulli non sint per Prædestinationem Dei à perditionis massa discreti, quibus inutilis est omnis labor, non semel tangit illam rationem, quià de Prædestinatorum numero incerti sumus. Citat verba S. Augustini, & concludit: Ecce ob hoc omnes salvos fieri velle debemus, quià prædestinatos discernere non valemus, apertissimè significans: nos non debêre omnes salvos fieri velle, si Prædestinatos à non prædestinatis discernere valeremus.

RESPONSIO.

QUantùm ad efficacem, absolutamque salutis æternæ voluntatem sunt paria. Quantùm ad alia, dispar est ratio Mediatoris & Redemptoris constituti à Deo totiûs generis humani, cui incumbebat si non omnes re ipsa salvare, quibus modis posset salutem velle, procurare, & remedia instituere salutifera: quod nec ad Ecclesiam, nequè ad nos pertinet. Quamquam & nos in casu oraremus pro injustis ut converterentur, si fieri posset, & pro Justis, ut in Justitia, quamdiu Deo placeret, perseverarent, semperque sufficientem saltem perseverandi facultatem obtinerent; vi cujus, si non omnes, saltem plurimas tentationes vincerent, Deum rariùs offenderent, minoremque pœnam incurrerent.

RESPONSIO ALTERA.

CUm nobis fide certum sit, non omnes homines Salvandos, & interim omnes salvos fieri velle debeamus, & ut salvi fiant, oremus; vel vota nostra supplicationesque sunt absoluta, sicut

sic ut omnes, nemine exceptô, salvari reipsa velimus & oremus; vel sunt tacitè conditionata, nempè si electi sint, vel, sicut Deus vult, efficaciter salvos fieri. Si omninò absoluta, quomodo Divinæ sunt discretioni & electioni consentanea? Si conditionata, etiam respectu eorum, qui reprobati sunt, utilia non sunt. Et, si utilia non sunt ad salutem obtinendam, cur orare jubemur? Ut ut sit, oramus pro omnium salute, & Deus ipse in nobis hanc voluntatem operatur ità, ut S. Augustinus asserat, illud Apostolicum: *Deus vult omnes salvos*, etiam sic intellectum, quià Deus operatur in nobis velle, quô omnes volumus salvos fieri, licet non omnes salvi fiant, quod nos omnes certò novimus. Quidnî ergò Salvator omnium ac Redemptor salutem omnium velle potuisset, optare, ac desiderare, quantùm in se fuit, licèt prænosceret non omnibus largiendam? Nequè per hoc contraria fuisset voluntati Patris magis quam nostra, quâ optamus salutem omnium, licet Pater omnes salvare non velit, saltem efficaciter. Id si inficiari pergas, dic mihi, quomodò sit *Iesus omnium*, quibus opus seu necessarius est? Quomodò Salvator Judæ? Quomodo reproborum Judæorum? Non ratione pretij, quià & ad Dæmones Jansenius extendit. Non ratione justitiæ temporalis, quià & hæc à salutis æternæ voluntate secernitur. Ergò admittenda est vera ac seria salutis omnium sitis, votum, ac desiderium, virtute quorum studuit obtinêre salutifera remedia, quæcumque potuit.

ARGUMENTUM IX.

DIscrimen ponens (August.) inter Judam & cæteros Apostolos, quod pro his Dominus esset moriturus, non pro illo: *Tota illa ejus passio*, inquit, *nostra purgatio est. Passurus igitur exitia præ-*

præmisit obsequia: Non solùm pro eis, pro quibus erat subiturus mortem, sed etiam illi, qui fuerat illum traditurus ad mortem.

RESPONSIO.

INgens discrimen erat inter Judam & alios Apostolos, cum Christus mortem obiret; Judas namquè damnatus & mortuus erat, & pro illo statu mors Christi prodesse non poterat plusquam dæmonibus. Quià tamen dum viveret, intuitu mortis accepit dona & bona salutaria, quibus salvari potuit: licet, ut cæteri Apostoli, salvatus non sit, equidem salvifica mors Christi ad illum pertinuit. Alioquin quomodò S. Augustinus assereret eum *venditorem fuisse Salvatoris*? Quomodò non agnovisse *pretium, quo redimi debuit, & quo Redemptus fuit*? Quomodò *Christi Pax fuit*, Si ei Christus pacem non optavit, ut David Absaloni? Quomodò *salutem dedit*, si salutem non plus quam dæmonum seriâ affectione desideravit?

ARGUMENTUM X.

Est Palladij seu Aviti Academici. Spongia fol. 32.

SI vir opulentus pro filio suo dilectissimo, cum variis Sodalibus per Turcas capto, perquam immensam pecuniæ summam, quæ liberandis omnibus satis esset, in lytrum daret, ità tamen, ut intentio ejus ferretur in solam Redemptionem filij, quæro, an rectè diceretur vir iste pro redimendis mancipiis illis omnibus tot auri millia profudisse? Et tamen hic etiam est omnium causa, & habet in se Thesaurus ille, ut omnibus prodesse potuisset, si benevolentia opulenti Patris se perindè in alios, atque in carissimum filium explicasset.

RESPONSIO.

SAnctus Prosper *rectè* dicit *Redemptos*, licet à *captivitate non sint eruti*. Quià non tantùm causa communis fuit, sed etiam à Domino suscepta, quod non fit in Exemplo. Nam si Salvatoris intentio ad omnium Redemptionem directa non sit, sed dumtaxat filiorum, quomodò Christus magis ad Parvulos pertinet reprobos, quam ad Dæmones? Quomodò illis magis *opus est, Jesus est*, quam Dæmonibus? Quomodò Judæ Salvator? quomodò reproborum magis appellari meruit Augustino Redemptor quam Dæmonum? Aut cur magis crucifixêrunt *Salvatorem suum*, quam Dæmones, quorum potestate hoc opus tenebrarum in ipsum Vitæ Lumen conceptum, confectumque fuit?

ARGUMENTUM XI.

Est ejusdem, ex imagine Pontificiæ dignitatis pag. 59.

SEd vadem omnibus modis nobilem habet S. Pater adversùs censuras quaslibet, Salvatorem in Evangelio: cum enim Ioannis 10. Christus dicat, animam meam pono pro ovibus meis, & Ioan. 15. exertè declaret, Majorem hâc dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: Non obscurè consequitur primum pronuntiatum: Animam meam pono pro ovibus meis, pro exclusivo (ut loquuntur dialectici) *debêre sumi, perindè ac si dixisset: animam meam pono pro solis ovibus, prædestinatis, & electis meis. Quid enim magis absonum* (ne acriore voce utar) *quam si quis vellet Christum dilectione, quâ nullâ major est, reprobos dilexisse?*

RESPONSIO.

NOn diffitemur Christum Pastorem bonum, pro ovibus illis propter quas venit, ut *vitam habeant, & abundantiùs habeant*: Joan. 10. ℣. 10.

¥. 10. Et de quibus ipse pollicêtur: *Et ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu mea.* ¥. 28. id est, prædestinatis ad vitam æternam singulari dilectione consummatâque voluntate animam posuisse, seu vitam profudisse pro illis cum effectu liberandis finaliter, atquè salvandis; sed consequens non est, quod pro aliis v. g. ovibus temporaliter Pastoris vocem audituris animam non posuerit, gratiamque mortis suæ impendiô non sit promeritus: quià possent Pastorem sequi, mandataque possibilia eis fierent. Majorem hâc dilectionem nemo habuit. Nam pro Justo fortè quis audeat mori? Christus autem pro impiis mortuus est. Justus pro injustis, pro justificandis impiis, vivificandis mortuis, & pro Salvandis, quantùm potuit, mortuus est, nec majus reprobis Charitatis opus præstare potuit. *Quis magis dilexit infirmos, quam ille, qui pro omnibus factus est infirmus, & pro omnibus ipsâ infirmitate Crucifixus?* inquit S. August. Tract. 8. in Joan. Quod si Avito perlubeat, Misericordiam ac dilectionem Salvatoris attenuare, ut pro solis ovibus, seu electis animam posuisse dicatur, nec aliam Christo causam moriendi fuisse, nisi dilectionem maximam & efficacissimam; ergò pro temporali justitiâ, & fide reproborum Christus animam non posuit; ergò Lutheranis, & Calvinianis se cum Jansenio, & Sebasteno, quem tuetur, cassibus irretiat, contrà Brevissimam, quam adoptaverat, quinque propositionum in varios sensus Distinctionem: siquidem in prima columna quintæ propositionis hic sensus exprimitur: Christus mortuus est tantùmmodo pro prædestinatis, ità ut ij soli per meritum mortis Christi veram fidem, ac justitiam accipiant. Et de hâc propositione subditur: *Hæc propositio est hæretica, Calviniana, aut*

Lutherana, & à Concilio Tridentino damnata. Et hanc Jansenio attribui non posse præmissa significat Periodus: *Sensus Hæreticus qui quintæ propositioni malignè affingi posset, quem tamen legitimè sumpta non habet.*

Deducitur tamen hæc ex Doctrina Aviti, & Jansenii, quem in eôdem sensu propugnat, hoc modô: ii soli fidem, & justitiam per meritum mortis Christi accipiunt, pro quibus Christus verè animam posuit; atqui juxtà Avitum pro solis ovibus, id est, Prædestinatis animam posuit, ut claret ex ejus verbis; ergò soli Prædestinati fidem veram, ac justitiam per meritum mortis accipiunt.

Nam si responderit Avitus, Christum pro justitiâ temporali, & fide reproborum animam posuisse, propriô se telô pharetiat: absonum enim videtur, si quis vellet, Christum dilectione, quâ nullâ major est, reprobos dilexisse. Numquid enim major est illa, quâ electos dilexit? nam eis *perseverandi possibilitas, & voluntas, divinæ gratiæ largitate donatur*, ut ait Augustin. de Corrept. & grat cap. 12.

Inunc Avite, & meliora saucia telô viscera exhibe, quam nuper in vindicatâ Paræneſi illa infami non sinè horrore conspicati sumus ubi ais: *Percusso Jansenio ferîri Aurelium, ferîri Paulum, ferîri Christum*; quomodò non commoverentur viscera ejus, ut pro Christo, Paulo, Aurelio ac Jansenio loqueretur? Nam, dum pro Jansenio liberando Christum pro solis prædestinatis mortuum asseruisti in Imagine tua Pontificiæ dignitatis, & Christum, & Paulum, & Aurelium crudelissimè jugulasti. Christum, qui dixit cui rei mors ejus profuerit ipse dicat: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Apostolum, qui dixit: *quare sit pro nobis traditus Christus. Traditus*, inquit, est *propter delicta*

pag. 8.

S. Aug. L. 2. de nupt. & conc. c. 33.

licta nostra... Sicut & Joannes Apostolus dicit: *ut solvat opera diaboli.*

Apostolum jugulasti dicentem: *Quotquot baptizati sumus, in morte Christi baptizati sumus.* Apostolum jugulantem dicentem: *Illi ergò vivunt, pro quibus ut vivant, Christus mortuus est. Illi sunt à mortis vinculo liberi, pro quibus mortuus est inter mortuos liber.*

Aurelium Jugulasti dicentem: *Nec aliqui poterunt vivere, pro quibus non est mortuus Christus. Tunc Christus moritur, quandò quis in morte Christi baptizatur; id est, tunc proderit mors ejus.* Nec modò S. Augustinum, Avite, peremisti, sed juxtà S. Augustinum, Catholicæ fidei munimenta, ipsosque *nervos Christianæ Religionis veræque pietatis dirumpere* molitus es pro solis asserens Christum mortuum esse Prædestinatis. Nam si hi soli Christi morte Redempti sunt, soli etiam justificati sunt, cum Nemo justificetur nisi in Sanguine Jesu Christi.

SECTIO VI.

Jansenius, morte Christi quoad temporalia Gratiæ beneficia Iustis non electis collata extenuans, refutatur.

DE fructu Dominicæ Passionis justis non electis insito quam diminutè sentiat, exertè pandit Jansenius ità differens: cum igitur utilitas illa mortis & passionis VALDÈ EXIGUA sit, *quâ quispiam temporaliter tantùm ab infidelitate per fidem, aut ab iniquitate per justitiam defectu perseverantiæ redimitur: & hujusmodi instabilis & imperfecta sanctificatio potiùs aliis, quos elegit, quam ipsis qui accipiunt, prosit.* Et iterùm de oratione, *Jans. l. 3. de Grat. Chr cap. 21. pag. 387.*

& oblatione pro hujusmodi donis loquens: *cujusmodi oratio & oblatio valdè diminuta est, parumque reprobis, multum verò prædestinatis prodest, &c.*

1. Petri 4. Itàne exigua sunt maxima & *pretiosa illa dona, per quæ divinæ efficimur consortes naturæ*, ut loquitur Apostolorum Princeps, nî donô perseverantiæ coronentur?

Itàne exigua utilitas est, quod qui fuerant tenebræ, *filij lucis* fiant, si aliquandò v.g. sub finem vitæ ob instabilitatem voluntatis, sol illis veritatis occidat?

Exiguanè utilitas dicenda, quod, qui ut muta animalia computruerant in stercore suo, abluti sunt, sanctificati sunt, atquè in novam creaturam, Dei operante virtute, transformati, ut numquam ad easdem sordes remeaverint; modò alio genere peccati antè occasum vitæ se contaminaturi sunt?

Exiguanè, & valdè diminuta est oblatio, & oratio facta pro reprobis, qui, licet victricem omnium amorum ac terrorum hujus mundi gratiam seu dilectionem summi, interni, æterni ac incommutabilis boni non fuerint indepti; eâ tamen potiuntur, quâ saltem possent; imò eâ fruuntur efficienti opitulatione divinâ, quâ multas ordinarias tentationes, & delectationes perrumpunt, ac re ipsâ expugnent? Jansenius namque palam fatetur justos ad plurimas tentationes re ipsâ triumphandas sat virium gratiæ habêre; esto hæ forent invalidæ ad fortiores assultus, v.g. Martyrum perrumpendos. Nonnè talibus justis admodum utile fuit, tot prælia gloriosè confeciſſe, ac tot retuliſſe trophæa ab hostibus: Quibus semper victi cessissent, ac mille gehennas meriti fuissent; si orationis & oblationis Christi præsidiô, ac gratiæ medicinalis robore non fuissent armati? Julianus ipse liberi arbitrii infla-

inflator, ac gratiæ actualis impugnator, sanctificationis gratiam, licet à justitiâ delapsuris parvulis in baptismo infusam, licet peccati remissione vacuam, non attenuavit, sed commodavit, nec sinè Encomio differens pro Innocentibus parvulis suis: *Christus operis sui Redemptor, auget circà imaginem suam continuâ largitate beneficia, & quos fecerat condendo bonos, facit innovando, adoptandoque meliores.* Nec huic laudi quidquam cupit Augustinus detractum respondens: *Cur ergò cætera multis negat Deus parvulis, Qui sine hâc gratiâ in illâ ætate moriuntur? Cur, inquam, non datur eis illuminatio spiritalis, adoptio filiorum? hæcne tot Munera tam necessaria, tot imaginibus suis nullum secundùm vos peccatum habentibus negaret Deus?* L. 1. op. post. cap. 53.

Et alibi hæc sanctificationis Munera idem Sanctissimus Doctor exaggerat: *Quid merebâris peccator? Contemptor Dei quid merebâris? Vide si occurrit tibi nisi pœna, si occurrit tibi nisi supplicium? Vide quid tibi debebatur, & quid dederit, qui gratis dedit? Data est venia peccatorum, datus est Spiritus, & spes justificationis, data est charitas, & dilectio, in quâ omnia bona facias.* Concinit S. Leo ubi ait: *Sane mirabilior est secunda hominum generatio, quam prima conditio.* Aug. in ps. 144. S. Leo serm. 13. de pass.

Et iterùm: Sic Medicina ægris, sic reconciliatio reis, sic redemptio est impensa captivis, ut condemnationis justi sententia justo Liberatioris opere solveretur. Nos tantô redimimur pretiô, nos tali curamur impendiô. Serm. 5.

SECTIO VII.

Ianſenius ità attenuat fructus mortis Chriſti reprobis conceſſos, ut videatur negare Chriſtum mortuum pro reprobis etiam Iuſtis, quod repugnat Chriſto, Apoſtolo, & Aurelio Auguſtino.

PRiùs magnam Chriſti miſericordiam extenuantem, dein Mortis ac Redemptionis abſolutam proprietatem ad ſolos electos coarctantem Janſenium audiamus.

Ianſ. l. 3. de Grat. c. 21. pag. 390. & pag. 391. Si *quid pro* illis (reprobis) *rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum. Cujuſmodi oratio & oblatio, quià valdè diminuta eſt, parùmque reprobis, multùm vero prædeſtinatis prodeſt, ut infrà declarandum eſt, hinc fluxit, ut paſſim in ſcriptis ſuis Auguſtinus, oblationem Sanguinis & mortis & orationum Chriſti, ferè ad ſolos electos reſtringere ſoleat.* Et antè: *Hinc fit ut proprietas quoque Redemptionis & propitiationis iſtis electis & re ipſa Salvandis maximè competat. Et pro illis etiam plerumque abſolutè Chriſtus mortuus fuiſſe & Sanguinem fudiſſe, aliave Redemptionis beneficia feciſſe dicatur.* *pag. 387.*

Per hoc, quod abſolutè mortuum aſſerat pro electis, indicat non abſolutè mortuum pro reprobis, ſed ut alibi loquitur *aliquatenùs.* Nam de S. Auguſtini mente differens ait: *Nec effectus iſtius voluntatis, hoc eſt, mortem, Sanguinem, Redemptionem, propitiationem, orationem Chriſti ad omnes homines dilatari, ſed vel ad ſolos illos qui prædeſtinati ſunt, quatenùs pro æterna & totali eorum* *pag. 392.*

ſalute

salute offeruntur; vel certè aliquatenùs quoque ad illos, qui ratione temporalis fidei aut Charitatis, effectus aliquos Redemptionis & propitiationis assequuntur.

Quod verò tam diminutus & Exiguus sit Jansenio iste temporalis fidei aut Charitatis effectus, ut simpliciter propter eos dici non possit Christus pro illis, qui assecuti sunt illos, mortuus esse vel Redemptionem se dedisse, luculentiùs pandit, cum disertissimis verbis asseverârat, S. Augustinum non modò affirmativis enuntiationibus Redemptionis beneficium electis vindicasse, sed & *negativis, ut negativè eas efferendo dicat, Christum, pro cæteris, qui non fuerint prædestinati non esse mortuum, non oravisse, non semetipsum dedisse Redemptionem.* Citat verba Epistolæ ad Evodium, & concludit ex illis, *quod si nullus ex illis perit, pro quo Christus mortuus est, profectò quisquis perit, sivè aliquandò justus fuerit, sivè non justus, non est pro illo mortuus Christus.* Et rursùs citatô aliô locô: *Quisquis ergò perit, non ille ex S. Augustini mente, Christi Sanguine Redemptus est.* *pag.* 388. & *pag.* 389.

Itàque jam semetipsum exponit Jansenius, vocesque suas ambiguitatis caligine enubilat, quibus dixerat: *Proprietas Redemptionis, & propitiationis solis istis electis, & re ipsa salvandis maximè competit*: ità nempè ut negative efferri possit, & reprobis, de quibus antè, *minimè competat.* Et cum asserit: pro *illis* (id est electis) *absolutè mortuus fuisse dicatur*, indicatum voluit, pro aliis *absolutè* mortuum dici non posse; alioquin Jansenium in rixam vocabimus adversùs seipsum. Nam si absolutè mortuus dici possit pro justis non perseveraturis; Quomodò Conclusio ista subsistit: *Quisquis perit, non ille ex S. Augustini mente Christi Sanguine Redemptus est?* Item: *Quisquis perit sivè aliquandò justus fuerit, sivè non justus, non*

est pro illo mortuus Christus? Si namquè ratione temporalis justitiæ Christus absolutè mortuus dici possit pro justis non electis; ergò vel reprobi, utpotè Redempti, non pereunt; aut si pereunt, Redempti non sunt juxtà ratiocinationem Jansenij. Itàque Jansenius & Christo, & Apostolo, & Aurelio Augustino inimicus constituitur. Christo quidem, qui non pro salute solum, sed & pro omni remissione peccatorum Sanguinem se fusurum prænuntiavit. Redemptor ipse respondeat, dicat ipse Mercator: *Hic est Sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.*

L. 6. cont. Iul. c. 15.

Proindè Jansenius, qui reprobos sanguine Christi redemptos negat, etiam Justificatos pernegat; cui apprimè, quod Juliano intorsit Aurelius, ingerendum: *Proindè separas eos à Justificatione quæ fit in Christi sanguine, cujus fundendi causa, quando eum bibendum commendavit, nulla nisi in remissionem dicta est peccatorum.*

L. 2. op imp. cap. 172.

Apostoli quoque Christi jugulum petitur, cum non nisi salvandus redemptus Christi morte asseritur: *Quicumque baptizati sumus, in morte Christi baptizati sumus.*

Neque mitiori vulnere Aureliana feriuntur latera. Qui & Christum pro omnibus nemine exceptô, mortuum docuit, nec Judam ipsum, perfidosque Judæos dominici Sanguinis pretio fecit exortes.

Illius, inquam, Aurelii pectus transfoditur, qui Apostolici verbi gladio Pelagianorum Virulenta corda trajecit, ipsumque peccatum originale ex Christi morte per baptismum peccata perimente ineluctabili consecutione deduxit. *Nam undè rubet baptismus Christi, nisi in Christi sanguine consecratus?*

Tract. 111. in Ioan.

Illi baptizantur, inquit, *in morte Christi, pro quibus mortuus est Christus. Et cum semel sit mortuus,*

L. 2. op. post. cap. 135.

tuus, tamen pro unoquoque tunc moritur, quandò in ejus morte, quantælibet ætatis fuerit, baptizatur.

His dictis repugnantem dicit convellere Catholicæ Religionis fundamina & nervos pietatis, ut sæpè retulimus.

Concludo ergò Magni Aurelij verbis: *Fruſtrà*, Janseni, *Magnam Chriſti miſericordiam extenuandam putaſti*, dum morientis vulnera Redemptoris ſolis electis, ſeu re ipsâ Salvandis aperta esse voluiſti.

SECTIO VIII.

Vindiciæ Ianſenianæ conteruntur.

ARGUMENTUM I.

JAnſenius non niſi, ut alter Auguſtinus locutus est: nam verba S. Auguſtini, è quibus Argumentum elicit, prorsùs ſynonima ſunt. Epiſtola ad Evodium ſine ullâ ambiguitate pronuntiat: *Non perit unus ex illis, pro quibus Chriſtus mortuus eſt.* Et ſermo. de Natali S. Vincentij: *Potens homo non poteſt perdere, quod emit auro ſuo: & Chriſtus perdit quod emit Sanguine ſuo?*

REFUTATIO.

SIcut, ut fert regula juris, in legem committit qui verba legis complexus contrà legis nititur voluntatem; ità Janſenio repono, quod verba complexus contrà Auguſtini mentem niſus in Auguſtinum committat, & à S. Auguſtino pœnas ſibi dari mereatur. Nam Auguſtinus de efficaci Redemptione, ac efficiente, & ſalutem adferente Salvatoris morte contrà indifferentem atquè æqualē, quam commenti ſunt Pelagiani, Redemptionem militans, Prędeſtinationemque defendens, ità loqui debuit; Janſenius nec debuit, nec potuit. Auguſtinus efficacem Redemptionem à ſufficienti evi-

evidentissimè dispescuit, ut claret ex præmissis de Parvulis non baptizatis, de Juda traditore, reprobis Judæis, &c. Jansenius verò nullam sufficientem admisit umquam, nisi quæ ad dæmones se protendat, Christi Redemptionem; & consequenter verbis Augustini abutitur, ut ostendat non esse Redemptos, qui totalem Redemptionis fructum non assequuntur, id est, salutem æternam. Quod ergò S. Augustinus dixit de certa Redemptionis specie, Jansenius intellexit de genere.

ARGUMENTUM. II.

JAnsenius sat exertè docet, Christum pro temporalibus divinæ gratiæ effectibus mortuum esse, ut non possit dici abnegatæ mortis, pro reprobis saltem justis, oblatæ reus.

Enim verò de his agens, qui à fide & Charitate deficientes in iniquitate moriuntur, ità fatur: pag. 386. *Pro his enim in tantùm mortuus est, & in tantùm propitiatio peccatorum est, & in tantùm oravit Patrem, in quantùm temporalibus quibusdam divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt.* Et post pauca: *effectum verò in istis jam dictis non assequuntur aliũ, nisi temporalis fidei, aut Charitatis, sivè perseverantiæ; eatenùs igitur, & non aliter pro illis Christus mortuus est, & Sanguinem fudit & propitiatio peccatorum est, & rogavit Patrem suum, ut videlicet illos temporales effectus propitiationis, hoc est, mortis, & Sanguinis, & orationis consequantur.*

REFUTATIO.

EQuidem hos omnes effectus adeò exiguos, & diminutos censuit Jansenius, ut propter eos Christus pro illis passus & mortuus simpliciter censendus non sit, qui perseverantiæ finalis munere non decorantur. Censet enim hujusmodi effectus S. Augustino tam flocci habêri, ut non nisi

niſi Prædeſtinati Redemptorum Choro valeant aggregari. Proindè, aliud eſt Janſenio Chriſtum pro temporalibus gratiæ effectibus oraſſe, aliud pro juſtis mortuum ſimpliciter eſſe: eò quod mors hujuſmodi totalem hominis Redemptionem, liberationemque complecti videatur; adeòque Mors Chriſti non niſi ad ſalutem ipſam re ipsâ adferendam referenda videatur. Et quid laboramus conciliandis Janſenij effatis, cum mortem Chriſti ſolis tribuit impenſam non perituris? Quid enim eum compulit, ut tantâ duritie ſermonis uteretur, ut diceret Redemptum perire neminem, niſi quod proprietatem Redemptionis ſolis electis vindicatam cuperet? Imò quidquid gratiæ non electis impartîtum conceſſit, non propter illos, ſed propter electos datum eſſe judicavit, adeòque non niſi ſecundariò Chriſtus pro reprobis mortuus eſt: contrà quod dicit Auguſtinus, fudiſſe Sanguinem non ſolùm ad ſalutem, ſed in remiſſionem peccatorum.

ARGUMENTUM III.

JAnſenius docet Chriſtum mortuum, vel, *ut homo credat, vel ut juſtificetur, vel ut perſevêret, atquè ſalvetur.* pag. 387. Et, *Si quid pro illis* (reprobis) *rogavit Patrem, pro temporalibus quibuſdam Juſtitiæ effectibus rogavit, & pro iiſdem obtinendis obtulit pretium, fuditque ſanguinem ſuum.* pag. 390. Et, *Ratione temporalis Fidei aut Charitatis, effectus aliquos redemptionis & propitiationis aſſequuntur.* pag. 392.

REFUTATIO. I.

JAnſenius etiam docet: *ſivè aliquandò Juſtus fuerit, ſivè non Juſtus, non eſt pro illo mortuus Chriſtus.* pag. 389. Ergò juxtà Janſenium mors Chriſti ad illos, qui pereunt, non extenditur ratione effectuum, temporalis Fidei, Charitatis, &c.: Nequè dici poteſt abſolutè pro talibus mortuus. Alioquin dice-

diceretur absolutè pro Justis reprobis mortuus Christus, & non absolutè mortuus. Mortuus, ut prætendit Argumentum ex effectibus illis temporalis Fidei & Justitiæ ; & non esset mortuus, quià, qui hos assequuntur, tandem peccando pereunt : *Quisquis autem perit, non ille ex Augustini mente* (inquit Jans.) *Christi sanguine redemptus est.*

REFUTATIO II.

JAnsenius effectus illos magis ad electos, quam ad reprobos refert, ità ut non pro reprobis, sed pro electis, quibus effectus magis prosunt, Christum mortuum dicat. Principium enim Jansenii est: *Proderit necessariò mors pro quo sanguinem fuderit & mortuus fuerit*,, atqui *instabilis & imperfecta sanctificatio potiùs aliis quos elegit Deus antè constitutionem mundi, quam illis ipsis qui accipiunt eam temporaliter prosit. Hinc fit ut proprietas quoque redemptionis & propitiationis istis electis & re ipsa Salvandis maximè competat, & pro illis etiam plerùmque Christus absolutè mortuus fuisse, & Sanguinem fudisse, aliave Redemptionis beneficia fecisse dicatur.*

pag. 387.

Similiter *Cujusmodi oratio & oblatio, quià valdè diminuta est, parùmque reprobis, multm verò Prædestinatis prodest, ut infrà declarandum est, hinc fluxit, ut passim in scriptis suis Augustinus oblationem Sanguinis & mortis & orationem Christi ferè ad solos electos restringere soleat.*

pag. 390. & 391.

Cum igitur ab effectu & fructu Jansenius Redemptionis proprietatem metiendam ducat, reprobis verò *parùm* oblatio pro temporalibus justitiæ effectibus facta, *multùm verò Prædestinatis prodest ; & instabilis & imperfecta Sanctificatio potiùs aliis quos elegit . . . quam illis ipsis qui illam accipiunt temporaliter, prosit:*

Consecutio rectè fluit : ergò Jansenius, pensatis omnibus illis temporalibus justitiæ effectibus,

bus, reprobis collatis, censet Christum in illis ipsis non tam pro reprobis, quam pro electis Sanguinem suum fudisse, utpotè quibus multum effectus illi profuturi erant, & parum reprobis; adeòque Sanctificatio reproborum non nisi secundariò à Christo spectata sit, principaliter verò electorum profectus: & ideò Redemptionis, & propitiationis proprietas electis maximè competat, non modò ratione beneficiorum quibus ipsi decorantur, sed etiam ratione effectuum quos reprobi temporaliter consequuntur. Quod quid est aliud dicere, quam pro electis solis Christum esse mortuum, utpotè propter quorum profectum temporalem reproborum justitiam Christus ipse rogaverit. Quod repugnat S. Augustino, qui ipsam remissionem peccatorum, non profectum electorum constituit fundendi Sanguinis causam, Juliano in hunc modum respondens: *Proindè separas eos* (Parvulos quos culpæ exortes volebat Julianus) *à justificatione, quæ fit in Christi Sanguine, cujus fundendi causa, quandò eum bibendum commendavit, nulla nisi in remissionem dicta est peccatorum.* Eandem causam urget lib. 3. cap. 3. Proindè non principaliter propter electorum profectum, sed propter *Remissionem peccatorum*: quam etiam non perseveraturis dandam decrevit, Christus Sanguinem suum fudit. *L. 2. op. post. cap. 172.*

Undè sanctificationem temporalem reproborum Jansenius perperam appellat, *valdè exiguam, & valdè diminutam*, utpotè quam conditor Universitatis pretiô sui Sanguinis æstimavit.

ARGUMENTUM IV.

Est Refutatoris Epistolæ Leodiensis pag. 142.

Jansenius loquitur comparatè ad eos, qui electi sunt, & æternùm salvantur. Item: *utilitatem quam ex morte Christi percipiunt, qui temporaliter tantùm*

tùm justi sunt comparat cum utilitate quam indè percipiunt electi in æternum Salvandi; & illam cum hâc comparatam dicit, esse valde exiguam.

REFUTATIO I.

JAnsenius asserit temporalem justitiam esse tam exiguam in se, & *diminutam*, ut indignam censeat beneficio redemptionis: quià *quisquis perit, sivè aliquandò justus fuerit, sivè non justus, non est pro illo mortuus Christus.*

REFUTATIO ALTERA.

JAnsenius absolutè censet exiguam, tamque diminutam respectu reproborum, ut ad profectum electorum confugiendum sibi autumet, proprietatemque redemptionis ad eos reducat, quibus illa temporalis justitia reproborum multùm prodest.

ARGUMENTUM V.

Ejusdem pag. 139. & 140.

DIsertè dicit Jansenius, non quod proprietas redemptionis & propitiationis istis electis, & re ipsa salvandis, hoc est, Prædestinatis SOLIS *competat; sed quod illis* MAXIME *competat: maximè scilicet inter eos quibus competit. Superlativus enim maximè comparatè dicitur ad alios, quibus proprietatem istam etiam competere paulò antè ostenderat.*

REFUTATIO.

SI proprietatem etiam temporalibus justis competere Jansenius censeat; ut quid justum, *qui perit*, redemptum absolutè negat? Si antè comparatè locutus fuerat, debebat illi comparationi insistere, nec ità negativè efferre: *Quisquis ergò perit, non ille ex Augustini mente, Christi sanguine redemptus est.* Itàque quod timidius dixerat voce ulus *maximè*, postmodum quasi Augustino fultus audaciùs intulit, inficiando redemptum

demptum omnem finaliter pereuntem. Necsibi ipsi constat Jansenius; nam paginâ 391. asserit, Augustinum *Oblationem sanguinis & mortis & orationum Christi* FERE *ad solos electos restringere.* pag. verò 188. sine additô *ferè* de eôdem Augustinô affirmat: *Et ne quis fortè suspicaretur, ità Phrases hujusmodi affirmativas de prædestinatis intelligendas esse, ut tamen alij justi, qui de beato illo numero non sunt,* NON EXCLUDANTUR, *non uno in loco invertit istiusmodi locutiones, ità ut eas negativè efferendo dicat Christum pro cæteris qui non fuerint Prædestinati, non esse mortuum, non oraſse, non semetipsum dedisse redemptionem.* Putat ergò Jansenius, Augustinum docuisse, quod nullus non Prædestinatus sit redemptus; ergò & ipse idem arbitratur; ergò jam non tantùm electis *maximè* competit proprietas redemptionis & propitiationis, sed solis electis competit. Undè & idem Jansenius ex Augustinô concludit: *Quod si nullus ex illis perit, pro quô Christus mortuus est, profectò quisque perit, sivè aliquandò justus fuerit, sivè non justus, non est pro illo mortuus Christus.*

Jam liquidò fluit, quam *exiguam*, quam *diminutam* in se ipsa temporalem justitiam habuerit, sic ut eam ad Redemptionis gratiam reducere noluerit, nisi quatenùs electis seu prædestinatis prodest, quidquid temporalis fidei, Charitatis aut justitiæ reprobis fuerit impertîtum.

ARGUMENTUM VI.

JAnsenius inficiatus Christi mortem oblatam pro reprobis, consecutionem suam elicuit ex Augustinô ità loquente: *Non perit unus ex illis pro quibus mortuus est Christus*; Ergò si Jansenius in crimen vocetur, etiam Magnus Augustinus.

REFUTATIO.

QUemadmodum divina Scriptura alicubi nebulosior, alibi lucidior sui interpres & vindex est contrà prophanas & cogitationum & vocum novitates; ita & Aurelius Augustinus, si quid angustius alicubi enuntiat, augustius alibi ampliùsque intelligendum venditat, signanterque in Copiosâ hac Domini nostri Jesu Christi Redemptione, nempè absolutam, efficacem, plenamque redemptionem ceu eminentiorem semper exaltando, aliam verò inferioris Ordinis, sufficientem, quantùm in Redemptore fuit, nusquam negando, aut extenuando. Hinc intervallô dissidet Iprensis ille dictus *Europæus Augustinus* ab Africano & Vero; primò, quod Africanus effectum Redemptionis qualemlibet Justorum non electorum nullâ ratione attenuet etiam in non electis; sed redemptionis vim, efficaciamque in omni Justificatione Peccatoris usquè adeò attollat, ut *solam fundendi sanguinis Christi causam esse remissionem peccatorum* palam enuntiet. Imò ex morte Christi Salvatoris quasi in quolibet baptizato morientis, Peccati originalis venenum educit. Nequè usquam dicit, Justificationem qualemlibet, sivè *comparatè* sivè non *comparatè*, exiguam vel *diminutam* usquè adeò censêri, ut redemptio propter electos, quibus Justitia temporalium Justorum prodest, quasi solos pensanda fuisset.

Secundò, cum Augustinus redemptionis beneficia concedat etiam illis, quibus non applicatur mors Christi v.g. Parvulis sinè baptismo morientibus, multò minùs potuit hoc attenuare in baptizatis, aliisque temporaliter justificatis; Jansenius autem, & in justificatis suprà modum redemptionem coangustat, & in exortibus Christianæ

stianæ gratiæ v. g. Baptismi Redemptionis proprietatem penitùs negat; nequè plus Redemptionis indulget Parvulis non baptizandis, & sinè baptismo morituris, quam ipsis Dæmonibus.

Igitur ex verbis Augustini, undè Jansenij tela procusa sunt, non fluit sequela pro tutando Jansenio: utpotè qui Redemptionem primitùs restrinxit ad illos, quibus mors Christi re ipsa profuit; ac deindè redemptionis proprietatem, attenuando temporalis, justitiæ effectum, ad solos electos reduxit, satis quidem timidè unâ vice dicendo *maximè*, altera verò; ad solos *ferè electos*..

Observandum, quod Augustinus per Christi mortem perempturus Pelagianos, nusquam per eam redemptionem, quæ salutem adferat sempiternam, sed quæ remissionem adferat peccatorum, in illos arietaverit; nequè ad electorum ex justitia temporali reproborum proficientium salutem recurrerit, sed mortem peccati ex morte Christi in baptismo operante & delente peccatum originale, intulerit, hoc telum intorquens: *Unus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt. Nec aliqui possunt vivere, pro quibus non est mortuus qui pro mortuis, unus est morluus.* L. 3. cont. Iul c. ult.

Consequenter Hipponensis cum Iprensi pariari non debet, licet asserat, non periturum Christi morte Redemptum: item, orasse Patrem pro præscitis, & Prædestinatis, &c. Quià tum de singulari, efficaciorique oratione ac Redemptione, quæ Redemptorum traditionem in salutem æternam invehat, differebat, prout ferebat occasio inimicorum, cum quibus conflictabatur. Contrà Donatistas Ecclesiam ad Africam solam restringentes, Christi pretium Ecclesiam suam mentis per orbem terrarum effusum demonstravit. Contrà Pelagianos peccatum originale

ginale exsufflantes bifariô telô depugnavit ; unô ex morte Christi pro omnibus ab Apostolo assertâ ; alterô ex morte Christi per baptismum operante remissionem peccati ; contrà Semi-Pelagianos peccatum originale admittentes, sed indifferentem Christi pro omnibus mortem asseverantes, discriminis causa esse potuit inter mortem & mortem : nempè sufficientem non modò quoad pretium, sed & quoad media quædam generalia, à naturalibus Semi-Pelagianorum remediis discreta ; item quoad efficacem aliam ad fidem, aliam ad justitiam, aliam quæ Prædestinatis propria est, ad vitam æternam re ipsa obtinendam; item & aliam ad justorum non electorum gratias efficaces ex unâ parte, & inefficaces ex alterâ. Sic potuit Augustinus de Perfectissimâ, & absolutâ Redemptione differendo, dicere Christum neminem perdere, quem emit Sanguine suô. Sed non sic Jansenius, discrimen non posuit inter Redemptionis modum ; sed vel negavit in illis, quibus mors re ipsa non profuit, vel attenuavit in illis, quibus profuit adeò, quasi non profuisset nisi respectu electorum; totamque Redemptionem, etiam ex eâ parte quâ reprobos concernere videbatur, ad electos ex justitia temporali reproborum profectum ducentes revocavit.



SEC-

SECTIO ULTIMA.

Censura Apostolica in Ianſenianam quintam consonantibus Eccleſiæ confeſſionibus, fideique profeſſionibus consecratur.

QUi fortiſſimam cæleſtis præſidij armaturam, qui munitiſſimam Propugnatoris Chriſtianæ gratiæ aciem vel lippis aſpexit obtutibus, in animum quoque admiſit, quam frequenter, quamque vehementer Auguſtinus relictis diſputationum propugnaculis per Eccleſiæ orationes inflatores, ac decomptores, deceptoreſque liberi arbitrij ſed miſeri, expugnaverit, hoc telum intorquens jugiter: *Quid ſtultiùs quàm orare, ut facias, quod in poteſtate habeas? Non oramus nos Deum, ſed orare nos fingimus, ſi nos ipſos, non illum credimus facere, quod oramus.* Nemo tam imperîtus, qui non videat Deum facere, quod rogari ſe præcipit, ut faciat: ac tandem contrà inimicos doni perſeverantiæ, quos dominicæ orationis vallô concluſerat, *ſi*, inquit, *alia documenta non eſſent, hæc dominica oratio nobis ad cauſam gratiæ, quam defendimus, ſola ſufficeret.*

Non longè diſpari ariete inimici Redemptionis impetendi mihi finaliter cenſentur, & copioſa ad omnes homines viatores profuſa Redemptio parili defenſanda ſubſidiô eſt, & Petri Cathedra Eccleſiæ Præpoſita totius Eccleſiaſtici ſtatûs conſonâ confeſſione munienda, in causâ tam magnâ, id eſt, pretiô magnô, quô conſtitit ſalus omnium univerſa.

Sed quæ eſt, inquies, de morte Chriſti pro ſalute omnium omninô hominum (viatorum) Eccleſiaſtica iſta confeſſio?

Respondet tibi, quo personant templa, Constantinopolitana in Symbolo: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cælis. . . Crucifixus etiam pro nobis.*

Respondet ipsa Synodus ad Damasum Papam: *Nos doctrinam Dominicæ Incarnationis integram, & perfectam tenemus .... agnoscimus verbum Dei antè omnia sæcula perfectum esse & perfectum hominem in novissimis diebus* PRO NOSTRA SALUTE FACTUM ESSE.

Conformiter ad hanc, & alias Confessiones respondet S. Fulgentius cum aliis in Africâ Episcopis *lib. de Incarn. & grat. Domini Nostri Jesu Christi cap. 2. si quis in Domino nostro Jesu Christo aut duas naturas, aut unam noluerit, sivè dubitaverit, credere ac prædicare, Personam Atquè Dominum, id est, verbum Incarnatum de Mariâ Virgine pro nostrâ salute veraciter natum; tantùm à Catholicâ fide deprehenditur ac demonstratur extraneus, quantùm Sacramento Redemptionis humanæ resistit ingratus.*

Respondet Ecclesia per Ecclesiastici pensi debitores, & redditores fideles in symbolo Athanasij dicto, at equidem suo: *Qui passus est pro salute nostrâ.* Ac sub finem concludit: *Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Respondet in vivo Sacrificij cruenti memoriali Sacrificio incruento per Mystam suum calicem benèdicentem: UT PRO NOSTRA ET PRO TOTIUS MUNDI SALUTE. . . . *Ascendat.*

Respondet Ecclesia in Canone Missæ Cœnæ Domini per eundem: *Qui pridiè, quam* PRO NOSTRA OMNIUMQUE SALUTE PATERETUR.

Quas hîc Redemptionis, mortisque salutaris extenuatores umbras parabunt, ut solos electos his confessionum Encomiis complectantur? Ve-

Verendum, ne Augustinus ipse Ecclesiæ Protector regerat, quod in limine positum est: *Frustrà magnam Christi misericordiam extenuandam putasti.*

Ità multigenis licet convictam divinorum eloquiorum testimoniis Eutichetis insaniam Magnus Leo ad Symbolum collidendam ratus, de Eutichete pronuntiavit Epistola ad Flavianum: *Quam Eruditionem de Sacris novi ac veteris Testamenti paginis acquisivit, qui nec ipsius quidem Symboli initia comprehendit? Et quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, istius adhuc senis corde non capitur?* S. Leo Epist. 10. ad Fla.

Hoc ipsum Jansenianô errore traductis atquè inveteratis ingerendum: quod de morte Christi pro nostrâ omniumque salute, omnium saltem Sacerdotum voce depromitur, istorum seniorum corde non capitur. Causam excipe ab eodem Sanctissimo Ecclesiæ Vertice: *Quià cum ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obstaculo, non ad Propheticas voces, non ad Apostolicas litteras nec ad Evangelicas, sed ad semetipsos recurrunt: sed ideò Magistri erroris existunt, quià veritatis Discipuli non fuerunt.*

Quicumquè ergò Ecclesiæ Minister, sivè in Missa sivè in Ecclesiastico penso confitens, pro *nostrâ omnium salute* Christum natum, & passum, credere tenetur, quod confitetur, alioquin *Sacramento Redemptionis resistit ingratus*, ut loquitur S. Fulgentius: Consequenter pro *suâ & omnium salute* Christum mortuum; atquè tamen omnes non sunt Prædestinati; & ipse, qui credit, etiam nescit se esse de illo beato electorum numero; ergò. At turpi effugiô obstrepentem inaudio Vincentium Paleophilum: *Missum facio inutilem huic controversiæ locum Symboli, quod Ecclesia in Personâ fidelium qui Christianâ spe sese inter* Gratia Trin. pag. 12.

electos, hoc est, Salvandos adnumerare tenentur, edit.

Quasi omnes fideles eas notas habeant salutis atquè electionis, & non sæpè contrarias, ut plùs longè timori quam spei tribuendum censeatur? Quasi & ipsi aliquandò Ministri non sint hujusmodi signis destituti, de quibus S. Bernardus, *si continet se à peccato, si facit fructus dignos pœnitentiæ, si facit opera vitæ*? Quomodò ergò tales fide divinâ credent pro suâ salute Christum passum, si non nisi pro solorum electorum salute sit passus? Nonnè tam dubius erit in fide, quàm de salute? Quemadmodum, qui ob graves caulas de consecratione hostiæ ambigeret, etiam meritò de præsentiâ Christi addubitaret.

Alterum effugium captat ex notione vocis *omnium*,, *quamdiu adhuc opus erit molestis istis & importunis hominibus ad ravim inclamitare, neque voces omnes, nec verba totius mundi in Scripturis & Sacris Doctoribus, à quibus Ecclesia orationum suarum formulas mutuatur pro omnibus omninò in individuo debêre intelligi*,,? Quod probat ex verbis Christi, & explanatoris S. Augustini, qui ly *mundus*, & *omnium*, solis electis tribuunt. At

Respondeo simile effugium olim arripuisse Julianum, dum per vocem *omnes* ad peccati originalis confessionem premeretur. Si Ecclesia formulas orationum mutuata est à Scripturis, & à SS. Doctoribus, en Scripturam apertissimam ab Augustino Pelagianis toties inculcatam & infartam: *Christus pro omnibus mortuus est, ergò omnes mortui sunt*; è quâ fluxit additio Augustini: *Nemine exceptô*.

Nonnè, teste ipsô Jansenio, Augustinus vocem *omnes* aliquandò accipit pro omni hominum genere ad Ecclesiam vocatô? Atqui tamen non omnes qui ad Ecclesiam veniunt, electi sunt,

statua-

ſtatuamus ergò & Eccleſiam ſic orantem & confitentem *qui pro noſtrâ omniumque fidelium ſalute &c.*; Nonnè liquidiſſimè fluet conſecutio ea ſaltem, quæ Janſenianam perimit, ergò Chriſtus paſſus eſt pro ſalute aliquorum fidelium non prædeſtinatorum? Et cum quiſquis ità confitens, firmiter credere debeat Chriſtum pro ſuâ quoque ſalute mortuum, quomodò id præſtabit, ſi fuerit non bonæ vitæ Chriſtianus? Nonnè ſpe nutante ipſa quoque fides titutabit? Qui autem non *firmiter fideliterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit*; ut habet Symbolum officij Eccleſiaſtici.

Sed cum per Auguſtinum Eccleſiæ Doctorem Janſenianam hæreſim debellare cæperim, per eumdem ultimam Pentadis revictam rursùs excipe. Quæro enim ex te, Vincenti, num Auguſtino cedas dicenti: *Quibus autem opus, his procul dubio eſt Jeſus. Diſcite Maligni, opus eſt parvulis.* Credo, & cedo inquies. Sed Jeſus eſt illis quos liberat à peccatis, undè *Jeſus* appellatus eſt. Sed eſtnè his ſolis *Jeſus*? Hoc eſt, Salvator, quos re ipsâ ſalvat & liberat? Ergò his ſolis opus eſt; ergò baptiſmus Chriſti Jeſu ad eos, qui non liberantur, non pertinet; ergò neceſſarius non eſt parvulis reprobis, qui non baptizantur; ergò ſententia Saluatoris, *niſi quis renatus fuerit ex aquâ &c. ad illos parvulos non pertinet.* Ergò tantùm dici oportuit pro parvulis ſalvandis: *qui renatus fuerit, introibit in regnum Dei.* Nonnè hæc *Chriſto*, nonnè *Apoſtolo*, *Auguſtino* rebellant? Nonnè Pelagianum ſapiunt ingratiſſimum Chriſto errorem? Auguſtinus enim non tantùm Juliano exprobrat quod Parvulis non baptizatis invideret Jeſum, eò quod non liberaret, nec mundaret eos, quos ipſe innocentes, impollutoſque

L. 2. op. imp. cap. 170.

delirabat; sed etiam non baptizandis quasi nec ad eos Salvandos veniſſet. Omni explanatione lucidiora, omni effugio occluſa ſunt, quæ Juliano intorquet: *O! Dementiam ſingularem! hoc diſputare eſt, an inſanire? Cum miſeria ſe natos eſſe, parvuli flendo teſtantur, quos non vis* CHRISTUM HABERE JESUM. (Et ne putes de baptizatis agi) ſubdit: *& felices eos dicis, quos tamen* EJUS NON ADMITTIS IN REGNUM. En parvulos reprobos: quibus Julianus Chriſtum negabat Jeſum; quod ei exprobrat Auguſtinus, per hoc inſinuans, omnibus parvulis nemine exceptô opus eſſe Jeſum, ac per hoc eſſe Jeſum, quod Salvandi causâ venerit, licet non omnes ſalvet.

cap. 116.

Fruſtrà ergò tu magnam (cum Janſenio tuo) *Chriſti miſericordiam extenuendam putaſti.* Aug. ibid.

Nonnè vobis ora obſtruunt, & linguas premunt, qui loqui nondum valent? lib. 4. cont. Jul. cap. 8.



AP-

APPENDIX.

De voluntate Dei ergà Parvulos non regenerandos ex mente S. S. Augustini & Fulgentii.

CUm ex S. Augustino didicerimus, Christum Dominum omnibus parvulis necessarium esse ad salutem, & quibus est opus, his procul dubio esse *Jesum*, id est, Salvatorem; dispiciendum quousquè se salvandi parvulos voluntas humana Christi pertendat ex voluntate divinâ, cui perfectè concinuit. Id nos quoquè perdocet idem glorioſissimus Doctor ac Pelagianorum Debellator inclytus.

Atquè imprimis Juliano illud Apostolicum Testimonium, *Deus vult omnes homines Salvos fieri*, objectanti & exindè elicienti, quod ideò non omnes salvi fiant nec in agnitionem veritatis veniant, quià ipsi nolunt petere, cum Deus velit dare: nolunt quærere, cum Deus velit ostendere; nolunt pulsare, cum Deus velit aperire, quid respondeat, audiamus: *Sed hunc sensum vestrum infantes illi ipsâ suâ taciturnitate convincunt, qui nec petunt, nec quærunt, nec pulsant, imò etiam cum baptizantur, reclamant, respuunt, reluctantur, accipiunt tamen... longè pluribus infantibus in istam gratiam non adoptatis ab eo, qui vult omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Quibus dicere non potest volui & noluistis... numquid aut homines non sunt... aut aliquis poterit dicere, Deus quidem vult sed ipsi nolunt, qui nondum velle seu nolle ista novêrunt?* L. 4. cont. Iul. c, 8.

Deindè ad Apostolum respondet: sic ergò debet intelligi quod dictum est: *Omnes homines vult salvos*

salvos fieri & in agnitionem veritatis venire, quemadmodum intelligitur quod dictum est: *per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ . . . . omnes ergò qui salvi fiunt & in agnitionem veritatis veniunt, eo volente salvi fiunt.* Quod in enchiridio exponit tamquam diceretur: *Nullum hominem fieri Salvum, nisi quem salvum fieri ipse voluerit: non quod nullus sit hominum, nisi quem salvum fieri velit, sed quod nullus fiat nisi quem velit, & ideò sit rogandus, ut velit, quià necesse est fieri, si voluerit. De orando quippè Deo agebat Apostolus, ut hoc diceret.* Posteà dat aliam expositionem: *sed ut omnes homines omne genus humanum intelligamus per quascumque differentias distributum, Reges, Privatos, nobiles &c. Quid est enim eorum, undè non Deus per Unigenitum suum Dominum nostrum per omnes gentes salvos fieri homines velit, & ideò faciat, quià omnipotens velle inaniter non potest, quodcumque voluerit?*

Enchiridij cap. 103.

In Epistola rursùs ad Vitalem eodem Apostolicô Testimoniô sese munientem Parvulos non baptizatos objicit, quibus non obstante Parentum ac Ministrorum diligentiâ, baptismus non datur: cum multis detur parvulis & sinè illâ (gratia) plerique moriantur: & aliquandò cupientibus, festinantibus parentibus, Ministris quoque volentibus ac paratis, *Deo nolente non detur*, cum repentè, antequam detur, exspîrat, pro quo, ut acciperet, currebatur? Undè Manifestum est, eos, qui huic resistunt tam perspicuæ veritati, non intelligere omninò, quâ locutione sit dictum, quod *omnes homines vult Deus salvos fieri*, cùm tam multi salvi non fiant, non quià ipsi, sed quià *Deus non vult*, quod sinè ullâ caligine manifestatur in *parvulis.*

Epist. 107.

Nec merita aut demerita parentum quidquam præstare aut officere tradit lucidissimè respondens

deiis Juliano : *Et quod multo mirabilius est, aliquandò adoptat in filium, quem formar in utero immundissimæ feminæ ; & aliquandò non vult esse suum, quem formar in utero suæ filiæ. Ille quippè ad baptismum nescio quâ provisione pervenit ; ipse repentinâ morte non pervenit, atquè ità Deus, in cujus potestate sunt omnia, facit esse in Christi consortio, quem formavit in diaboli domicilio, & non vult esse, quem formavit in templo suo. Non enim quod soletis de majoribus dicere, Deus vult, & parvulus non vult. Certè sivè ubi fati nulla est immobilitas, nulla fortunæ temeritas, nulla personæ dignitas, quid restat, nisi misericordiæ & veritatis profunditas ?* L. 6. cont. Iul. c. 14.

Et alibi : *Nonnumquam de religiosis orta proles in tenerâ ætate atquè ab utero recentissima prævenitur morte, antequam lavacro regenerationis abluatur ; & infans natus ex inimicis Christi, misericordiâ Christianorum baptizatur in Christo : Plangit baptizata Mater non baptizatum proprium ; & ab impûdicâ expositum, baptizandum casta fœtum colligit alienum. Hîc certè merita parentum vacant.* L. 2 ad Bon. cap. 6.

Confirmat. libro de bono persev. c. 12. *Nequè enim fato cogitur Deus illis infantibus subvenire, illis autem non subvenire, cum sit utrisque causa communis : aut res humanas in parvulis non divinâ Providentiâ, sed fortuitis agi casibus opinabimur, cum rationales vel damnandæ, vel liberandæ sint animæ ; quandòquidem nec passer cadit in terram sinè voluntate Patris nostri qui in cælis est : aut Parentum negligentiæ sic tribuendum est, quòd parvuli sinè baptismô moriuntur, ut nihil ibi agant superna Judicia ....? Plerùmque enim festinantibus parentibus & paratis ministris, ut baptismus parvulo detur, Deo tamen nolente non datur, qui eum paululum in hâc vita non tenuit, ut daretur.*

Magistro succinentem Ruspensem Præsulem subjungendum reor. Et hic quidem libro primo de

de *Veritate Prædestinationis* cap. 10. de curâ Parentum ergà parvulos baptizandos affirmat: *hæc bona voluntas divinitùs dari credenda est Parentibus piis, quâ fructum suæ carnis, quem carnaliter editum noverant originalis peccati contagione pollutum, non negligant Spiritali regeneratione mundandum: neque tantùm cupiant habêre temporaliter hæredem, quantùm desiderent & vigilanter satagant Christi secum fieri cohæredem.*

Verumtamen capite sequenti eâ piâ voluntate non obstante subjungit: *quisquis Gratiæ divinæ mirabilem vult atque incomprehensibilem considerare virtutem, illud potiùs humili, Pioque corde consideret, quomodò plerùmque parentes pii fideles & impigri, atquè solliciti cum parvulis suis ad Baptismum velociter currant: & inter manus festinantium parvuli sinè baptismo moriantur. Consideremus ergò duos parvulos sinè baptismate mortuos, unum, quem noxia parentum neglexit incuria, alterum, cui parentum quidem pia sollicitudo non defuit, sed mortis velocitate prærepto prodesse nequivit, qui scilicet inter manus portantium, quibus ad baptismum gestabatur, priùsquam perveniret ad futuræ vitæ beneficium, præsentem incurrit occasum.* Et post pauca: *Nonnè hîc & pia parentum voluntas atquè cursus ex Domino fuit? Sed ideò non profuit, quià ut parvulus baptizaretur, ex Deo non fuit, qui profundo Justoque Judicio, illis quidem pro filio religiosum infudit affectum, sed parvulo vitale noluit largiri remedium* (en vitale remedium à Christo institutum.) *Nam & sancto David ipse donum Charitatis infudit, ut Absalon filio parcendum præciperet, ne in suâ impietate moreretur: sed ex Deo non fuit, ut Absalon impius futuræ pœnitentiæ servaretur. . . . Nonnumquam & parvulus fidelibus nascitur, & illis, sicut jam diximus pro redemptione* (seu baptismo) *filii piâ fide*

fide, Charitateque sollicitis ante moritur, quam sacro Baptismate diluatur. Alter verò de infidelibus natus, cujus salutem Parentes non saltem tepidè volunt, idem tamen parvulus supernæ dispensationis Ordine parentibus aut violenter aufertur, aut furto subripitur, & ad sanctum baptisma quorumlibet fidelium piâ Charitate perducitur, & mox ut baptizatus fuerit, de hac vita discedit.. Si Parvulorum istorum originalis attendatur causa, ambo æqualiter sunt iræ filii, quià uno simul Originalis peccati nexu tenentur.. obstricti..... Si verò parentum consideretur voluntas, illi, qui Christiani sunt, ut eorum filius baptizaretur, sollicitè voluerunt, instantissimè curaverunt, quorum tamen filius antequam baptizaretur, morte præventus æternis est ignibus deputatus: ille verò qui de infidelibus natus est, contrà voluntatem Parentum perductus ad Gratiam baptismi factus est hæres Dei & Cohæres Christi. Quid in his prævidit Dominus futurum, ut uni nihil conferre posset Charitas parentalis, & alteri multum crudelitas prodesset hostilis? Quis istam profunditatem Judiciorum Dei penetrare valeat? Quis non tamen hic & misericordiam gratuitæ bonitatis, & Justitiam divinæ severitatis agnoscat? & Cap. 14. *Proindè in omnibus operibus suis æternâ laude dignus est Deus, quià cunctis, quos secundùm propositum vocat atque Justificat, gratis remittit iniquitatem: in omnibus autem, quos punit, irreprehensibilem retinet æquitatem. Causa verò Majorum atque Minorum, qui sinè Baptismate cursum vitæ præsentis in infidelitate consummant; Quantùm attinet ad Communionem Originalis peccati, una est. Ex hâc utrique ibunt in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus, quià in eis Chirographum, quô sibi nos deceptoris nequitia subdidit,* Salvatoris Gratia, *non delevit.*

Ha-

Habemus itàque Deum quoſdam ſalvare nolentem, quià Juſtus eſt. Habemus & Jeſum Chriſtum Juſtum etiam pereuntium Salvatorem, quià miſericors eſt. Deum punientem Juſtô ſuppliciô, Jeſum Redemptionis beneficium exhibentem *vitali remedio*. Quod tale remedium Medicus promeruit & inſtituit pro omnibus parvulis, pietatis fuit; quod hoc ipſum, neutiquam tamen refragante dilectionis Filiô, Pater impendi noſcit, divinæ æquitatis eſt. Proindè æterna laude dignus eſt Pater qui pœnâ dignos non ſinit impunitos. Et iterùm Glorificandus in illis, quibus iniquitatem gratis remittit. Æternâ laude dignus eſt Filius quod omnibus ſalutare poculum ex cruore confectum propinavit, quod cunctis mederetur, ſi biberetur. In cujus remedij orbitate non eadem eſt cauſa Minorum atquè Majorum: *Deteriùs eſt enim*, eôdem Sanctô Præſule adſtipulante, *Redemptionis beneficium* (hoc eſt baptiſmum) *in piâ voluntate non quærere, quam ad illud impedimento teneræ prorsùs ætatis venire non poſſe.*

Quod ſi dixeris ad parvulos Redemptionem non pertinêre niſi ipſum remedium conſequantur; aut perperàm remedium dixit Fulgentius, aut ſicut Juliano, ità audaciſſimam vocem opprimet tibi Auguſtinus: NULLA ERGÒ AD EOS SALVATORIS PERTINET MEDICINA: ET CHRISTUS NON EST EIS JESUS. ET TU QUI HOC DICIS, AUDES VOCARI CHRISTIANUS?

Aug. L. 2. op imperf. cap. 131.



EXCUR-

EXCURSUS,
SIVE
DIGRESSIO
CONTRA VEROS, NON
PHANTASTICOS JANSENISTAS,
AVITUM ACADEMICUM,
VINCENTIUM PALÆOPHILUM,
ET
PAULUM AURELIUM.

IN QUA
Insolentissima eorum audacia refertur;
& refellitur,
ET
Indoles superba veteribus Hæterodoxis
componitur.

Quantâlibet feraris animi obſtinatione, Juliane, (Avite, Vincenti, & Paule) *quantâlibet adversùs nos pervicaciâ pro Pelagiano* (Janſeniano) *errore conſiſtas; tantâ circumvallaris rerum evidentiâ .... Ut profectò, ſi nulla te ratio, cogitatio, conſideratio Religionis, Pietatis, humanitatis, atquè in teipſo advertendæ veritatis ... revocaverit, oſtendas quantum in malis humanis valeat, eò quemquam fuiſſe progreſſum, ubi manêre non libeat, undè redire jam pudeat. Sic enim te credo affici, cum iſta legeris. Sed ô! ſi pax Chriſti in tuo corde vincat, & bona pœnitentia de malâ verecundiâ palmam ferat.* S. Auguſt. l. 2. cont. Jul. cap. 5.

Abſolvuntur Magiſtri, condemnantur diſcipuli, Conſcriptores Librorum fily regni erunt, Aſſertores verò Gehenna ſuſcipiet. Vincent. Lirin. contrà prophanas vocum Novitates Cypriani Martyris Perſonam Liberans, & Cyprianiſtas, ideſt, Donatiſtas Cypriani errorem pertinaciter tuentes damnans.

Igitur, *cur non audêrem, qui te in eis vana dixiſſe dubitare utique non deberem? Non enim contrà vera poſſes loqui niſi vana.* Aug. l. 1. cont. Jul. op. poſt. c. 17.

Illu-

Illustrissimi Cornelii Jansenii Iprensis Episcopi ergà *Sedem Romanam* Reverentia, & Libri, cui titulus: *Augustinus*, cernua submissio.

Quod si ejus obscuritas (S. Augustini) *me fefellerit, maximi beneficii loco ducam, laborumque plurimorum compendium faciam, si quis aliud ex Augustini scriptis demonstraverit. Quod donec humiliter ac desideranter expecto; quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis, non juxtà meam, sed juxtà S. Doctoris mentem pronuntiavi, ex Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris meæ* JUDICIO SENTENTIAQUE SUSPENDO, *ut illud jam nunc teneam, si tenendum, revocem, si revocandum,* DAMNEM & ANATHEMATIZEM, *si damnandum &* ANATHEMATIZANDUM *esse Judicaverit.* In fine Epilogi operis.

Mihi enim constitutum est eandem, quam ab infantiâ secutus sum, sensuum meorum ad extremum Spiritum usquè ducem sequi, Romanam Ecclesiam, & Beatissimi Petri in Romanâ Sede Successorem. Super illam vetram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque cum ipso non colligit, spargit: apud quem solum incorrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab istâ Petri Cathedrâ, in cujus Communione

nione à teneris vixi, & porrò vivere, & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice, præscriptum fuerit, hoc teneo, quidquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo. Tom 2. L. Proæ. c 29. pag. 66.

Oppositæ Jansenij subjectioni insolentissima Jansenianæ *Aviti Academici* in Sedem seu Cathedram Romanã calumnia.

Acerrimi ac pervicacissimi damnatæ Pentados Jansenianæ Defensoris in fine Paræneſi Thrasonismus sic sonat: *Irretiantur in malam causam Romani Pontifices, non conteret Jansenium potestas ulla.* Et antè: *Periodum istam*, quam (Euthichianâ aspersam lue impudentiori stylô criminatur) *detonuit Clemens die tam solemni ex Basilicæ Apostolicæ Cathedrâ: Quam ego quidem potiorem reor istâ aliâ infallibilitatis Cathedrâ, quæ non est aliud præter inventum otiosorum hominum mutuâ cæde per opinationum suarum dissonas Nænias (ut in Imagine Pontificiâ vidêre perlicet) se perimentium.* Paræn. pag. 9.

Nimis amando sententiam suam, vel invidendo melioribus, usquè ad præcidendæ Communionis & condendi schismatis vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est. S. Aug. l. 2. de Baptismo cont. Donat. c. 5.

SEC-

SECTIO PRIMA.

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Aviti Academici probrosa in Homiliam S. S. D. Clementis XI. insultatio, & Eutichianæ pestis affricatio refertur.

QUamquam, Authore S. Leone Magnô, *aliud sint merita Præsulum, aliud jura Sedium*, ità ut etiam Prævaricator fidei, quod absit, Romanus Antistes non subrueret Apostolicæ soliditatem Petræ, nequè succuteret Ecclesiæ firmamentum; Equidem fas non est æquis oculis communem fidelium Parentem cernere hæreseos infami opprobriô lutulatum, præsertim per illum, qui Cathedram Romani Pontificis concionantis non modò componit Cathedræ definientis, sed etiam anteponit *potiorem ratus istâ aliâ infallibilitatis Cathedrâ, quam otiosorum hominum commentum esse* Avitus Academicus inamat: Nimirùm, ut Jansenius sub protectione Altissimi stet inconcussus, & contrà mundi, ac erebi machinas invictus ovet, ut ne Regales ac Sacerdotales Curias formidet, necessum erat Apostolicam Petram confringere, Promissa Christi Petro data falsare, Apostolicæ jura sedis convellere. Quod ut secundiori marte evictum daret Magnus ille Jansenianorum Goliathus, molîtus est Christum Domini, seu Christi Vicarium capere in Sermone seu Homiliâ Anno 1702. in Dominicâ Resurrectionis. Lubet verba differentis exprimere, & criminatricis linguæ ludibria referre. S. Leo ep. 62.

Homiliæ Pontificiæ verba sunt ista:

HODIE FORMA SERVI REVERSA EST IN FORMAM DEI: *Ac exinanitio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit Majestatem.*

IN primam periodi partem insultabundus arietat, secundam verò (cum sit phrasis Patrum, & prioris partis climpidet densitatem) incuriosus præterit. Hæc sunt igitur, quæ aures offendant, & quæ æquas vindicias non sinant, Pontificis effata, quæ ipse è Cathedrâ pestilentiæ seu superbiæ Avitus Academicus definit Eutichianâ lue fædata:

FORMA SERVI REVERSA EST IN FORMAM DEI.

Aviti Academici vox exprobrantis, & obloquentis.

Qui è Magistris vestris ingeniô, eruditione, callidi-tate præstant; ab errore Eutichianô liberent hanc periodum: HODIE FORMÂ SERVI REVERSA EST IN FORMAM DEI. *Nam sicut forma servi secundùm Christianæ Religionis effata numquam fuit forma Dei; sic nec in illam die Resurrectionis reversa fuit, nec reversura est umquam in perpetuas æternitates.*

§. 2. Cal-

§. 2.

Callida Aviti Academici verba Pontificia malitiosè Captantis Machinatio proditur.

NEmo ullus bonæ fidei interpretem pronuntiaret illum, qui caliginosa juris placita, neglectis claris ac limpidis ac omne nubilum dissipantibus, in patrocinium suum devocaret. Nemo eum, qui nubila à nitidis ac serenantibus avulsa postularet. Quàpropter Hæterodoxos vel per obscura, vel per avulsa à reliquo Sacrarum Paginarum corpore errores suos defensantes ut iniquos interpretes, & diaboli æmulos (qui & Dominum ipsum Scripturæ Authoritate tentavit) judicavit, ità & prostravit. Sic actum cum Arrianis, Pelagianis & aliis, & ità Jansenius ipse vicit sui temporis sectarios. Nequè reor quemquam Jansenianorum ità malè Jansenio volumini affectum, qui, dum de sensu dicti libri conflictandum, optet Jansenianas syllabas ad litteram accipi, ut dicantur esse Jansenij, aut sensus Jansenij esse damnabiles, si aliis locis ità sese elucidaret, ut nulla siniſtræ suspicionis umbra supereſſet. Hoc est namquè, quod Jansenianí prætendunt, Jansenium cum Jansenio conferendum, Jansenium per Jansenium explicandum, atquè ità ab erroris seu hæresis infamiâ vindicandum. Sed quantùm in eô deferunt, suprà affatim demonstratum est.

At inferiori loco SS. Clementem nostrum Papam Avitus constituit invidens homiliæ præfatæ Catholicæ interpretationis indulgentiam, & crassô litteralique sensu verba Pontificis complexus

ad nitida, lucida, & elucidantia ejusdem effata stylô SS. Patrum adjecta, oculos obnupsit. Noluit vidêre, ut Cæcus judicaret, noluit intelligere, ut benè de summo Parente Ecclesiæ loqueretur. Non favit erroribus Incarnata Veritas Arianis asserens se minorem Patre, quià & alibi Patri se dixit æqualem. Non inflavit Pelagianos invitando: *Si quis vult venire post me, si vis ad vitam ingredi &c.* quià depressit dicens: *Sinè me nihil potestis facere. Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Nequè Apostolus fuit Manichæus asserens se *naturâ filium iræ*, quià aliundè declarat vitium, morbumque esse, qui pro naturâ inolevit, quod sanandum & mortificandum per Medicum Jesum Christum Dominum nostrum. Nequè dum dixit, *gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, facere*, gratiam evacuavit, aut gentes Judæis fecit naturâ meliores. *Quià omnes peccaverunt, & egent gloriâ Dei.* Non est Ecclesia Nestoriana concinens: *Tu ad liberandum suscepturus hominem.* Non Apostolus Manichæus scribens Corinthiis: *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum, ecce jam non novimus.*

Non est Divinitatis Christi Præco Joannes Eutichianus in Principio Evangelij sui adjiciens: *Et verbum Caro factum est.* Nihil addo de SS. Patrum eloquiis, quæ possunt pariter ab errore liberari, vel obliquâ interpretatione in errores trahi, si fas sit Avito Clementem nostrum summum Pontificem ad Eutichetis insaniam traducere. Numquid enim Pontifex vocem illam, *Formam Dei*, & in eâdem homiliâ, & in alterâ ab omni suspicionis labe illimem reddidit, Quemadmodùm cum divinis eloquiis Sacri Scriptores, & ipsa Mater Ecclesia? Sed & hoc supereſt, ut probemus.

Pe-

Periodum itàque usquè adeò invisam Avito, sed non minus ad captandum Summum Pontificem, ut autumavit, idoneam, Sanctissimus Clemens non à semetipso hauserat, sed vel ab Authore Libri de *Operibus Cardinalibus Christi*, vel ab Arnoldo Carnotensi, ut aliis collubitum est, mutuatus adoptavit sicut litterâ prorsùs eandem, ità eodem spiritu animatam sinè erroris periculo in die illâ detonuit, & in postremis verbis quid per formam Dei vellet intelligi, pariter expressit: *Et exinanitio humilitatis ad pristinæ altitudinis rediit Majestatem.* Ubi mitigatum voluit, quod habebat altera Periodus Carnotensis, posuitque vocem *pristinæ* loco *depositæ*. Ac postmodum magni Leonis æmulus dicta sua enubilavit, quid vox illa *forma Dei* invehat exponens, *gloriam utiquè quasi unigeniti à Patre*, quæ in redivivâ servi formâ resplenduit, absumptâ Servilis conditionis humili corruptione: *Quando infirmitas in virtutem, mortalitas in immortalitatem, contumelia transivit in gloriam.* En transformatam *servi conditionem in eam gloriam*, quæ Unigenitum Filium Dei, decebat post devicti triumphatique Principis mundi trophæa. Itàque differens Romanus Antistes in Ecclesiâ Catholicâ, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione non pulsabatur, & talibus litigantibus ac sugillantibus nondum exortis securiùs loquebatur.

Sic olim à reliquo Sermonis Corpore avulsam periodum S. Chrysost. contrà peccatum originale intorserat Augustino Julianus, cui respondit, quod Avito apprimè congruit, Doctor Africanus: *Et hoc quidem in eâdem ipsâ homiliâ, si totam legisses, invenire potuisti: aut si legisti, nescio quemadmodum te potuerit præterire: aut si præterire non potuit, miror cur te non correxerit, si tamen aliquid apud te valet Joannis* (Clementis Pontificis) *Authoritas.* *Aug. l. 1. cont. Iul. c. 6.*

Quod si Aviti oculos homilia ista non perstrinxerit atquè correxerit, erat in proclivi & alterâ de anno 1704. ab eodem Pontifice de eâdem solemnitate dicta, quæ glorioſam illam ſervilis formæ metamorphoſim illuſtrat, ubi ait: *Vir dolorum, cui non erat ſpecies nequè decor, deſpectus & noviſſimus virorum, in quo Deus poſuit iniquitatem omnium noſtrum, factus eſt ſpecioſus formâ* (en formam Dei) *præ filiis hominum; factus eſt incorruptibilis, qui potuit vulnerari: factus eſt immortalis, qui potuit occidi: factus eſt impaſſibilis, qui potuit crucifigi, adeò ut Sacra illa Vulnera manibus pedibuſque impreſſa reſurgentis, jam non ſint paſſionis inſignia, ſed gloriæ monumenta.*

Homil. SS. Clem. Papæ anno 1704.

Non igitur ex mente Pontificis natura tranſiit in naturam, ſed corruptio in incorruptionem, ignominia in gloriam, manente Corporis ſubſtantiæ integritate, utpotè cui impreſſa Paſſionis veſtigia, ſed glorificata inhæſerunt.

Quid ergò te juvit, Avite Criminator, quod *formam Dei* poſuit pro gloria transformati Romanus Eccleſiaſtes? *An ut unum verbum quaſi ab eo prætermiſſum velut acutâ calliditate captares, & toi verborum ejus, quibus obruereris, tam ingentem aggerem commoveres? In tantùm improvidus & incautus, ut nec in ipsâ homiliâ, ubi vix unum, de quo male intellecto decepti deciperetis* (Alumnos Academicos) *teſtimonium reperire potuiſtis*, adverteres Sanctiſſimum Clementem ſatis evidenter expreſſiſſe, qualiter Chriſto Victore ab inferis reſurgente ſervi forma in formam Dei remeârit, non converſione humanitatis in Deum, ſed dimanatione glotiæ divinæ in carnem exinanitam corruptionis ſervilis humilitate?

L. 1 cont. Iul. c. 7.

§. 3. Qua-

§. 3.

Quales, & Quantos Viros fidei Catholicæ Defensores Avitus faciat tacitô nomine Eutichianos probrosâ suâ Pontificiæ Homiliæ criminatione.

Quos & quales Viros, & quantos fidei Catholicæ Defensores tam execrabili criminatione audeas appetere, si evigilas, intuere. S. Aug. l. 1. cont. Jul. cap. 2.

FAmiliarissimum olim fuit Hæreticis Catholicos fœdâ hæresæos agnominatione infamare. Jovinianus Manichæis patrocinari dicebat Catholicos. . . *Arriani Sabellianos nos esse criminantur, Pelagiani nobis Manichæos objiciunt*, inquit Augustinus. Julianus opprobriô istô passim lutulavit Augustinum non modò Traducianum, sed & Manichæum vocitans, tum propter originale peccatum, quod pro Catholicâ & cum Catholicâ esse tuebatur, tum propter concupiscentiæ malum, quod contrà Pelagianos propugnabat. Sed nîl moratus Augustinus hocce opprobrium, exertè Julianum petit, ostenditque *priùs quantis, & qualibus Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus nomine Manichæorum intolerabilem facere non cunctéris*, ait, *injuriam, & cum me appetis, in quos tela sacrilega jaculeris.* Id mihi contrà Avitum pro SS. Clemente præstandum reor, sub cujus Nomine & alij Ecclesiæ Patres Eutichiani Nominis opprobriô appetuntur.

L. 2. de nupt. & concup. cap. 23.

L. 1. cont. Jul. c. 1.

Atquè imprimis Augustinus inter præclarissimos Occidentalis Ecclesiæ Doctores objecit Ambrosium, utpotè Pelagij encomiô laudatissimum Scrip-

Scripturarum interpretem : *Ille*, inquit, *Doctor meus, tui etiam mali Doctoris ore laudatus Ambrosius. Quem Magister tuus Pelagius tantâ prædicatione laudavit*, ut diceret *in libris ejus præcipuè fidem lucere Romanam, qui Scriptorum inter Latinos flos quidam speciosus enituit, ità ut ejus fidem & purissimum in Scripturis sensum reprehendere, nec inimicus auderet.*

L. 1. cont. Iul. c. 9.

Et hunc pariter virum Ambrosium non absimili ratione objectandum censeo Avito Academico, utpotè laudatum ab illô, ob cujus Authoritatem, ut perperam jactat, Jansenium tuetur Catholicum, & Pontifices Romanos in malam causam irretitos contumeliosô ore eructat, præamatque Pontificis Romani Homiliam erroris insimulare, quam damnare Jansenii Pentadem tot Apostolicæ Cathedræ Antistitum authoritate convulsam. Ambrosium, inquam, Episcopum hîc sisto, de quo S.P. Augustinus, *Beatum loquor Ambrosium, cujus pro Catholicâ fide gratiam, constantiam, labores, pericula, sive operibus, sive sermonibus & ipse sum expertus, & mecum non dubitat Orbis prædicare Romanus.* Et ante : *Audi alium excellentem Dei dispensatorem*, QUEM VENEROR UT PATREM : IN CHRISTO ENIM JESU PER EVANGELIUM IPSE ME GENUIT. Quid hic Doctor de formâ Christi redivivi palam edixerit, audiamus : hic vir dum Apostolum ad Corinthios scribentem : *Et si cognovimus secundum carnem Christum, sed nunc jam non novimus* : in patrocinium adsciscit, ità differit : *ergò resurrexit homo, quoniam homo mortuus est : resuscitatus homo, sed resuscitans Deus : tunc si secundùm carnem homo : nunc per omnia Deus.* Si nunc per omnia Deus, quomodò forma servi non est reversa in formam Dei ? Si autem reversa est forma servi in formam Dei, qui ex vobis sive Magistris, sive alumnis vestris

L. 1. c. 3.

L. de fide Resurrect.

In Officio Dom. V. post Pascha.

ſtris ingeniô, eruditione, & calliditate præſtantes ſecundùm Religionis effata, ab Errore Eutichianô liberet hanc periodum pro ſtatu redivivi Salvatoris expreſſam: NUNC PER OMNIA DEUM? nam ſicut forma Dei per Incarnationem non eſt facta per omnia homo; ità nec forma ſervi per Reſurrectionem facta eſt PER OMNIA DEUS. Durior hic ſermo eſt, ſi Litteram ſpectes, quam Clementinus. Et hîc, ſi Divis placet, Eutichianiſmum ſapit. De Ambroſij igitur Sermone quid ſentis Avite? dic generoſè, ne cogaris mutare ſequentia, idem Sermo etiam Eutycheti Patronus eſt. Sed Auguſtini nunc te conficiam ſtylô: *Cernis quam tibi perniciosum ſit tam horribile crimen objicere talibus?* Sed non vis Ambroſium eſſe Eutichianum, ſed ſolùm Clementem Pontificem. Sed hic tibi cùm Auguſtino reſpondet: *Quam mihi glorioſum quodlibet crimen audire cum talibus. Quid nomen delineare niteris meum, & Ambroſium facis tacitô nomine Manichæum* (dico Eutichianum) *ſi cernis, cerne, & tandem Pelagianam* (Janſenianam) *linguam deprime, & venerandis Oribus proterva ora ſubmitte.* Quamquam potiori loco Romanæ Sedis Epiſcopum Auguſtinus conſtituerit, dum Mole ingenti aliorum Epiſcoporum velut agmine facto Julianum obruit: quod & Avito noſtro reſpondeo: *Innocentio quid reſpondeas* (Clementi XI.) *qui nihil aliud de hâc re ſapit, quam quod iſti, in quorum te Conventum introduxi: cum his etiam ipſe conſidet, & ſi poſterior tempore, prior loco.* *Aug. l. 1. cont. Iul. c. 4.*

Et ut ad Eutichiana te Caſtra propriorem ſiſtam, cur non in S. Chryſologum vertis opprobrium, cur non Sermonem aureum vertis in ſcoriam, qui licet Eutycheti damnator monitorque viciniora Eutycheti ſenſiſſe aut dixiſſe tibi videretur, dum de Incarnatione tractaret his verbis:

Petrus Chry. Serm. 37. verbis: *Nonnè Dominus, ut hominis faciem præferret & formam, formam propriæ Deitatis aufugit?*

Cur non in Carnotenſem jacula vibras, qui de Reſurrectione diſſerens dicit: *Exinanitionem humilitatis ad depoſitæ altitudinis rediiſſe majeſtatem?*

Habeſne, Avite, aliquid adversùs ſolemnem SS. D. Clementis Homiliam, quod non in *Ambroſium*, *Chryſologum*, *Carnotenſem* dicere compellaris? Sentiſne, quid audias? Quæriſne, quid dicas? Hos Viros tantâ laude inter Epiſcopos præclaros, tantâ notitiâ famâque conſpicuos, de Eutichiano errore, aude; ſi quid tibi fontis eſt, criminari.

Si non legeris monumenta eorum, & neſciens feciſti, nunc miſeram reſpue imperitiam: *Et ſi ſciens, cur non Sacrilegam deponis audaciam? Quod ſi conſilium meum diſplicet, age ut placet. Ego enim, etſi correctus fueris, in quo majora mea vota ſunt, abundantiùs, cumulatiùſque gaudebo: Et ſi, quod abominor, in hâc pravitate per manſeris, ex opprobriis tuis fructum habebit* (SANCTISSIMUS CLEMENS NOSTER) *& pro ſe Cæleſtis mercedis augmentum, & de te miſericordis doloris aculeum.*

Aug. l. 1. cont. Iul. c. 4. Sit operæ pretium, obſecro te, aſpicere illos quodammodò aſpicientes te, & manſuetè ac leniter dicentes tibi: Itàne nos; fili Avite, Eutichiani ſumus? Rogo, *quid reſpondebis? Quibus eos oculis intueberis? Quæ tibi argumenta ſuccurrent? Quæ tuorum argumentorum vel acies vitrea, vel plumbei pugiones in illorum conſpectu exeri audebunt? Quæ abs te arma non fugient, nudumque deſtituent? An fortè dicturus es, neminem illorum te in iſtò crimine nominaſſe? Et quid facies, cum tibi dixerint, tolerabilius dente maledico nomina concideres noſtra, quam fidem noſtram, cujus merito in cælo nomina ſcripta ſunt noſtra.*

Sed

Sed quid dicas, aut quid respondeas, qui etiam beatum si audeas Innocentium (CLEMENTEM) *non audebis tamen Christi Apostolos dicere* Eutichianos. *Ibid.*

Non, inquam, discipulum Arcanorum Interpretem, quem dilexit Jesus, qui postquam de Magistri Divinitate altum intonuit: *In Principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, sublimia ista depressit dicens: *& Verbum Caro factum est.* Nec alterum Apostolum Doctorem omnium dicentem: *qui cum in formâ Dei esset*, &c. *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* Et iterùm de eodem Redivivo: *etsi cognovimus secundùm carnem Christum, sed nunc jam non novimus.*

Nec ista Catholica & Apostolica Romana, quæ te regeneravit Ecclesia, Eutichiana fuit, dum Symbolum tibi proposuit, in quo Christum descendisse de cælo memorat, ubi Christus numquam secundùm utramque formam fuerat; & in Ecclesiastico hymno *Jam Christus astra ascenderat reversus, undè venerat.* Nec quid affine cum Eutichiano errore proloquitur in Secreta Missæ primæ Nativitatis Dominicæ ità Deum deprecans: *ut, tuâ gratiâ largiente, per hæc Sacrosancta Commercia in illius inveniamur* FORMA, *in quo tecum est nostra substantia.* Aut ergò Matrem Ecclesiam ab Eutichianâ peste Avitus liberet, & cum illâ Caput illius, quod non aliter effatum est; aut cum Capite Matrem jugulet, & S. Augustini ferulam excipiat: *utriusquè partis terrarum fides una est: quia & fides ista Christiana est, & te certè Occidentalis terra generavit, & Occidentalis regeneravit Ecclesia. Quid ei quæris inferre, quod in eâ non inveniſti, quandò in ejus membra veniſti? Numquid Manichæa* (Eutichiana) *fuit quandò ... te peperit?* *Missa prima Nat. Orat. secretâ.* *L. 1. cont. Iul. c. 4.*

§. 4. Avi-

§. 4.

Avitus Academicus Homiliæ S. S. D. Clementis criminator argutijs ſuis captus, convincitur ipſe Eutichianorum eſſe adjutor.

Audi jam parumper inerudità temeritate quantùm veros adjuves Manichæos (Eutichianos) Aug. l. 1. cont. Jul. c. 8.

POſtquam glorioſiſſimus Pelagianorum Debellator ſolaribus radiis convictum dederat Julianum, cum qualibus, quantiſque Eccleſiæ Catholicæ Defenſoribus Manichæorum inſaniæ jungeretur & criminationis inanem pateretur invidiam, turgidum illum Goliathum velut alter David propriis jugulavit armis, oſtendens qualiter Catholicis objectos ipſe Manichæos Julianus argumentis adjuvaret. Gemella id ratio poſtulat, ut hunc certaminis ordinem ſervem. Cumque oſtenſum clareat cum quibus, & quantis Eccleſiæ Doctoribus SS. Clementis Homilia Eutichianæ hæreſeos ſuſtineat opprobrium, per invidioſam Aviti Academici Criſin; nunc palam fiat, quod inciderit in foveam, quam fecit, dum nîl benignæ Interpretationis Homiliæ præmemoratæ indultum voluit. Nam ut ipſe Periodum Clementinam in ſuo ſenſu acceptam ad Eutichianos ablegavit, ità Eutichiani parili Jure Sacra Scripturæ ac SS. Patrum effata in ſuum Patrocinium advocabunt.

Eutichetis quidem veſaniam, Propheticis, Evangelicis, atque Apoſtolicis eloquiis elidi ac eludi poſſe non inficior. At ſi craſsô intellectu ſen-

sententiæ eorum, & quidem ab aliis sejunctæ ac avulsæ spectentur, & fas sit obscuriora lucidioribus anteferre; non erit, qui Eutichianos statione ejiciat; non erit, qui triumphet unâ alterâve divinæ scripturæ voce protectos, ac Sanctorum Patrum securius olim loquentium Authoritate communitos.

Ex Evangelicis, Apostolicisque vocibus Classicum insonantes audio Eutichianos: *Verbum caro factum est. Numquam Dominum Gloriæ crucifixissent. Qui cum in formâ Dei esset, semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Igitur post Incarnationem una tantùm natura permansit? Quid ad has Periodos Sacras Catholici responderunt? nunquid per alias expositas voluerunt, quæ utriusque naturæ integritatem inferebant. At si cum Avito arguendum erat, sicut ipse Periodum unam SS. Clementis per aliam abnuit explanatam; in allatis Scripturæ Testimoniis velut inconcussis propugnaculis persistent Eutichiani. Si S. Leo Euticheti respondeat: *Formam servi sinè suæ detrimento Majestatis accepit, ut nos in suâ proveheret, non ipse in nostrâ deficeret.* Reponet Euticheſ: plus est, quod Evangelista dicit: *Verbum caro factum est.* Plus est, quod *Dominum gloriæ pronuntiat Crucifixum.* Plus insinuat Apostolus: *De filio suo qui natus est ei secundùm carnem.* Plus est: *semetipsum exinanivit*: Quemadmodum dum legimus aquam factam Vinum in Canâ Galilææ.

Si S. idem Pontifex Euticheti exprobret, quod ipsius Symboli initia non capiat; regeret ille à Symbolo hanc Periodum, *& in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto*; ut inferat Deum esse conceptum. Et ut duas antè adunationem naturas exstitisse concludat, ex alterô Symbolô pro

proferat telum alterum : *Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de Cælis.*

Rursùm ſi Ruſpenſis Antiſtes Eutichianis reponat : *Quid eſt iſta Unigeniti exinanitio, niſi accepta paſſibilis & mortalis humanitas Chriſti?* Eutichiani minimè acquieſcent, ſed regerent : plus eſt exinaniri, quàm alteri licèt inferiori adunari : cum & anima corpori adunata non ſit ideò exinanita. Quod ſi Periodus Clementina Catholicum ſenſum non patiatur, in promptu aderit Eutichianis Ambroſius: *Tunc ſecundùm carnem homo, nunc* PER OMNIA DEUS. An non victi Eutichiani victores erunt, & damnata eorum hæreſis in veritatem migrabit, ſi uni Scripturæ Teſtimonio, aliis neglectis, & quæ lucem adferant, præteritis, fas ſit carnali ſenſui adhærêre ? Cernis, Avite, quò te argutiunculæ tuæ avehant, quæ damnatiſſimis Catholicæ fidei hoſtibus arma ſuppeditent ? Cernis quantùm Eutichianos adjuves, dum SS. D. Clementem Papam Eutichianorum Choro accensêre niteris ? *Placetne tibi jam mutare ſententiam, quam non favendo, ſed quid loquaris neſciendo, ad adjuvandam peſtilentiam Manicheorum* (dico ego Eutichianorum) *protuliſti ?*

S. Aug. l. 1. cont. Iul. cap. 8.



§. 5. Sanct-

§. 5.

Sanctus Augustinus per clariora testimonia vindicans S. Ioannis Chrysostomi effata à Pelagianismi famine vel suspicione, damnat Aviti Academici suggillationem circà propositionem ejusdem quasi malè tinnientem.

JUlianus infestissimus originalis noxæ inimicus vel minimam nactus in Catholicorum Doctorum veterum monimentis periodi sibi favoniæ umbram, eorum se patrocinio velut umbone protectum gloriabatur, signatè prensans S. Joannis Chrysostomi avulsa quædam à cæterorum compage obscuriora effata. Quod vel in ipso limine capitis sexti libri primi Augustinus ei intorquet. *Sed quid mussites, novi. Dic jam dic, audiamus, in extremo tui operis, de quo nunc agimus*, id est, *in quarti libri parte novissima est Sanctus Joannes*, inquis, *Constantinopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum.* Et post multa ex homilia ad Neophytos à Julianô producta hæc prementia verba subnectit: *Vides quot sunt baptismatis largitates, & nonnulli deputant Cælestem gratiam in peccatorum tantùm Remissione consistere. Nos autem honores computavimus decem. Hâc de causâ etiam infantes baptizamus*, CUM NON SINT COINQUINATI *peccato, ut eis detur vel addatur Sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, Fraternitas Christi, ut ejus membra sint.* *Aug. l. 1. cont. Iul. cap. 6.*

Respondet Augustinus Græcos Codices non istum sensum edere, sed id, quod est latinè: *Ideò & infantes baptizamus, quamvis peccata non habentes,*

bentes. Et subdit: *Vides certè, non ab eo dictum esse, parvulos non coinquinatos esse peccato, sivè peccatis, sed non habêre peccata, intellige propria, & nulla contentio est.*

At inquies, cur non ipse addidit propria? Cur putamus, nisi quià disputans in Ecclesiâ Catholicâ, non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondùm litigantibus securiùs loquebatur. Non oscitantiæ vel incautæ dictionis ab Augustinô insimulatur S. Joannis periodus, ut Avito collubitum fuit, sed prudentia laudatur tempori servientis & securius pacis malaciâ utentis tam Magni Catholicæ fidei Defensoris.

Sed ne conjectando viri illius Sermonem illimem reddere videatur, ex aliis ejusdem sermonibus mentem illius enubilat, & cum aliis Ecclesiæ Doctoribus apprimè concinere Titaniô lucidius radiô demonstratum venit. Ut jure Juliano improperet: *Quid te adjuvit, quod Joannis Constantinopolitani tamquam tibi suffragetur Testimonium posuisti? An ut unum verbum quasi ab eo prætermissum velut acutâ calliditate captares, & tot verborum ejus quibus obruereris tam ingentem tibi aggerem commoveres?*

cap 7.

In arenam provocat S. Joannem Chrysostomum capite præcedenti, his vocibus insonans classicum adversùs Pelagianorum Coryphæum: *Opus est & tuâ, & maximè tuâ sententiâ, quoniam in tuis litteris iste juvenis invenisse se putat, undè tot tantorum Coepiscoporum tuorum se arbitratur percellere & evacuare sententias.... Dic ergò & tu aliquid, undè iste juvenis confundatur, & revereatur, qui quærit maculam meam, & ignosce mihi, quià cum illi de hâc re, quid sentias, demonstravero, quæsiturus est & tuam... Sed ut conferamus ei verum beneficium, falsum ejus non curemus opprobrium.*

cap. 6.

brium. Audi jam Juliane quid etiam Joannes cum cæteris Catholicis Doctoribus dicat ad Olympiam scribens : *Quandò enim Adam peccavit*, inquit, *illud grave peccatum & omne genus humanum in commune damnavit, de mœrore pœnas luebat.* Item de Resuscitatione Lazari : *Flebat Christus*, inquit, *cur usquè ad hoc mortalitas deliquisset, ut excussa de perennitatibus inferos adamaret. Flebat Christus, quod eos qui immortales esse potuerunt, diabolus fecit esse mortales. Quid dici posset expressiùs?* Quid ad ista respondes ? *Si Adam grandi peccatô suô omne genus humanum in commune damnavit,, numquid nisi damnatus parvulus nascitur? Et per quem nisi per Christum ab istâ damnatione liberatur?* Et post alia Testimonia : *Audisnè hominem in fide Catholicâ & Eruditum & erudientem, distinguentem debitum paterni Chirographi quod hæreditarium nobis inhæsit ab eis debitis, quorum per nostra peccata fœnus accrevit?* Audis *quid parvulis relaxetur in baptismo, qui nondum propria debita contraxerunt, nec tamen à paternô Chirographô immunes esse potuerunt?* Verba ex Sermone ad Neophytos sic sonant : *venit semel Christus, invenit nostrum Chirographum paternum, quod scripsit Adam. Ille initium induxit debiti, nos fœnus auximus posterioribus peccatis. Nunquid contentus fuit dicere, paternum Chirographum, nisi adderet nostrum? Ut sciremus antequam fœnus peccatis nostris posterioribus augeremus, jam illius Chirographi paterni ad nos debitum pertinêre.* Et antè : *Quisquis in Catholicâ fide vult labefactare quod scriptum est : per unum hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum. Sicut enim in Adam omnes moriuntur, ità & in Christo omnes vivificabuntur ; totum quod in Christum credimus auferre molitur. Omninò & parvulorum Salvator est Christus ; omninò nisi ab illô redimantur peribunt, quo-*

niam sinè carne ejus & Sanguine vitam habêre non possunt HOC SENSIT, HOC CREDIDIT, HOC DIDICIT, HOC DOCUIT ET JOANNES.... *Cohibe te ipsum, si quid tibi est sanabilis mentis, & corrige, & aliquandò intellige, quomodò potuerit dicere Joannes parvulos non habêre peccata.* Non quod peccatô primorum hominum non teneantur obstricti, sed quod sua nulla commiserint.

Nonnè durius aures ferit hæc dictio *parvulos non habêre peccata*, quam hæc ejusdem S. Joannis periodus? *ex illius inobedientiâ alterum peccatorem extitisse, quam obsecro congruentiam, consequentiamque habeat?* Nam prima simpliciter peccata adjudicare videtur parvulis, altera verò solam ratiocinii humani congruentiam appellare, quâ utique non percipitur: nisi humana mens per justitiam fidei vegetetur; cum sit nihil originalis noxæ contagione ad intelligendum secretiùs. Et tamen Augustinus primam propositionem ab omni pelagiani erroris suspicione tam strenuè vindicavit.

Itàque quod Augustinus Juliano Chrysostomi Homiliam objectanti regessit, adregerendum reor Avito Academico Chrysostomi verba ex eâdem Homiliâ velut malè tinnientia sugillanti: *Quid te adjuvit, quod Joannis Constantinopolitani tamquam tibi suffragetur testimonium posuisti?* Et rursùm: *Absit hoc malum de tantô virô credere aut dicere,, Et hoc quidem in eâdem ipsâ Homiliâ, si totam legisses, invenire potuisti. Aut si legisti, nescio quemadmodum te potuit præterire. Aut si præterire non potuit, miror cur te non correxerit, si tamen aliquid apud te valet Joannis Authoritas.*'' *Lege quemadmodum exponat idem ipse Vir Sanctus eundem ipsum Apostoli locum, ubi scriptum est: Per unum hominem peccatum intravit in mundum; ibi enim* LUCE CLARIUS *in hujus fidei Catholicæ veritate versatur.*

Y. 1 cont. Jul. c. 7.

§. 6. *Sancti*

§. 6.

Sancti Ioannis Chrysostimi effatum à calumnia Aviti Academici Vindicatur.

VErba Aviti Academici, quibus calumniandi Homiliam SS. D. Clementis XI. effrænem audaciam dum purgat, accumulat oscitantium & incautè dissentium Choro Sanctorum Patrum, ut retur ipse, Sanctum Joannem Constantinopolitanum, ità sonant: *Quàm etiam malè tinniunt hæc verba Chrysostomi illo* (Adamô) *peccante ac mortali effectô, etiam qui ex eô orti sunt, tales esse nihil absurdum. At ex illius inobedientiâ alterum peccatorem extitisse, id verò quam obsecro, congruentiam, consequemtiamque habeat?* *Paræneſi Vindic. pag. 18.*

Quid igitur hôc locô verbum hoc *Peccatores* significat? *Mihi videtur tantumdem significare, quantum illud: Supplicio obnoxij, ac mortis rei.*" Non citat locum, sed spectat ad Homiliam 10. S. Joannis Chrysostomi in cap. 5. Epist. ad Romanos, & quidem illam ipsam, per quam S. Augustinus evictum dedit S. Joannem in *Veritate Catholicæ Fidei luce clarius versari*, & à cæteris originalis peccati assertoribus ne vel in minimô dissidêre. E quâ etiam hanc periodum Juliani oculis objicere non ambegit: *Alium pro aliô damnari non valdè videtur habêre rationem.* *S. Io. Chrys. Hom. 10. in Ep. ad Rom.*

Itàque voces illæ Oris aurei nimis obstreperæ Avito sonant: *Ex illius inobedientiâ alterum peccatorem exstitisse, quam congruentiam, consequentiamque habeat?* Et: *Verbum hoc peccatores tantumdem significare quantùm illud: supplicio obnoxij ac mortis rei.*

At nescit Avitus, vel nescirè se fingit scopum ad quem S. Joannes collineat, & quem per Apostolum hic instructum cupit, nempè Judæum

humanæ rationis trutinâ solâ librantem, quomodò *unius virtute Christi mundus salvatus est*. Solvit hunc nodum Joannes vel ipse Apostolus, interprete Joanne, per alteram difficultatem, quæ humanæ rationi minùs congrua paret, nempè per hoc quod mundus unô inobediente Adamô damnatus sit, quod Judæus ipse confitetur. Chrysostomum ergò differentem audiamus. Apostoli verba præmittit: *Sed non quemadmodum delictum, ità & gratia. Si enim unius delictô multi mortui sunt, multò magis gratia* Dei *unius hominis Jesu Christi in multos abundavit*. Tum subdit Joannes: *Ut cum dixerit tibi Judæus: quomodò unius virtute Christi mundus salvatus est? Possis dicere: quemadmodum unô inobediente Adam mundus damnatus est. Quamquam non sint æqualia, gratia, atquè peccatum: nequè paria sint mors, atquè vita: non æqualis* Deus, *ac diabolus, sed horum discrimen infinitum... Quod enim dicit, hujusmodi est: Si peccatum valuit, & peccatum unius hominis, gratia, & Dei gratia, & non solum Patris, sed etiam filij, quemadmodum non ampliùs prævalebit? Multò enim hoc rationabilius. Nam alium pro alio damnari non valdè videtur habêre rationem; alium autem pro alio salvari & decentiùs magis & rationabiliùs apparet. Si igitur illud factum est, multò magis hoc.*

Ità que, ut Chrysostomus fatetur: *Adversùs Judæum constituta pugna est ambigentem ac deridentem, quem per unum justitiam factam esse vult.*

Et hanc dicit esse causam, cur Apostolus de modô, quô supplicium per Adam in posteros dimanavit, non tractet, sed tantùm à Concessô illô quod difficilius erat rationi ad dissolvendum, Judæum deduxerit ad intellectum ejus, quod non ità rationi obviabat, nempè Christi gratiam exuberantiorem fuisse, quàm pœnam ab Adamo in genus humanum hæreditariô jure transfusam.

Hoc

Hoc iterùm Aurei Oris eloquia enitescere faciunt hâc ipsâ homiliâ : *Idcircò*, inquit, *cum ostendit & supplicium ex unô in omnes derivatum fuisse, quâid de causâ acciderit, nondum addidit: Nequè enim supervacaneus est* (Apostolus, eò quod Judæum non de peccato originali sed de gratiâ exuberantiori ambigentem ac *deridentem* nactus sit) *sed ea tantùm persequitur, quæ necessaria sunt: Quod autem in quæstionem cadit, quâ id de causâ factum est, sed nondùm hoc addit: Neque enim ad præsens ipsi conducit. Nam adversùs Judæum constituta pugna est, ambigentem &c.*

Contrà judæum ergò disputantem adversùs Christi gratiam, quâ mundus salvatus est, argumentô, ut aiunt, secundùm hominem Apostolus arietat, demonstratque, ut exponit Chrysostomus, minùs congruentiæ in eô esse, quod alienâ genus humanum inobedientiâ damnetur, quod judæus credit; quàm quod unius Christi obedientiâ salvetur. Cum captui humano decentiùs ac rationabiliùs transplendeat, quod obtentu ac interventu unius hominis justi parcatur iniquis, quàm quod unius prævaricatione omnes damnationi reddantur obnoxij; quod ultimum Judæus nec inficias it, nec potest.

Non negat tamen Chrysostomus omnes peccatores Constitui saltem contagione. Primò, quià dicit esse *supplicio obnoxios ac mortis reos.* Reatus verò esse non potest in homine insonte ac penitus immaculatô. Secundò quià post verba ab Avitô citata subtexit: *Invenietur enim sic nec pœnas quidem debêre qui talis fuerit, si quidem non ex se ipse peccator extiterit.* Tertiò, quià ut observat Augustinus in hâc homiliâ: *Luce clarius in hujus fidei Catholicæ* (de peccatô originali) *veritate versatur.*

Quartò, quià nimis luculenter peccatum originale confitetur, cui gratiam Christi velut exuberantiorem ab Apostolô oppositam tradit: *Hæc omnia gratiæ exuberantiam appellavit Paulus, interim declarans nos non medicamen vulneri par accepisse solum, sed & sanitatem, & pulchritudinem, & honorem, & gloriam, & dignitatem.* Et Antè: *Neque interrogato quî id fieri potuerit, ut illa mortis ac peccati scintilla tantô donorum veluti mari restincta soluta sit.* Item: *Ostendit non illud modò peccatum per gratiam exstinctum, sed & reliqua omnia.... Atque adeò Christum non modò tantùm juvisse, quantùm læserat Adam, sed & multò magis ac multò plenius.*

§. 7.

Avitus Academicus criminationem falsam Homiliæ Clementinæ S. Ioannem Chrysostomum lutulando purgans, seipsum plus commaculat, & Iulianum Pelagianum adjuvat.

AVitus ille famosus, qui contumeliosô ore non modò Cathedram Romani Pontificis proscidit, sed Homiliam dicentis SS. Clementis XI. Eutichianâ lue conspuerat, nec ob id ingratiis effrænis audaciæ incusatus fuerat per Illustrem Ecclesiasticæ Authoritatis Defensorem, hanc ferulam justam perosus vindicias egit Calumniarum, ut vocat; Calumnias suas in S. Sedem non tam purgans, quàm enormiter accumulans. Nam ut SS. Clementis PP. Personam, cujus Homiliam ab Eutichianâ lue vindicari non posse continenter docet periodô in ista:

istâ: *Forma servi reversa est in Formam Dei*, non hæresios sed oscitantiæ, sed incautæ elocutionis reum agat, Variorum Patrum Exempla adsciscit, etiam Maximorum Ecclesiæ Doctorum, quasi & ipsi malè tinnientes voces ediderint, ab erroneô sensu minimè vindicandas. Unum impræsentiarum, quem ab ipsô S. Augustinô Vindicatum legimus, S. Joannem Chrisostomum hic repræsento. De hoc Avitus Academicus pronuntiare non erubescit: *Quam malè etiam tinniunt hæc verba Chrysostomi.*

Nimirùm non sufficit Avito unam Clementis Pontificis Concionem infamare, nî etiam Oris Aurei verba collutilet. Non æquô animô id tulit in Julianô Augustinus, neque nobis id ferre perlicet. *Paræneſis vindicatæ pag.* 19. Augustinum *inter SS. Patres Christianæ sapientiæ arcem tenêre non malè* asserit, sed dum illum *Magistrum suum dilectissimum nuncupat*, degeneri suo ab Augustinô recessu, Romanæ Cathedræ eversione, Jansenianæ hæresis obstinatissimâ Defensione, & ut à propositô non abeamus, S. Joannis Chrysostomi temerariâ accusatione vel sugillatione, palàm facit, num sit lupus in alienâ pelle, an ovis in suâ. Quid enim Augustini Discipulatu indigniùs, quàm per Cornelii Jansenii pseudo-Augustinum, Augustinum ipsum transfodiendum tradere?

Et quem Augustinus totis vindicat ab errore Pelagianô Lacertis, S. Joannem Constantinopolitanum malè tinnientium verborum, ceu Pelagianum virus redolentium Auctorem prodere? Quem Patronum quidem sibi peroptavit Julianorum Coryphæus, sed reluctante, sed vindicante eum ac triumphante Maximô Ecclesiæ Doctore Augustinô. Nam per varios Sermones evictum dedit S. Joannem à concordissimâ Collega-

legarum suorum Societate nullatenùs fuisse sejunctum, credidisse, quod crediderunt, didicisse, quod didicerunt, docuisse pariter, quod docuerunt. Imò in ipsâ illâ homiliâ; quam fatalem ei rebatur Julianus, Joannem affatim elimpid sse, si quid in causâ Peccati originalis nebulosius apparuisset. Audet tamen Avitus Academicus luci tenebras affundere, & quem Augustinus non modò purgat, sed & in Patrocinium advocat, incautæ & malesonantis eloquentiæ insimulare. Quid, quod ipsam Homiliam, quâ S. Augustinus Julianum jugulat, malè tinnientium Verborum classi arcessit Avitus Noster? Quid hoc præ se ferre videtur, nisi quòd contrà Cassianum ingemiscat Prosper, *victi placent, & Victores displiceat* Avitò? Placet namque illi impactus Joanni Chrysostomo à Julianô Pelagianismus, quem ipse Pelagianorum Debellator à Joanne depulit, & quidem in illâ ipsâ Homiliâ incusatâ refutavit.

Quid supereſt, nisi ut parili acinace Calumnia Homiliæ Clementinæ impacta resecetur, quô Augustinus Juliani criminationem peremit. Id lucidè præstitit per varia Homiliæ controversæ Testimonia Augustinus, præstitit & per Sermones alios ejusdem S. Joannis. Id præstitum arbitramur in anteçessum. Nequè Avitus ipse inficiari potest SS. Clementem aliis in locis semet lucidissimè ab Eutichianô errore dispicuisse. Nam ità infit: *Sic & ipse Clemens Pontifex noster, cui felicissimè cupio, satis alibi accuratè naturam divinam in Christo ab humanâ sejungit, atquè ipsô vocabulô Forma rectissimè utitur. Nam homiliâ annô* 1701. *in Natali Christi Domini habitâ, ità disserit: Æternus rerum omnium creator & Dominus servilem* FORMAM *obumbratâ divinitatis suæ Majestate suscepit. Parvulus datus est nobis; filius datus est nobis: Parvulus, quem cæli capere non pote-*

Paræneſ. Vind. pag. 21.

poterant, Filius unigenitus Dei Filius, qui fieri voluit Filius hominis, ut nos faceret filios Dei. Nihil clariùs, inquit ipse Avitus, *& exploratiùs ex totâ contextûs serie, quam servilem formam* hic à Sanctissimô accipi pro *naturâ humanâ.*

Antè confitetur Sanctos Ecclesiæ Proceres alibi explicatiùs mentem suam edidisse, etiam Chrysostomum *homil. 24. in cap. 3. Joan. Et Epistolâ quintâ ad Olimp.* Ob quæ Testimonia Augustinus Chrysostomi verba obscuriora ab omni suspicione vindicavit. Et tamen Avitus tam durus Joannis Chrysostomi Interpres esse amat, ut illum expurgatum nolit. Nil igitur miremur, quod iisdem Pontificiæ Homiliæ periodum aspiciat, benè sonantem sanis, ceu malè tinnientem ægris Auribus excipere pergat.

§. 8.

Sanctus Augustinus ex eâdem Homiliâ S. Ioannis Chrisostomi Iulianum Iugulat, quam Avitus Academicus malè tinnulam incusat.

HOmilia, è quâ velut malè tinnientia S. Joannis Chrysostomi verba deduxit Avitus Academicus, est illa decima in Caput quintum Epistolæ ad Romanos. In hâc tamen S. Augustinus fatetur S. Joannem Constantinopolitanum in *Catholicæ fidei veritate* de peccatô originali *luce clariùs* versari. Augustinum audiamus: *Lege quemadmodum exponat ipse vir sanctus* (Chrysostomus) *eundem ipsum Apostoli locum, ubi scriptum est*, PER UNUM HOMINEM PECCATUM INTRAVIT IN MUNDUM. *Ibi enim* LUCE CLARIUS *in hujus fidei Catholicæ veritate versatur. Quod totum quià longum est huic operi intexere, pauca indè contingam.* L. 1. cont. Iul. c. 6.

Ma-

S. Chrysost. Hom. 10. in Ep. ad Rom.

Manifestum est, inquit, *quoniam non ipsum peccatum, quod ex legis transgressione, sed illud peccatum, quod ex Adæ inobedientiâ: hoc erat quod omnia contaminavit.*" Et paulò post: *Regnavit*, inquit, *mors ab Adam usquè ad Moysen & in eos qui non peccavêrunt.* Quomodò regnavit? *In similitudine transgressionis Adæ, qui est forma futuri, propterea & forma est Christi Adam. Quomodò forma est, aiunt? Quoniam sicut ille ex semetipsô nascentibus, quamvis non manducaverint de ligno, factus est causa mortis, quæ per cibum inducta est: ità & Christus iis, qui ex ipsô sunt, tametsi nihil justè egerint, factus est Provisor justitiæ, quam per crucem nobis omnibus condonavit. Aliô locô in eôdem Sermone: ut cum dixerit tibi Judæus, quomodò unius virtute Christi mundus salvatus est? Possis ei dicere, quemadmodum unô inobediente Adam mundus damnatus est: quamquàm non sint æqualia gratia, atquè peccatum: nequè paria sint mors, atquè vita, non æqualis Deus, ac diabolus,, Item post paululum: Sed non quemadmodum delictum, ità & gratia. Si enim unius delictô &c. Quod enim dicit hujusmodi est: si peccatum valuit, & peccatum unius hominis, gratia & Dei gratia, & non solùm Patris, sed etiam Filij quemadmodum non ampliùs prævalebit? Multò enim hoc rationabiliùs.* Subnectit Augustinus periodum, quæ ut altera, Avito Academico malè tinnit: *Nam alium pro alio damnari non* VALDE VIDETUR HABERE RATIONEM; *alium autem pro alio salvari & decentiùs magis, & rationabiliùs appareret. Si igitur illud factum, multò magis hoc.*

En propositionem Oris Aurei: *Alium pro alio damnari non valdè videtur habêre rationem.* Quæ si malè tinniebat, & Pelagianismum redolebat, cur ab Augustinô silentiô damnata non est? Cur in oculos Juliani ingesta, qui ex S. Joanne Chrysostomô contrà Augustinum tela procudit? Cur non

inter

inter cætera Julianus ipse hanc periodum Augustino intorsit, ut confirmaret assertionem suam, quâ jactanter aiebat: *Sanctus Joannes Constantinopolitanus negat esse in parvulis originale peccatum?* Audet tamen Avitus scisciterier: *Quàm eadem Homalè etiam tinniunt hæc verba Chrysostomi: „ Illô milia peccante ac mortali effectô etiam qui ex eo orti sunt, tales esse nihil absurdum; at ex illius inobedientiâ alterum peccatorem extitisse, id verò quam obsecro congruentiam, consequentiamque habeat.* Numquid illius repetitio effati est: *Alium pro aliô damnari non valdè videtur habêre rationem?* Nîl equidem hoc ratiocinium moratur Augustinus. Joannem Constantinopolitanum à cæteris Orthodoxiæ Doctoribus ne vel apice tenùs dissidêre assevêrat, & peccatum originale ab eôdem S. Joanne assertum etiam hâc ipsâ Homiliâ constabilit, & probare pergit: Itemque alibi in consequentibus (de Chrysostomô differit) .... *hoc idem quod dicitur, quoniam quidem mortem & CONDEMNATIONEM potuit PECCATUM inducere, Gratia autem non unum illud tantummodò interfecit peccatum, sed etiam post illud introeuntia peccata.*" Et paulò post de hoc ipso: *Quomodò ergò*, inquit, *plura introducta sunt bona & non solùm illud interfectum est peccatum, sed etiam omnia reliqua ostendit dicens: gratia autem ex multis delictis in justificationem .... Post hæc in eôdem cum de baptismô ageret, interposuit verba Apostoli dicentis: An ignoratis fratres, quoniam quicumque in Christô baptizati sumus, in morte ejus baptizati sumus? Consepulti ergò sumus illi per baptismum in morte? Quid est in morte illius baptizati sumus? Ut & ipsi moriamur sicut & ille. Crux enim est baptisma: Quod ergò Crux Christo & sepulchrum hoc nobis baptisma factum est.*

Concludit Joannis Constantinopolitani Apologista inclytus, & Avito non minùs ac Juliano fau-

Recapitulat. & Concluſio pro intemeratâ S Ioan. Doctrina.

fauces premit : *Numquid dubitare jam poteris Sanctum Joannem tam longe à ſenſu veſtro, quam non recedit à ſenſu Catholico ? Numquid in ejus diſputatione, quâ exponit Apoſtoli locum, huic quæſtioni, quæ inter nos vertitur* (de peccato ex Adamo contagione attracto) *perneceſſarium, ubi ſcriptum eſt, per unum hominem peccatum intravit in mundum, & cætera quæ connexa ſunt, alicui redolet, quod vos dicitis, propter imitationem hoc eſſe dictum, non propter carnalem nativitatem ? Nonnè illô unô peccatô contaminata dicit eſſe omnia, & ſic illud diſtinguit à cæteris poſteà commiſſis introductiſque peccatis, quæ vos dicitis ad imitationem, non ad propaginem pertinêre, ut non illa tantùm, ſed hoc & illa per gratiam Chriſti dicat interfici ? Nonnè de baptiſmate* Apoſtoli verba, ubi ait : *Quicumque baptizati ſumus in Chriſto, in morte illius baptizati ſumus*, Sic exponit, ut dicat ità eum *peccato mori* qui baptizatur in Chriſto, ſicut carne mortuus eſt Chriſtus ; quià in morte Chriſti baptizari, *nihil eſt aliud quàm peccato mori ? Cui ergò peccato parvulus moritur, ſi originale non traxit ? . . . An quandò baptizantur baptiſmate Chriſtianô dicturi eſtis, quod non baptizentur in Chriſto : ne vos Epiſcopus Joannes ſuâ diffinitione* ſuffocet, qui dixit hoc eſſe baptiſmum eis, qui baptizantur in Chriſtô, quod *Crux & ſepulchrum fuit Chriſto*, ut quemadmodùm ille mortuus eſt carne, ſic & iſtos intelligamus mortuos eſſe peccato ? *Ecce cui viro quam Magno Chriſtianæ fidei atquè hujus Catholici dogmatis defenſori, voluiſti veſtrum dogma ſupponere.*

§. 9. in-

§. 9.

Inaudita à ſæculis temeritate ab Avito Academico exploſa Sedis Romanæ ſeu Apoſtolicæ infallibilitas vindicatur.

MUlta ſunt, quæ in ejus gremio (Eccleſiæ) *me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum. Tenet Authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, Charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa* SEDE PETRI *Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem ſuam Dominus commendavit uſquè ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* S. Aug. cont. Ep. Man. cap. 4.

Et contrà Partem Donati ejus Pſalmus intonat: *Numerate Sacerdotes vel ab ipſâ Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui ſucceſſit, videte: ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Pſ. contra Part. Don.

Invictiſſimam in Apoſtolici Senatûs Vertice Petro ad confirmandos fratres, & paſcendas cum Agnis oves fidem, victricemque cunctarum hæreſum inerrabilitatis columnam, ad hæredes Succeſſoreſque Petri tranſmeaſſe, conſona Principis Paſtorum Domini Jeſu Chriſti promiſſis traditio conſtabilivit. Ab hujus fidei inconcuſſâ unitate glorioſiſſimus Doctor & Martyr Cyprianus ſchiſmaticos confutavit: ab hac Petri Sede inferorum portis inacceſsâ Doctor Africanus Donatiſtas Eccleſiæ eſſe exortes luculentiſſimè commonſtravit. Ab hujus Cathedræ magiſtrali Judiciô Pelagianis Generalem Synodum inclamantibus, orbemque Catholicum commovere molientibus, & audientiam novam efflagitantibus pœnitentiam velut ultimos ac ſalutares Palos fixit. *Cauſa finita eſt. Româ reſcripta venerunt. Utinam finiatur error.* Parili fidei veneratione

Priores, & Posteriores Catholicæ Ecclesiæ Doctores ac Defensores emissas è Cathedrâ Romanâ definitiones suspexêrunt, ac suscepêrunt, eâ fide roborati, quâ credebant Romanam Cathedram esse omnium Matrem, Matricemque esse Ecclesiarum. Et cum Romanus Antistes ex hâc Cathedrâ Ecclesiam suam in Fide ac moribus instructam curet, non secus oracula ejus exciperent, pro Leone in Concilio Patres: *Petrus per Leonem locutus est.* Propter hunc, qui in Ecclesiâ perseveravit Apostolicæ Cathedræ Principatum, Africanus ille Cato Septimius Tertullianus exclamasse legitur: *Ista quam felix Roma.* Hujusce Sedis principali Unitate convicti, & ipsi tandem è Congerronibus electum voluêre, quem *Romanum Episcopum* appellaverunt, ut vel eô titulô viderentur Ecclesiam constituere, quod à Pontificis Romani communione non essent dissociati. Fors à S. Cypriano didicerant, quod *Petri Cathedra atquè Ecclesia principalis esset, undè Unitas Sacerdotalis exorta est. Quisquis alibi collegerit, spargit, adulterum est, sacrilegum est.* Gemella causa Arrianos quoque permovit, ut in locum Liberij exulantis intruderent Felicem, ac sic viderentur esse Christiani Catholici, si essent *Romani*, hoc est, Romano Pontifici adunati.

Tertul. de Præscript. cap. 26.

Imò reliquam Ecclesiæ portionem se facilè suo errori innexuros sperabant Ariani ità secum impiè cogitantes & dicentes: *Si Liberium in nostram partem traxerimus, omnes brevi superabimus.* Tanta Romanæ Sedis Majestas etiam inimicorum oculos perstrinxerat, ut vel optarent esse Romani, & ex Cathedræ illius dignitate suæ Cathedræ pestilentissimæ auctoramentum darent. Ità & in illis completum est, quod Tertullianus de Marcionitis asserit: *Favos faciunt & vespæ, faciunt Ecclesias & Marcionitæ.* Et quod de Novatianô S. Cy-

S. Athanas. ad Monach.

Cyprianus quod more Simiarum, *quæ cum homines non sint, homines imitantur, apud se Ecclesiam esse diceret*: hoc & illi fecerunt, qui licet à Romanâ fide exorbitarent, Romani saltem vidêri ambiêrunt.

Ecquis tandem eò temeritatis delapsus fuit sui Majorum suorum immemor, nisi disertissimus simulque desertissimus à luce Veritatis & Charitatis convitiator Petilianus, ut Romanam Cathedram *Cathedram pestilentiæ esse* declararet?

Hunc non absimili æstro ac furore in Romanam Sedem percitus Martinus Lutherus æmulatus est: *Dogmata mea stabunt, & Papa cadet: invitis omnibus portis inferorum, & potestatibus aëris, terræ ac maris, Deus videat, an primò fessus defecerit Papa, an Lutherus.*

At nunc quis non stupeat, & exhorreat virum Ecclesiasticum, nunc *Aviti Academici*, nunc aliô tegmine phaleratum, sed Cornelij Jansenij dogmate adeò limphatum, non minori impudentiâ S. Petri seu Successoris Clementis XI. Cathedram conspuere, quam Ecclesiæ Desertor fecerat? neque enim tantùm contrà portas inferi omnesque terræ ac aëris potestates, seu Regales, ac Sacerdotales curias, Romanosque Pontifices velut in *malam causam irretitos*, Iactat inconcussum, invictum gestare Jansenium suum, quod Lutherus de seipso jactitaverat, sed & insuper qui Cathedram dicentis Pontificis nostri Clementis XI. per adfictam Eutichianam luem subruere, sed ingratus molitus fuerat, etiam definientis jam funditùs evertere, eversamque pessumdare nititur eâdem illâ, ad Alumnos Lovanienses Paræneſi utrôque rogô dignissimâ. Siquidem præmissa Cathedra, è qua Periodum, de quâ antè egimus, detonuerat, subdit: *Quam ego quidem potiorem reor istâ aliâ infallibilitatis Cathedrâ, quæ*

non est aliud præter inventum otiosorum hominum, mutuâ cæde per opinationum suarum dissonas & instabiles nænias (ut in imagine Pontificiâ videre per licet) sese perimentium. O! Vocem impudentiâ majori præcipitem! *Miror si hoc aliquandò ex tuo potuerit ore procedere, quod te tamen clamare pravitas tui compellit erroris. Sed mirum si in facie hominis tantum intervallum est inter frontem & linguam, ut in hac causa frons non comprimat linguam.* Itàne contumeliosô ore Apostolicam conspuis Cathedram, à cujus Judiciô ceu parvulus pendêre voluit Magnus Magister tuus Jansenius? Itàne innumeros Ecclesiæ Catholicæ Doctores ac defensores per *Commentum Hostes* suos triumphasse, & per nænias dimicasse dicturus es? & ut laboribus, studiis, sudoribus parcerent, in molli otiosorum commento repausasse vel cogitare audebis? Hæc te non docuit, cum prima lugeres pietatis stillicidia, mater tua, neque apud Grudios, cum eas auras carperes, eâ imbibisti aconita, quibus Matris tuæ Ecclesiæ Romanæ intima venenares. Et si vel tum Jansenii Librum libare cœperis, saniora, dulcioraque Romano filio digna submissionis ac Reverentiæ stillicidia prægustare potuisti; nisi, quod absit, etiam tenellus alumnus, eô, quô nunc turges, venenô labia amaricasti in Jansenium devotus, & in Matrem Ecclesiam impius. Habet *Ecclesia Catholica & ex hâc calumniâ fructus suos.* Nam *omnibus errantibus utitur ad profectus suos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim gentibus ad materiam operationis suæ: Hæreticis ad probationem doctrinæ suæ: Schismaticis ad documentum stabilitatis suæ; Judæis ad comparationem pulchritudinis suæ.* Est & hoc quoque aliis utile, ut evigilent, dum Ecclesiæ Doctrinam Authoritatemque per novos hæreticos arietari con-

Aug. l. 11. cont. Iul. c. 5.

S Aug. l. de Verâ Relig. cap. 6.

ſpiciunt. *Multi*, ait Auguſtinus, *ad quærendum pigri, niſi per moleſtias & inſultationes hæreticorum quaſi de ſomno excitentur, & de imperitiâ ſuâ erubeſcant ſibi, & de illâ imperitiâ periclitari ſe ſentiant.* Interim *L. 2. de Gen. cont. Manich. cap. 1.*

Nunc vide, Avite, quid tibi expedit. Redire te cupimus, non perire. Fruſtrà inflatam linguam voce ſuperbiente dilatas. Alumnos Academicos non veraciter paræneſis iſta docêre voluit, ſed ſubtiliter fallere, & hoſtiliter perdere, ut aliquos eorum tuæ adderes parcitati, ſeu potiùs, quâ gloriaris, Janſenianæ paucitati. Si Chriſtianô corde erubeſceres; contremiſceres, ſi vel ab hæterodoxo objiceretur tibi: *Cathedra infallibilitatis Pontificiæ Romanæ non eſt niſi commentum otioſorum hominum.*

Tantumne apud te unus valet Janſenius, ut contrà Janſenium Sedem Romanam deſeras, & deſerendo non modò Janſenij humilitatem inſimules, qui huic ſua ſcripta ſubdidit, ſed Auguſtinum ipſum, cujus obtentu Janſenium tuêris, ambis, exhonores & exarmes, utpotè Apoſtolicæ hujus Cathedræ judiciô in tam excelſo Authoritatis culmine ſublimatum? Niſi fortè Cathedra iſta in damnando Janſenio fallibilis & in conſecrando Auguſtino falli neſcia tibi videatur. Sed hæ ſunt inſtabiles næniæ hominis propriô acinace ſe perimentis, & Manichæorum exemplô in Pontifice, quæ ſibi collubita ſunt probantis, atque ità non Pontifici, ſed ſuo ſenſui credentis. Dicerem *tibi quod* Auguſtinus Juliano: quô ore, quâ fronte, omnium Catholicorum, Sanctorum Patrum, imò & Conciliorum à ſolis ortu uſquè ad occaſum ſenſa otioſorum hominum audeas appellare commenta, niſi fors regereres me gratis tantam molem Authoritatem tibi oggerere. Quâpropter quam veneranda, quam falli ignara quam invicta ſit

Romana illa Cathedra, totius mundi Reverentia, atque indissolubilis Sanctorum Patrum consensio te docebit. Interim cede Deo, & ne me cedas. *Digere paulisper crapulam contentionis*, & intellige quid ab ipsis nascentis Ecclesiæ incunabilis corde uno, unâ fide de Petri Cathedrâ, & Successorum ejus dixerunt, qui nos præcesserunt: & intelliges omnium contestatione non dissonante firmatam Apostolicæ Cathedræ infallibilitatem. Sed dum Antiquorum facta Pontificum Romanorum digerere nondum potis es, Antidotum Leoninum recipe: *Aliud sunt merita Præsulum, aliud jura Sedium:* & illud Augustini circà objectum à Donatistis crimen Marcellini: *In illum ordinem Episcoporum, etiamsi quisquam Traditor per illa tempora subrepsisset, nihil præjudicaret Ecclesiæ, & innocentibus Christianis, quibus Dominus providens, ait: Quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite: ut sit spes certa fidelibus, quæ non in homine, sed in Deo collocata numquam tempestate Sacrilegi schismatis decipietur.*

S. Leo ep. 62.

S. Aug. ep. 165.

§. 10.

Romanæ Sedis seu Cathedræ firmitas contrà Avitum Academicum S. S. Patrum, Conciliorumque generalium irrefragabili consensione roboratur.

Cui Ecclesiæ (Romanæ) *Præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses. Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondêre Conciliis, nisi quod Antiquitùs Apostolica Sedes, & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia.* S. Aug. l. 1. con. Jul. c. 4.

Ad hanc enim propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undiquè fideles. S. Iræneus l. 3. contrà hæreses cap. 3.

Qui Cathedram Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit? S. Cyp. de Unitate Eccl.

NOn quidem omnium de hac re sententias, nec omnes eorum, quos commemorabo, me congregaturum esse polliceor, quià nimis longum est, & necesse esse non arbitror: sed ponam pauca paucorum, quibus tamen contradictor noster cogatur erubescere, & cedere, si ullus in eo vel Dei timor, vel hominum pudor tantum malum pervicaciæ superaverit. Ità respondêre tibi debeo, Avite Academice, ut cog- *L. cont. Iul. c. 3.*

noscas & fatêaris quam non inaniter, quamque veraciter non otiosi homines, sed tanti Christianorum Rectores, Doctoresque Populorum hoc in Ecclesia Dei didicerint, & docuerint, quod verisimili novitate deceptus cupiebas evertere.

L. 3. c 1. *Si autem, quod abs te Dominus avertat, vel sic cor tenebratum habueris, ut intelligere illa non possis; vel ex eo numero fueris, quos in Sanctis Psalmis veritas notat dicens, noluit intelligere, ut benè ageret*: De qualibus item Scriptum est: *Verbis non emendabitur servus durus, si enim & intellexerit, non obaudiet*; nec sic erit iste instructuosus labor, vel meus vel aliorum, qui per Christi gratiam contrà hunc errorem depugnant. Multò ampliores enim erunt, quos antiqua veritas vel instauret defensa vel corrigat, si non defuerunt, quos irrepens error insolutus aut subverteret, aut moveret. Atque

L. 1. c. 3. Imprimis *Irenæus Lugdunensis Episcopus non longè à temporibus Apostolorum fuit.* Iste ait de Cathedrâ istâ, quam *Commentum otiosorum Avitus* contumeliosô ore deblaterat; *Maximam & antiquissimam & omnibus cognitam à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo* Romæ fundatam & constitutam dicit eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem &c. & subdit: *Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam*, hoc est, *eos, qui sunt undiquè Fideles. In quâ semper ab his, qui sunt undiquè, conservata est eâ, quæ est ab Apostolis traditio.* At verò commentum otiosorum hominum esse non potest Cathedra ista, seu Sedes Romana, *ad quam necesse est omnem Ecclesiam convenire*; & commentorum Sedes esse non potest, in quâ semper *conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio.* Igitur vel primum Lugdunensis Antistitis Elogium exsufflat

S. *Irenæus 3. adv. hæres c. 3.*

sufflat commentum Aviti, & nænias ejus, premitque, & fauces comprimit. *Tenendum enim est quod Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus accepit à Deo*, ut habet regula Tertulliani Avito Academico non usquè adeò invisa, ob fidelissimam traditionis illius divinæ custodiam atquè in defectibilem traducem. Idem S. Iræneus sensum suum pandit lucentissimè, quid de his censendum sit, qui à Romanâ Cathedrâ seu magisteriô excurrunt : *confundimus*, inquit, *omnes eos, qui quôquô modò vel per sui placentiam malam, vel per vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam sententiam præterquam oportet, colligunt.*

Videsne antiquum hominem Dei, quid de Ecclesiæ Romanæ Sedisque prærogativa sentiat? An ut fabilones Hæreticos confundat Lugdunensis iste Præsul, Apostolis usquè adeò vicinus ad Romanam Sedem ceu *commentum* relegat, ut ab ea discant non fabulas per veritatem ablegare, sed fortè an fabulas pro veritate suscipere? *Et quid ad eam omnem convenire Ecclesiam necesse est?* num ut fortè à Romano Antistite è Cathedrâ sententiam dicente hæresim discat, qualem è Cathedrâ, & quidem potiori eâ infallibilitatis Cathedra promanasse infrunitè admodum, sed tamen pertinaciter effutiit *Avitus* locô suprà citatô. Sententia ista, Avite, tua, ità in Irenæo falsa est, sicut in te vera Credis, sed opinanti stultitiæ, non ratiocinanti sapientiæ. *Aufer tuas nebulas ab istorum serenitate verborum.* *L. 1. cont. Iul. c. 3.*

Nequè Tertullianum Africanum istum Catonem, quamquam & à fidei tramite devium, præterire fas est, qui de assentatione suspectus non esse possit, qui & ipse à Romanâ fide defecit eâque traditionis lege, quam contrà hæreses ipse præscripserat. Quid hic de Cathedrâ, Sedeque edisserat, audiamus: *Ista*, inquit, *quam felix Roma, cui* *Tertullianus*

cui totam Doctrinam Apostoli cum Sanguine profuderunt. Felicitatem porrò istam in ejus principatu ejusque fidei contesseratione collocavit, ut ex illa probatam faceret Africanæ Orthodoxiam Ecclesiæ, nempè quià à Romanâ rudimenta & fundamina acceperat, & per hanc *tesseram* Orthodoxos ab Heterodoxis discriminor: *Undè*, inquit, *nobis Authoritas præsto est*, & ut Africanæ sinceritate fidei, falsitatem Hæreticorum revincat, ad Matrem ac Magistram Romanam Sedem sese recipit: *Videamus quid docuerit, quid cum Africanis Ecclesijs conteßerant, unum Deum novit, &c.*

Hoccine, Avite *Commentum est otiosorum hominum*, è quo septimius Africanæ Ecclesiæ derivat veritatem, undè Arrham, pro fidei integritate, seu contesserationem implorat in testem? Non fuit otiosus ille Africanus Cato *omnium Ecclesiarum sermone celebratus, omnium litterarum genere peritus*, ut scribit Eusebius. *Quo*, teste Hieronymo, *Quid acutius? Cujus quot verba, tot sententiæ, quot sensus, tot victoriæ, qui Marciones, Apelles, Praxeas, Hermogenes, &c. Voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit, Apud Latinos facile Princeps nisi consequens error detraxisset scriptis Authoritatem.* Si cum Avito Romanam Cathedram commentum esse Septimius senserit; non ipse Marcionitarum, aliorumque monstrorum victor oravit, sed victus turpiter succubuit.

Eusebius in Chronice,

Multò autem apertiùs de eadem fide Beatissimus Martyr & Episcopus Cyprianus, qui Cathedram, inquit, *Petri, super quam fundata est Ecclesia, deserit, in Ecclesia se esse confidit?* At nonnè plus est *Cathedram Petri commenti* opprobrio lutulare, quam deserere? quomodò Avitus *Cathedræ* illius illusor, irrisorque in Ecclesiâ se esse se confidit?

S. Cyprianus.

L. 1 cont. Iul. c. 3. S. Cyp. lib. de Vnit. Ecc.

Præ-

Præmiserat autem idem Doctor : *Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia & Cathedra una monstretur.*

De hâcce Cathedrâ ad Cornelium Papam scribit : *Petri Cathedram atque Ecclesiam Principalem, undè unitas Sacerdotalis exorta est.* Epist. 55.

De hujus Cathedræ invictissimâ inerrabilitate dicit contrà Schismaticos : *Nec cogitate eos esse Romanos, quorum fides Apostolô prædicante laudata est, ad quos perfidia habêre non possit accessum.* Ibid.

En commentum otiosorum hominum, Avite Academice, sed ad quod perfidia non habet accessum, ergò nec Eutichiana, nec Nestoriana, nequè Pelagiana nequè Jansseniana, sed habet omnis hæresis quid ab eâ discat, undè aut corrigatur, aut justâ severitate medicinaliter castigatur. Nam de Cathedrâ istâ rursùm pronuntiat idem S. Cyprianus ad Cornelium eundem scribens : *Scimus nos hortatos eos esse ; ut Ecclesiæ Catholicæ radicem, & Matricem agnoscerent & tenerent.*

In hujus Cathedræ unitate se fundat contrà Schismaticum Pelicianum : *Deus*, inquit, *unus est, & una Ecclesia super Petrum Domini voce fundata. Quisquis alibi collegerit, spargit. Adulterum est, impium est, Sacrilegum est, quocumque humano furore constituitur, ut divina dispositio violetur.* Epist. 45.

Et ad Antonianum commonet, ut ità segerat, ut Romanus Pontifex *sciat te secum, hoc est, cum Ecclesiâ Cathedrâ Communicare.* Nonnè est hæc omnia Præclarissimi Martyris effata, elogia monitave ludibria sunt & præstigia, si Romana Cathedra sit erroribus obvia, si non nisi commentum otiosorum sit, hujus Cathedræ firmitas, hujus matricis integritas inviolabilis, hujus Magistræ in docendo omnem Ecclesiam infallibilitas ? Enim verò, si Avitus ad hanc Cathedram Epist. 52.

thedram non accedit, qui credit Romanos Pontifices in malam causam irretiri posse, hæresim statuere, & probatissima dogmata velut pestifera damnare; ut quid ad Matrem hanc & Cathedram omnium Ecclesiarum Cyprianus remisit & hæreticos Schismaticosque hujus Sedis Authoritate confudit? Nondum cernis, Avite, quò te probrosa lingua præcipitem egit? Nondum evidentia veritatis nebulas erroris tui dissipabit?

I nunc, & cum Hæreticis Primatum hujus Cathedræ, & cum alijs quibusdam plenitudinem potestatis pontificiæ infestantibus, Cyprianum ipsum objice Stephani Cathedræ obluctantem; hoc enim si fecit, quomodò Cyprianus se in Ecclesia esse confidit? Cum ipso docente Cypriano id nemo fidere possit, *qui Cathedram Petri, supra quam fundata est Ecclesia, deserit*? Quomodò Romanos Cyprianus ille non deseruit, *ad quos perfidia habere non possit accessum? Quomodò Ecclesiæ Catholicæ radicem & Matricem agnovit, ac tenuit*? Quod si, quod humanum est, Cypriani dictis veridicis facta non responderint; respondebit tibi Africanum Decus quod Donatistis: *Correxisse illam sententiam non invenitur, non incongruenter tamen de tali viro existimandum est quod correxerit, & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore delectati sunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quodque in Catholicâ unitate permansit & Charitatis ubertate compensatum est & passionis falce purgatum sit*, nempe quod non tam errando circa baptismum, quam non acquiescendo contraxerat. Alioquin non minori severitate censuræ fuisset à S. Stephano perstrictus, quam Firmilianus Cæsariensis in Cappadocia Episcopus, utpote à communione præcisus, qui & posteà scribere ausus est contrà Stephani Decretum: *nihil innovetur: cæterum nos*, nempe Asia-

S. Aug. ep. 48 ad Vinc.

Asiatici & Cilices & Pontici quos in suam factionem traxerat, *veritati & consuetudinem jungimus; & Consuetudini Romanorum consuetudinem, sed veritatis opponimus, ab initio hoc tenentes, quod à Christo, ab Apostolis traditum est.* Quamquam Decretum Stephani, sicut & Nycænum canonem de non rebaptizandis hæreticis, non omnes Amplexati sint Patres disputantes, num ad dogma, num ad *mutabilem disciplinam* pertinerent; de quo Amphilochius consuluit Basilium, qui ob Romanæ Cathedræ reverentiam veritus fuit quidquam definire.

Si verò Dogmaticæ Stephani definitioni S. Cyprianum obluctatum usquè in finem velis; videsis, ne Martyrem exhonores, Martyrique Lauream tollas: nam quidquid extrà hanc *Ecclesiam suprà Petram Domini voce fundatam colligitur*, spargitur, *adulterum*, *impium*, *sacrilegum est*, ipsô Judice Cyprianô.

Et quomodò Donatistis exemplum Cypriani objicientibus, humilitatem Cypriani reposuisset Augustinus? *Vos nobis objicere soletis Cypriani Litteras, Cypriani sententiam, Cypriani Concilium: Cur Authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & ejus exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis?* Si Cyprianus Matricem & radicem Ecclesiæ Catholicæ, id est, Romanam, *Cathedramque Petri super quam fundata est Ecclesia usque in finem deseruisset*: Non id erat per schisma unius plurium schismata velle sanare? *L. 2. contra Donatistas cap. 3.*

Si ad orientem provocet nos Avitus, non deerunt magni nominis & famâ celebertimâ illustres Episcopi, quorum eloquia ingentis meritô gratiæ etiam in linguam translata usquèquaque claruerunt. Sedeat ergò & cum illis Patribus S. Basilius. Hic ad S. Athanasium, quanta sit Episcopi Romani Authoritas in decidendis fidei quæ- *Basilius.*

stioni-

stionibus his verbis indicat rogitans, *ut quoniam difficile est ut communi ac Synodico Decreto aliqui mittantur, ipse* (Pontifex Romanus) *suâ Authoritate usus eligat* .... Deinde de Marcelli hæresi damnandâ subdit, *ut Marcelli hæresim cum venerint tamquam malam ac noxiam, & à sanâ fide alienam exterminent.*

Ep. 52. ad S. Athanas.

Sedeat & cum eo S. Gregorius Nasianzenus & perseverantiam fidei suæ Romanæ Cathedræ dignitati ferat in acceptis in carmine de vitâ suâ.

Et certa perstat nunc item nexu pio
Quocumque labens sol videt devinciens:
Ut universi Præsidem Mundi decet,
Totam quæ colit numirus concordiam.

Optatus Milevit. l. 2. cont. Parm.

Et ne Ecclesiæ unitatem, ceu inconsutilem Domini tunicam, laceret Avitus, Optatum audiat, & videat quo argumento Donatistas extrà Ecclesiam demonstret. *Negare*, inquit, *te non potes scire in urbe Roma Petro primo Cathedram principalem esse collatam, in quâ sederit omnium Apostolorum Caput, undè & Cephas appellatus est. In quâ unâ Cathedrâ unitas ab omnibus servaretur; ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, ut jam Schismaticus & peccator esset, qui singularem Cathedram contrà alteram collocaret.* Non jam ego, sed unitatis iste Defensor glorioſissimus hujus Cathedræ temeratorem perstringat: *Quid contrà Cathedram Petri Vestris præsumptionibus & audacijs, sacrilegio militatis?*

Et quid fluctuantem inter Ecclesiæ turbines gravissimos stitit Hieronymum, nisi quam velut fidei Anchoram prensarit Damasi Pontificis CATHEDRAM? CATHEDRAM PETRI, *& fidem Apostolico ore laudatam censui consulendum. Indè nunc animæ postulans cibum, undè olim Christi vestimenta suscepi* ... *Ego nullum primum nisi Christum sequens, beatitudini tuæ*, id est, *Cathedræ Petri com-*

S. Hieron. Ep. 57.

communione consocior: super illam Petram ædificatam Ecclesiam scio. Extrà hanc domum quisquis agnum comederit, prophanus est: si quis in Arcâ non fuerit, peribit regnante diluvio. Quicumque tecum non colligit spargit: hoc est, *qui Christi non est, Antichristi est.* Et alibi: *Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus est.* Huncne Apostolicæ Cathedræ veneratorem otiosum hominem audebis appellare, Avite, cujus *nobis eloquium ab oriente usquè ad occidentem ad instar lampadis resplenduit. Hic omnes vel penè omnes, qui antè illum ex utrâque parte orbis de doctrinâ Ecclesiasticâ scripserant legit, nec aliam de hâc re tenuit prompsitque sententiam.*

Epist. 28. ad eundem Damasum.

Aug. l 1. cont. Iul. c. 7.

Nonnè & ipse Pelagius initiô erroris sui hanc Cathedram agnovit, & ejus Judiciô dogmata suâ se subdere velle significatum venit ità scribens Romano Pontifici? *Hæc fides est Papa Beatissime, quam in Ecclesiâ Catholicâ didicimus, quamque semper tenuimus & tenemus. In quâ si minus peritè, aut parum cautè aliquid fortè positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem & Sedem tenes. Sinautem hæc nostra Confessio Apostolatûs tui judicio comprobatur, quicumque me maculare voluêrit, se imperîtum vel malevolum, vel etiam non Catholicum, non me hæreticum comprobabit.*

Veniat in conventum istorum Patrum Maximus Catholicæ Ecclesiæ Doctor omniumque monstrosorum Debellator inclytus Aurelius Augustinus, & cum eis tuæ Criminationis, Avite Academice, inanè patiatur invidiam, dum tamen cum eis contrà pestiferam linguam tuam medicinalem proferat & ipse sententiam. Non hic per *instabiles nænias* contrà fidei hostes, sed invictô verbi gladiô depugnavit, in *commento otiosorum hominum* supinus requievit, dum Apostolicæ hujus Cathedræ mucrone inimicos gratiæ jugulavit. Non sibi *Commentum* delegit, sed in Petri

tri Sodilissimâ petrâ stetit, dum Donatistas fidei Charitatisque exortes, & Ecclesiâ extorres esse monstravit.

Atquè imprimis quid est quod S. Augustinum in Ecclesiâ Catholicâ inconcussum tenuit? nonnè inter cætera hujus Cathedræ firmitas velut anchora fixit? *Tenet*, ipsô fatente, *ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem suam Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.* Nonnè hujus firmitatem Cathedræ in caput Donatistarum ab eâ exerrantium idem Doctor illisit in psalmo suo contrà Partem Donati intonans?

S. Aust. cont. Ep. Manich. cap. 4.

Numerate Sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede,
Et in ordine illo Patrum, quis cui successerit videte:
Ipsa est Petra quam non vincunt superbæ inferorum portæ.

Numquid huic Cathedræ præsidentem à vero traditionis tramite deviare luculenter edocuit Julianum, dum aliorum quidem pondere Patrum pressit, sed unius Romanæ Cathedræ Moderatoris Innocentij primi authoritate oppressit? *Puto*, inquit Juliano, *tibi eam partem orbis sufficere debere, in quâ primum Apostolorum suorum Dominus glorioſissimo martyrio coronavit. Cui præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses; Jam tunc periculosam juventutem tuam pelagianis laqueis exuisses.* Caûsam accipe: *Quid enim potuit vir ille Sanctus Africanis respondêre Conciliis, nisi quod antiquitùs Apostolica Sedes & Romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia?*

L. 1. cont. Iul. c. 4.

Nonnè hujus Cathedræ judiciô Pelagianos ut hæreticos totô orbe damnatos censuit, nisi pœnitentiam egerint? *Conciliorum Episcopalium vigilantiâ, in adjutorio Salvatoris, qui suam tuetur Ecclesiam, etiam à duobus Venerabilibus Antistitibus Apostolicæ Sedis Papa Innocentio, & Papa Zozimo, nisi*

S. August. ep 157.

nisi correcti etiam egerint pœnitentiam, toto Christiano orbe damnati sint.

An non hujusce censuram Cathedræ ad fidei controversiam dirimendam, finiendamque sufficere satiatissimè evictum dedit, cum de damnatis à Sede Romanâ loquens ait: *Prorsùs ubi tales inveneritis, occultare nolite. Redarguite contradicentes, & resistentes ad nos perducite.* Additâ ratione peremptoriâ: *Jam enim de hac causa duo Concilia Missa sunt ad Sedem Apostolicam, indè etiam Rescripta venerunt. Causa finita est. Utinam aliquandò finiatur error.* *Serm. 2. de Verb. Apost. cap. 10.*

An non ad hanc perniciem damnandam Synodi congregatione opus non esse ad Solis Jubar splendescere fecit idem Doctor scribens Bonifacio Papæ, *aut verò Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur? Quasi nulla hæresis aliquandò, nisi Synodi congregatione damnata sit, cum potiùs rarissimè inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit: multoque sint atquè incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruêrunt, atquè indè per cæteras terras devitandæ innotescere potuêrunt.* *L. 4. ad Bonif. c. 12.*

Numquid eosdem Pelagianos, denegatâ audientiâ, solâ pœnitentiâ docet esse sanandos scribens ad eundem Romanæ Cathedræ Antistitem: *Adhuc insuper efflagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam?* *L. 1. c. 24.*

Numquid superbiam Pelagianorum à Sede Romanâ damnatorum, & Synodum ex toto orbe cogendam appellantium, Augustinus repressit, temeritatemque explosit his verbis: *Verùm istorum superbia, quæ tantùm se extollit adversùs Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis & Occidentis Synodus congregetur. Orbem quippè Catholicum, quoniam* *L. 4. c. 12.*

niam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovêre conantur. Vin Apostolos appellantibus indultos? *Cum potiùs*, ait, *vigilantiâ & diligentia pastorali, post factum illis competens sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur atque mutentur, sivè ut ab aliorum salute atque integritate vitentur.*

Nec quià S. Augustinus ad aliquas, licet rarò, hæreses condemnandas censuit Synodi Congregationem esse necessariam, aliquid Cathedræ Apostolicæ detraxisse visus est: hoc namquè non ad certitudinem rei definitæ & rectitudinem sententiæ desiderabatur, sed ad improbitatem contumaciamque revincendam impellendamque, prout Donatistis Constantinum indulsisse idem Augustinus refert: *Dedit ille aliud Arelatense judicum aliorum Episcoporum: Non quià necesse erat, sed eorum perversitatibus cedens, & omnimodo cupiens tantam impudentiam cohibêre.* Epi. 162.

Nequidem Doctor contrà Donatistas agens vel Concilij, vel Pontificis, decisionem supposuit, dum anteriora respiciens tempora, quibus *nondum erat diligenter illa baptismi quæstio pertractata*, & dixit *in qua tamen si aliud alij, & aliud alij adhuc de istâ quæstione salvâ pace sentirent, donec universali Concilio unum aliquod eliquatum sincerumque placuisset; humanæ infirmitatis errorem cooperiret Charitas Unitatis.* Alioquin si liberum foret aliud in fidei quæstione salvâ pace sentire, donec universali Synodo *unum aliquod eliquatum sincerumque* placuisset, licet Romana Sedes causæ terminum posuisset; habebant Pelagiani, undè totum orbem Christianum commoverent, novam audientiam efflagitarent, & de opinandi libertate ademptâ conquererentur, & sese ut hæreticos Africanis Conciliis ab Apostolicâ Sede ratificatis proscriptos ejularent. Atque

L. 2. cont. Donatist. cap. 7. L. 1. c. 18.

Atquè ipsa Augustini arma sibi commissa colliderentur, dicentis Juliano: *Nec amplius vobiscum agendum est, quantum ad jus examinis pertinet, nisi ut prolatam de hâc re sententiam cum pace sequamini.* Item: *Vobisque sufficiat quod vos Ecclesia Catholica & maternâ lenitate sustinuit, & judiciariâ severitate, seu potiùs medicinali necessitate damnavit.* Ibid.

Transiliamus modò Sacratissimos Apostolicæ Sedis Antistites jura sua altô præconiô populis fidelibus non ingratijs debuccinantes, quià cum criticis nobis conflictus est, qui suspectationis obtentu & quasi jure inficiabuntur pro se, id est, Cathedræ privilegio jus dicere potuisse. Præsto sunt & alij, qui veterum Chorum Patrum stipent, & *Commentum* Aviti Academici, ad Poëtarum antra ablegent, Devoti utique in Deum, & quem Sponsæ suæ Ecclesiæ Custodem legavit Sponsus Christus, debitâ veneratione suspicientes *Petrum*, & Successores ejus.

Adsunt, inquam, & alii Sanctissimi moribus ac Doctrinâ præstantissimi, qui pro *Romana Catholica contrà* inferorum ludibria, criminationes, opprobria, arma procuderunt tutelaria, damnaruntque Avitos, Vincentios, Paulos Aurelios & hujus commatis criminatores alios, antequam mundo satos, & huic mundo natos. Itàque

De Cathedrâ istâ excellentissimè pronuntiavit S. Cyrillus Alexandrinus, dum *inconcussam & firmissimam sensit*: Hujus Cathedræ non otiosus scrutator extitit venerabilis Beda dicens: *Undè nos necesse est & fidei quam docuit, Sacramenta discere.* Stultitiæ quoque insimulans Abbatem Pothonem, qui ad hanc Sedem rebatur perfidiam accessum parare posse. *Stultitiæ denotandi sunt*, infit, *elogio qui illam Petri Sedem aliquo pravo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi unquam falli potuit.* S. Cyrillus Alex. l. 4. Dial. de Trin. Vener. Beda in Chronico ad an. 865.

De hâc Cathedrâ illustre testimonium dixit S. Petrus Damianus: *Illa Mater & Magistra Ecclesiarum omnium Ecclesia Romana, cui dictum est: ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua.*

Damianus serm. 23. de S. Ioan. Bapt.

Plus ultrà progressus confidenter edixit: *Qui autem Romanæ Ecclesiæ Privilegium ab ipso summo omnium Ecclesiarum Capite traditum auferre conatur, hic proculdubio in hæresim labitur.*

Opus. 5. c. 1.

De Cathedrâ istâ non otiosus, nequè Næniarum Venditor, nequè Romanorum Antistitum Assentator, sincerè prolocutus est: *Petri adimpletis vicem, cujus tenetis & Sedem, si vestrâ admonitione corda in fide fluctuantia confirmatis: si Vestrâ Authoritate conteritis fidei contemptores.*

S. Bernardus epist. 190.

De eâdem non segnis Ecclesiæ Defensor & Martyr Thomas Cantuariensis Archiepiscopus & Angliæ Primas confessus est, & non negavit: *Quis Romanam Ecclesiam Caput omnium Ecclesiarum, & fontem Catholicæ Doctrinæ Ambigit esse? Nonne in fide & doctrinâ Petri totius Ecclesiæ structura consurgit, donec occurramus omnes in virum perfectum, in unitatem fidei, & agnitionem filii Dei?*

S. Thomas Cantuarien. epi 97.

Albertus Magnus pro firmitate Sedis hujus ità arguit: *hoc argumentum efficax est pro Sede Petri & Successore ipsius, quod fides ejus non finaliter deficiet.*

Princeps autem Scholasticorum Thomas hujusce Cathedræ prærogativam Angelicè delineat his verbis: *ad illius prærogativam pertinet determinare ea, quæ sunt fidei, ut ab omnibus inconcussâ fide teneantur.* Et alibi: *nec est necessarium, quod ad ejus expositionem faciendam* (nempè Concilii) *universale Concilium congregetur.*

S. Thomas Aquinas 2. 2. q. 1. a. 10.

De potentia q 10 art. 4. ad 13.

Spectasti, Avite Academice, non viros *otiosos per instabiles nænias mutua sese clade perimentes* de infallibilitatis Romanæ Cathedræ privilegio diffseren-

ſerentes ac velut Commentum quoddam, quo deludantur, amplexantes; ſed veluti, ſicut eſt, Domini promiſſione Petri factâ ſolidiſſimam petram, contrà quam portæ inferi, id eſt, hæreſes ab orcô revocatæ non ſint prævalituræ? Audiſtis pauca paucorum, ſed Illuſtriſſimorum Eccleſiæ Doctorum atque Athletarum teſtimonia omni ſole lucidiora. Non eſt, quod omnium de hac re ſententias in medium adducam, quiâ ſi his victas non dederis manus, plurium moli non cedes Patrum, & Epiſcoporum. Interim iſtos *aſpice, iſtos erubeſce, iſtis parce, vel tibi potiùs, ne Rector & habitator illorum fortè non parcat*, dum otioſos homines eos vocas, qui infallibilitatem Romanæ Cathedræ venerantur. *S. Aug. l. 1. cont. Iul. cap. 5.*

Iſti enim viri ſunt, qui in Eccleſiâ Catholicâ doctrinæ ſtudio claruèrunt; ſpiritalibus armis muniti & accincti ſtrenua contrà hæreticos bella geſſerunt, perfuncti fideliter ſuæ diſpenſationis laboribus in pacis gremio dormierunt.

Itàne tuum hic amabis errorem... ut ab iſtis Catholicæ unitatis & veritatis Sacerdotibus diverſis orbis terrarum partibus tantâ inter ſe fidei concordiâ congruentibus, in tam magna cauſa, ubi Religionis ſumma conſiſtit, non ſolum diſſentire, ſed eos audeas Manichæos (otioſos homines) *inſuper nuncupare?*

Sed ſubmutientem audio: ſingularia iſthæc ſunt Patrum, Epiſcoporum, Doctorumque placita, quæ non faciunt concordiſſimam totius Eccleſiæ conſenſionem. Ad Concilia, præſertim Generalia Jus Cathedræ Romanæ devocandum foret, & nî illic Cathedra iſta ſtabilita fuerit; nutabit ſemper. An neſcis, Avite Concilia etiam Generalia illius Cathedræ munimine indigêre? igitur nunc Cathedræ Apoſtolicæ firmitas non à ſolo Concilio, ſed ab illius Cathedræ princi-

palitate dijudicanda erit. Ut ut sit, ad ipsa Concilia si eundum sit, eatur. Controversias jam olim diremptas, & argutiuncularum solutiones non repetamus. Breviter, quis sit Ecclesiæ ergà Cathedram Romanam sensus, ex Conciliis ipsis dispiciamus: nam si hæc Cathedræ isti suffragium dederint, nonnè sicut Ethnicus & Publicanus erit censendus apud Catholicos universim omnes, qui Cathedræ Romanæ sese abjunxerit, qui detraxerit, & qui per summam calumniam Infallibilitatem illius *Commentum otiosorum hominum* pronuntiaverit? Atque imprimis Patres Concilii Carthaginensis, qui Pelagium, Cælestiumque damnaverant, Apostolicæ Sedis robur non postulassent, si Cathedram infallibilitatis illam pro *Commento otiosorum hominum* habendam censuissent. Rogant tamen Innocentium Papam: *Ut statutis nostræ mediocritatis etiam* APOSTOLICÆ SEDIS *adhibeatur Authoritas pro tuendâ salute multorum, & quorumdam perversitate etiam corrigendâ.* Quibus idem Pontifex rescribit eos pro debito officij id fecisse, *scientes* inquit, *quid Apostolicæ Sedis (cum omnes hoc loco positi ipsum sequi desideremus Apostolum) debeatur, à quo ipse Episcopatus & tota Authoritas nominis hujus emersit. Quam sequentes tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda.* Similiter & Patres Milevitani Concilij, inter quos S. Augustinus, eundem Pontificem consultum voluerunt, quibus rescripsit idem Innocentius: *Diligenter ergò & congruè Apostolico consulitis honori, honori inquam illius, quem præter illa quæ sunt extrinsecus, sollicitudo manet omnium Ecclesiarum super anxijs rebus, quæ sit tenenda sententia, antiquæ scilicet regulæ formam secuti quam toto semper ab orbe mecum nostis esse servatam.* Ad Concilia generalia properemus. Philippus Pres-

Epist. P.P. Conc. Carth. ad Innoc. I.

Responsum Innoc. I.

PP. Milevit.

Responsum Innoc. I.

Presbyter & Apostolicæ Sedis Legatus, nemine contradicente Legationis suæ mandata exposuit, & à fidei firmitate à S. Petro in Successores derivatâ ità auspicatus est: *Nulli dubium, imò sæculis omnibus notum est, quod Sanctus, Beatissimusque Petrus Apostolorum Princeps, fideique columna & Ecclesiæ Catholicæ fundamentum à Domino nostro Jesu Christo Salvatore humani generis accepit, qui ad hoc usquè tempus & semper in suis Successoribus vivit & judicium exercet.* *Conc. Ephes. 431.*

Perlectâ Epistolâ S. Leonis Papæ ad Sanctum Flavianum, in quâ Eutichetis Doctrinam damnarât ut hæreticam, & fidei Orthodoxæ normam præscribebat, Reverendissimi Episcopi clamaverunt: *Hæc Patrum fides, hæc Apostolorum fides. Et omnes credimus, Orthodoxi ità credunt, Anathema ei qui non credit. Petrus per Leonem locutus est.* *Concilium Chalcedon. 451.*

Et in Epistolâ Synodicâ ad laudatum Pontificem eum appellant *Fidei Custodem, & Sancti Petri Interpretem.*

Ad sextam Synodum Agatho Papa certa, quæ mutari nequeant, decreta dirigit hâc lege: *Qui verò hæc confitêri noluerint, ut infestos Catholicæ atquè Apostolicæ confessioni, perpetuæ condemnationis esse censemus.* Quid ad hæc Patres? Num Cathedram Apostolicam dixerint, non falli nesciam? Num reformabile ejus judicium? Absit. Quin potiùs, cum Dometius Episcopus Prusaidos has Agathonis *suggestiones tamquam ex Spiritu Sancto dictatas pronuntiasset*, totum Concilium sententiam Agathonis Epistolæ comprehensam suô calculô consecravit, & Macarium Patriarcham eam admittere retractantem exauctoravit. *Concil. VI.*

Et in primâ quidem Epistola dictus Pontifex de Apostolicæ Cathedræ stabilitate ac perennitate expresserat: *Hæc Apostolica ejus Ecclesia numquam* *Epistola Agathonis.*

quam à viâ veritatis in qualibet erroris parte deflexa est... Quæ per omnipotentis gratiam à tramite Apostolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit. Et utramque univerſus Patrum cœtus veneranter excepit his verbis: *Sancta & univerſalis Synodus ſuſcipiens & expanſis manibus amplectens.* Et in Epiſtolâ ad eundem Pontificem: *Tibi ut primæ Sedis Antiſtiti univerſalis Eccleſiæ quid agendum ſit, relinquimus ſtanti ſuper firmam Petri petram, libenter perlectis veræ confeſſionis litteris à veſtrâ paternâ beatitudine ad piiſſimum Imperatorem miſſis, quaſi ut à ſummo Apoſtolorum vertice divinè perſcriptas agnoſcimus, & per quam exortam nuper multiplicis erroris hæreticam ſectam depulimus.*

Epiſtola Synod: ad Agathonem.

Adrianus I. in litteris ad Imperatorem & ad Patriarcham Conſtantinopolinanum Actione 2. ſeptimæ Synodi lectis, de Petro & ejus Cathedra ſcribit: *Ex eâ cæteræ Dei Eccleſiæ fidei documenta ſumpſerunt: nam ipſe Princeps Apoſtolorum Beatus Petrus, qui Apoſtolicæ Sedi primitùs præſedit, ſui Apoſtolatûs Principatum ac Paſtoralis curæ Succeſſoribus ſuis, qui in ejus Sacratiſſimâ Sede ſeſſuri ſunt, dereliquit, &c.* Ad quas in Concilio reſpondit Joannes Sanctiſſimus Tauromaniæ Epiſcopus: *Cum velut divinus Orthodoxiæ terminus ſint litteræ, quæ ab Adriano Papâ Senioris Romæ ad pios Imperatores necnon ad Tharaſium univerſalem Patriarcham Miſſæ ſunt, ità profiteor.*

Conc. VII.

Synodus octava ſummorum Pontificum Nicolai, & Adriani Conſtituta, velut organi Spiritûs Sancti oracula habêri cenſuit his verbis: *Obedite præpoſitis veſtris tamquam rationem reddituri, Paulus Magnus Apoſtolus præcipit. Itaque beatiſſimum Papam Nicolaum tamquam Organum Sancti Spiritûs habentes, necnon & Sanctiſſimum Adrianum Papam ſucceſſorem ejus*, &c. Nequè ad eam

Conc. VIII.

Can 2.

Syno-

Synodum quisquam admissus est, qui non Professioni fidei ab Adriano II. missæ subscripsisset adjectâ ratione: *Quià non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia dicentis*: TU ES PETRUS ET SUPER HANC PETRAM ÆDIFICABO ECCLESIAM MEAM. *Hæc quæ dicta sunt rerum probantur effectibus; quià in Sede Apostolicâ immaculata est semper reservata Religio, & Sancta celebrata Doctrina. Ab hujus ergò fide atquè Doctrina separari minimè cupientes, & Patrum, & præcipuè Sedis Apostolicæ Præsulum sequentes in omnibus constituta, Anathematizamus omnes hæreses cum Iconomachis.*

Non sunt igitur otiosorum Commenta hominum Apostolicæ infallibilitatis Privilegia, sed Petri Jura, quæ nec in indignis, quod absit, Successoribus deficiunt. Pro his defensandis non injuriâ scripsit Sanctus & Magnus Pontifex Nicolaus Primus ad Sylvanectensem Synodum: *Privilegia Sedis nostræ usquè ad mortem divinâ annuente gratiâ, defendemus. Sed & apud vos illa, quatenùs illibata, utpotè totius Ecclesiæ Domini remedia, custodiantur.* Quoniam *Apostolicæ Sedis Privilegia sunt tegmina, ut ità dicamus, totius Ecclesiæ Catholicæ. Privilegia*, inquam, *hujus Ecclesiæ sunt Munimina circà omnes impetus pravitatum.* Hoc Privilegium vel tum saltem veneratus est Justinianus nondum Imperator, cum de articulis per Schytiæ Monachos ad Apostolicam Sedem relatis scripsit supplicans Hormisdæ Pontifici: *Quid suscipiendum sit, quid sequi, quid super hoc evitare debeamus, Paternâ provisione Reverentia vestra cautissimo suo Rescripto nos certiorare dignetur... hoc enim credimus esse Catholicum quod vestro Religioso responso nobis fuerit intimatum.*

Hujus venerationem Privilegii, attollit destructæ apud Germanos Christianitatis Restaurator Apostolus Bonifacius: *Tantâ reverentiâ apicem* S. Bonifacius

cem Apostolicæ Sedis omnes suscipiunt, ut sanctorum Canonum disciplinam, & antiquam Christianæ Religionis institutionem, magis ab ore Præcessoris ejus, quàm à Sacris Paginis & paternis traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantùm explorant, ut ad ejus arbitrium suam conversationem & ipsi remittant, aut intendant. Hæc ille Sanctissimus Bonifacius de Gallicanâ ergà Sedem Apostolicam observantissimâ obedientiâ.

Hujus Cathedræ Magisterium quisquis deserit, quisquis contemnit, jungit se Gregi eorum, de quibus ad Possessorem Hormisdas Papa: *Quando virus, quod viscera penetravit, evellitur? Quando corda malè sibi credula veritatis obtemperant institutis? Quando induit obedientiæ humilitatem opinionibus suis vallata superbia? Quando acquiescunt paci contentionum studiis assueti, sola certamina de Religione Amantes captare, mandata negligere? Numquam apud eos Charitas novo commendata præcepto, numquam pax Dominico relicta discessu: una pertinacis cura propositi, rationi velle imperare, non cedere. Contemptores Authoritatum veterum, novarum cupidi quæstionum, solam putantes scientiæ rectam viam quâlibet conceptam facilitate sententiam: eo usquè tumoris elati, ut ad arbitrium suum utriusque Orbis putent inclinandum esse judicium, nec in numero fidelium deputantes, sequaces traditionis paternæ, si suæ viderint cedere nolle sententiæ.*

Hormisdas Papa ad Possessorem.

Habesne, Avite Academice, adhuc aliquid quod adversùs Apostolicæ Cathedræ Defensores tibi docêre videaris, Quod non etiam in tam illustres, Sanctos, ac sapientes Ecclesiæ Doctores dicere compellaris, vel potiùs in istos? Non sunt ista commenta, quæ veneranda suspexit Antiquitas, non instabilium fundamenta *Næniarum*, quæ coactus non semel in unum Christianus

nus Orbis per proceres ſuos Sanctumque Senatum, ut Catholicæ fidei *Columnas*, fundamina, Magiſteria divina invicta, inconcuſſa, Domini Salvatoris promiſſione firmata crediderunt & tenuêrunt. Horum te movêre, & mutare debet tanta conſenſio. *Quod ſentiunt, ſentio, quod tenent, teneo, quod prædicant, prædico.* Niſi nebulas tuas auferas, ni pervicaciam ſerenitati tantorum verborum, Teſtimoniorum, argumentorumque ſubjicias; quid tibi ſuperſit, neſcio, niſi quod S. Bonifacius Sanctiſſimus Germaniæ Apoſtolus ad Orientales Illyrici Epiſcopos ſcriptum reliquit: *In Sancti Petri contumeliam quiſquis inſurgit, habitator cæleſtium non poterit eſſe regnorum, in quæ nullus ſinè gratiâ Janitoris intrabit.*

S. Bonifacius Germ. Apoſt.

Sed tu debes in talibus lacerandis & humana erubeſcere & Divina Judicia formidare. Lib. 2. op. poſt. cont. Jul. cap. 9.



SECTIO II.

§. I.

Avitus Ianſenianos ſuos juſtâ ſeveritate compreſſos inſulſè componit Martyribus.

Priùs probent ſe non eſſe hæreticos vel Schiſmaticos: tum demùm de indignis pœnis ſuis lividam emittant vocem, tum demùm ſe audeant, cum mali aliquid patiuntur, veritatis Martyres dicere. Aug. l. 1. cont. Parm. c. 8.

HÆc Donatiſtis falſam de Juſtiſſimâ Schiſmatis hæreſiſque ultione Martyrij laureolam ſibi pollicentibus Africanus Debellator intorquet, quemadmodum & alibi: *Martyrem non facit pœna, ſed cauſa* De Donatiſtis pergit ſciſcitari: *Quid enim non iſti juſtè patiuntur, cum ex altiſſimo Dei præſidentis & ad cavendum ignem æternum flagellis talibus admonentis judicio patiuntur, & merito criminum, & ordine poteſtatum?*

De erroris pervicaciâ pullulat iſta jactantia; ne alioqui, ſi Juſtam agnoſcerent ſeu pœnam, ſeu medicinam, culpam ſuam profitêri viderentur. Sic inflati liberi arbitrii inflatores *invidiam ſe pro veritate ſuſtinêre jactabant; ſed & pro fidei veritate labentis mundi odia promerêri.*

L. 5. cont. Iul. c. 1.

l. 1. op. poſt. cap 2.

Et ut ad Gemellam cum Janſenianâ, in ſenſu ſui Conditoris Pentade cauſam gradiamur: Defenſores trium Capitulorum, Theodori, Ibæ & Theodoreti contrà Romanorum Pontificum, Vigilij, Pelagij, ac Gregorij Magni peremptoria Decreta injuſtis perſecutionum turbinibus ſe objectari querebantur; nec tamen Præclariſſimus

mus ille Ecclesiæ Antistes hanc sortem miseratus iniquam est; quin potius hoc solaminis vice rescripsit: *Nulli fas est retributionem præmiorum exspectare pro culpa*: In quo Apostolico rescripto, quantà sit in decidendis Auctorum sensibus Romanæ Sedis Authoritas, quantaque Catholicis parendi & credendi Decretis illius necessitas incumbat, luculentissimè edicit, sicut & in aliis ejusdem Registri epistolis pro trium Capitulorum damnatione exaratis, prout in procursu Dissertationis hujus enitescet. Scribit itàque universis per Hiberniam Episcopis: *prima itàque Epistolæ vestræ frons gravem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem: nam nulli fas est retributionem præmiorum exspectare pro culpâ; debetis enim scire sicut Beatus Cyprianus dixit, Martyrem non facit pœna, sed causa. Dum igitur ità sit, incongruum nimis est de eâ vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam vos constat ad æterna præmia minimè provehi. Reducat ergò Charitatem vestram tandem integritas fidei ad Matrem, quæ vos generavit, Ecclesiam: nulla vos animarum intentio à concordiæ unitate dissocier, nulla persuasio repetendo vos â recto itinere defatiget. Nam in Synodo in qua de tribus capitulis actum est, aperto liquet nihil de fide convulsum esse vel aliquatenùs immutatum: sed sicut scitis, de quibusdam illic solummodò personis est actitatum, quarum una, cujus scripta evidenter à rectitudine Catholicæ fidei deviabant, non injustè damnata est.* Pergit: *Ut igitur de tribus Capitulis animis vestris ablatâ dubietate, possit satisfactio abundanter infundi: librum quem ex hac re Sanctæ memoriæ Decessor meus Pelagius Papa scripserat vobis utile judicavi transmittere. Quem si positô voluntariæ defensionis studiô, purô vigilantique corde sæpius volueritis relegere,*

S. Greg. l. 2. indict. 10. epist. 36.

legere, eum vos per omnia secuturos, & ad unitatem nostram reversuros nihilominùs esse confido.

Porrò autem si post libri hujus lectionem in eâ, quâ estis, volueritis deliberatione persistere, sinè dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Finaliter hotatur: *ut quoniam Deô suffragante fidei nostræ integritas in causa trium Capitulorum inviolata permansit, mentis tumore depositô, tantò citiùs ad Matrem vestram quæ filios suos expectat & invitat, Ecclesiam redeatis, quantò vos ab ea quotidiè exspectari cognoscitis.*

Cum ergò Romani Pontifices satiatissimè declararint quinque propositiones ex libro cui titulus *Augustinus &c.* Excerptas in sensu ipsius Jansenij se damnare, non rationi, sed obstinationi operam se dare demonstrant dictarum propositionum in tali sensu propugnatores; quos ideò *filios iniquitatis* appellat Alexander VII. Novella & pernicioſa Hæresis Ecclesiasticâ authoritate compressa est, ut multum miremur supersesse adhuc, qui Romanis Rescriptis conentur obsistere. Inter hos palmam pertinaciæ fert Avitus Academedicus, Vincentius Palæologus, & Paulus Aurelius. Avitus Academicus namque ob turbines, quos patiuntur Jansenij defensores componit temporibus Athanasij. *Componite tunc,* ait, *defectionem istam cum calamitate quam (sicut tum in causa Personæ Christi & Episcopi Athanasij) jam in causa gratiæ Christi & Episcopi Jansenij, patiuntur Christianæ Reipublicæ.* Et alibi: *Nescio an non adesse festinent tempora quibus Sponsa illa carissima, non jam per pressuras Gentium sed per pericula à Magistratibus populi, per pericula à falsis fratribus ità tremat & affligatur, ut, quemadmodum nuperrimè in penso Ecclesiactico recitavimus, si fieri posset, Redemptor ipsius eam prorsùs deseruisse ad tempus videatur.* Sectam ipsam Jansenianam,

Paraneſi Vindic. pag. 17.

pag. 20.

ut

ut hæreticam Petri ore notatam, insolentissimè vocitat Christi Sponsam & Matrem Ecclesiam, qui Ecclesiæ vocem spernit Avitus Academicus. Et in hoc à veterum genio Hostium Ecclesiæ non degenerat, signatè Juliani Pelagianorum Goliathi, qui non modò de paucitate suorum gloriatus est, questusque se mundi labentis odia invidiamque cum Symmistis suis pati, sed & Ecclesiæ pericula miseratus Turbantio gemebundus scripsit: *ut paribus orationibus oret pro Ecclesia, ne Augustini doctrinâ construpetur, orandus est hic Deus, frater beatissime Turbanti, Consacerdos dilectissime, ut paribus etiam hâc tempestate Virtutibus Ecclesiam Catholicam Filij sui Sponsam, maturam, fœcundam, castam, decoram à Manichæorum construpratione in Africâ vel ex Africâ latrocinantium eruere non moretur.* *Aug. l. 3. cont. Iul. c. 17.*

Sed hæc nostra potiùs oratio est, inquit Augustinus, *adversùs Manichæos & Donatistas, & alios hæreticos, vel quoslibet Christiani & Catholici Nominis inimicos in Africa constitutos.*

Concludo contrà Avitum verbis Augustini adversus Donatistas: *Quid enim non isti* (Jansenij Defensores) *non justè patiuntur .... & meritò criminum & ordine potestatum?* Et contrà Pelagianos: *Nolite de paucitate gloriari: & quod est vanius, dicere quod pluribus placeat dogma vestrum, & objicere nobis detestabilium dogma paucorum.* *L. 2. op. post. cont. Iul. cap. 3.*

§. 2. Au-

§. 2.

Audax Pauli Aurelij effatum pro defensione Theodoreti comprimitur.

Ipse tibi das Palmam contrà tot Antistites Dei? Aug. l. 2. op. post. cont. Jul. c. 12. *Frustrà inflatam linguam voce superbiente dilatas.* cap. 6.

Prolog. Galeat. §. 1 f. 4.

PRæfidentissimus ille Jansenii seu Augustini Europæi Propugnator, non modò jubente Veritate, urgente Charitate & stimulante æquitate, se patrocinium tanti Præsulis Doctoris, ac Herois susceпisse jactitat, sed & veritati & Ecclesiæ non ingratum exhibêre officium indicatum cupit, si insignem Episcopum à pestiferorum labe errorum emaculare, seu vindicare nitatur. *Enim verò*, infit, *non ingratum veritati & Ecclesiæ officium hactenùs præstare visi sunt, qui viros Magnos & de Religione benè meritos, & Eruditione singulari claros studuerunt ab impactis erroribus liberare. Nimirùm ad Eccleſiæ decorem spectat à Doctoribus intaminatis defensam fuisse, & ipsi etiam errori vires non exiguas detrahit, qui eundem Scriptorum memorabilium Authoritate privat. Nemo sanæ mentis v. g. Didymo in vitium vertet, quod Origenem, nemo Petavio quod Theodoretum &c. ab affricatis Hæresibus purgare contenderint.* Quid calumniaris? Quid falsò criminaris? mi Paule, ecquos & quales talium damnatores, velut errorum impactores insimulas, & simili livoris venenô afflatus protegendi Jansenij Provinciam susceпis, ut ab impactis & affricatis eum purges erroribus? Non iniqui impactores sunt,

sunt, sed justissimi, causâ plenè trutinatâ, damnatores, Alexandri, Innocentij, Clementes Apostolicæ Sedis Antistites. Debes in talibus lacerandis & humana erubescere, & divina judicia formidare. Tantumnè apud te potest Jansenius, ut à solis ortu usquè ad occasum tot ac tantos Catholicæ Fidei Doctores, & defensores, & nostræ ætati contiguos impactores hæresum audeas appellare? Vel unus sufficiebat Augustino Innocentius ad Juliani petulantiam comprimendam, cum dixit: *Cui Ecclesiæ Præsidentem beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* Et tibi, tuisque Symmistis ejusdem Sedis Antistites prænominati non sufficiunt, ut quod illi indissonabili damnavêre judicio, errorem *impactum affrictumque* criminari non pudeat? Istis cede, & noli illos cædere; & si Christianus es, Cathedræ Petri conjungere: & sinè cunctatione Anathematiza, quod nunc Sedes Apostolica & Romana etiam cum Cæteris anathematizat perseveranter Ecclesia. *L. 1. cont. Iul c. 4.*

Sed ad exemplum Theodoreti remeandum est. Nullus inficias eo, quin Innocentes, illimes ab omni labe errorum, vitiorumque, præsertim viros de Ecclesiâ benè meritos credere oporteat, nec ingratum Ecclesiæ officium sit, ejus Athletas, Defensoresque ab impactis erroribus vindicare; at cum supremum Orbis Christiani Tribunal de illis cognoverit, censueritque eorum scripta esse maculosa; illos ut innoxios pertinaciter propugnare grave dico esse piaculum & cum Magno Gregorio pronuntiare non metuo: *Quem ista Confessio non sanat, non jam Chalcedonensem Synodum diligit* (non Augustinum, non veritatem) *sed Matris Ecclesiæ sinum odit.* „ *Nemo sanæ mentis*, inquit *Paulus Aurelius*, *S. Gregor. l. 3. ep. 3.*

in vitium vertet quod Theodoretum ab Africanis hæresibus purgare contenderint.

Non fuit ergò sanæ mentis Papa Pelagius ad Eliam Aquilienſem ſcribens: *Non omnia Theodoreti ſcripta damnamus, ſed ſola quæ contrà duodecim capitula & rectam fidem aliquandò ſcripſiſſe monſtratur. Quæ tamen ipſe damnaſſe dignoſcitur, qui in Sanctâ Chalcedonenſi Synodo vera confeſſus invenitur.* Non fuit ſanæ mentis idem Pontifex, cum ſubjecit: *Quis non videat quantâ temeritate plenum ſit Theodoreti ſcripta ſuperbiendo defendere, quæ eundem ipſum conſtat recta poſt profitendo damnaſſe? Dum verò ejus & perſonam recipimus, & ea quæ dudum latuerant prava ſcripta reprobamus, in nullô à Sanctæ Chalcedonenſis Synodi actione deviamus.*

Pelag. II. Epiſtola ad Eliam.

Non fuit ſanæ mentis Magnus Gregorius, dum de Synodo V. quæ Theodoreti ſcripta damnat, profeſſus eſt: *Quintum quoque Concilium pariter veneror: quiſquis aliter ſapit, Anathema ſit.* Capitulum 13. dicti Concilij ità ſonat: *Si quis defendit impia Theodoreti ſcripta, quæ contrà rectam fidem, & contrà primam Epheſinam Sanctam Synodum, & Sanctum Cyrillum, & duodecim ejus Capitula expoſuit &c. Anathema ſit.*

De Origene quoque agit V. Synodus Capitulô X. *Si quis dicit aut ſentit ad tempus eſſe Dæmonum & impiorum hominum ſupplicium, ejuſque finem aliquandò futurum, ſivè reſtitutionem & redintegrationem fore Dæmonum aut impiorum hominum: Anathema ſit. Anathema & Origeni, qui & Adamantius, qui hæc expoſuit, unà cum nefariâ atque execrabili ejus Doctrinâ, & cuivis, qui ea ſentiat, aut defendat, aut ullô modô prorsùs quôcumque tempore tuêri præſumat.*

Et eſt qui dicere auſit, non vitio verti, ſi quis Origenem purgare contenderit? De quo Hiero-

ronymus: *Totus orbis in Origenis odia exarsit.* Et, *omnis tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodus pari sententiâ & Spiritu illum hæreticum denuntiat.* De quo Sophronius Hierosolymæ Patriarcha in litteris ad Sergium Patriarcham Constantinopolitanum, lectis & probatis à Synodô sextâ post quatuor primas Synodos profitens, & ad quintam ait: *Perimit ac in interitum projicit principaliter Origenem insanum & omnes ejus pomposas somnolentias, & plena multæ impietatis commenta: Evagry quoque & Didymi cum eo dogmata, nec non & fabulosa deliramenta.*

S. Hieron. l. 1. cont. Ruff. cap. 3. L. 1. c. 6.

Act. 11.

Et nemo sanæ mentis Didymo vertet in vitio quod purgare contendat *Origenem?*

Constantinus quartus, inquit Eximius. P. M. Lupus, *Augustus in Edictô sextæ Synodi confirmatoriô dicit: suscipimus quoque, & quæ temporabus Justiniani divæ memoriæ in nostrâ felicissimâ civitate congregata est Synodus contra Deiimpugnatores Origenem videlicet, Didymum & Evagrium.*

Act. 18.

Et plena septima Synodus in Sermone acclamatoriô ad Principes: *Etiam Origenis & Evagry, & Didymi fabulas Anathematizamus, sicut & Constantinopoli congregatum quintum Concilium egisse dignoscitur.*

Nemo sanæ mentis vitio vertet Didymo, quod Origenem ab impactis erroribus purgare contenderit, quem Doctorum Aquila Africana asserit propter misericordiam suam in Dæmones, quos censuit ab inferis liberandos, ab Ecclesia damnatum? *Sed illum*, inquit, *propter hoc & propter alia nonnulla, & propter alternantes sinè cessatione beatitudines & miseria &c. non immeritò reprobavit Ecclesia.* Hunc equidem à Didymo sinè vitio defensatum ratus est Paulus Aurelius, qui & Augustinum Europæum suum æquè iniquo marte defenderet si ab Africano cum Origene profligaretur.

L. 21. de Civ. Dei c. 17.

garetur. Quid ultrà quærimus? quid ad hæc respondeat Paulus Aurelius longè dévius & à Pauli humilitate, & Aurelij Charitate: *Nisi pertinacia pugnaces nervos adversùs constantiam perspicuæ veritatis intendat? O! violentia veritatis, quæ suos non in carne, sed in corde torquet inimicos, ut eam confiteantur inviti.*

L. 1. pecc. merit. c. 20.

Contra Don. post. Coll. c. 7.

Quod si nondum crapulam contentionis digerere nequeas, nequè intelligere, quæ sint sanæ mentis judicia, scisciteri ex te pergo, ut ad Capitulum Theodoreti, (quod cum duobus alijs parili censurâ ictum est) sermo redeat. Sanæ mentis non fuit Gregorij Magni Antecessor, qui à Laurentio Mediolanensi Episcopo districtissimam de damnatis *Theodori, Ibæ, ac Theodoreti* Capitulis, sivè juratoriam cautionem exêgit, quam & ipsi Papa Gregorius fecisse & cui subscripsisse se refert, cum *Urbanam præturam gereret?*

S. Greg. l. 3. Epist. 2.

Sanæ mentis non fuit Gregorius jam Pontifex, qui Juratam trium Capitulorum damnationem ipse probavit, & Laurentium *Cautionis suæ Juramenta non transcendisse, sed Sacramenta servasse, atquè in unitate Catholicæ Ecclesiæ permansisse* scribit Constantio Mediolanensi Episcopo Successori? Qui & hanc juratoriam cautionem à Prædecessore suo factam laudat locô prius laudatô hâc ratione, *Quià justum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenùs unitatem Universalis Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret.*

L. 3. epist 37.

Sanioris porrò mentis, quam Paulus Aurelius, Vincentius Paleophylus, Avitus Academicus se esse luci meridianæ prodidit Exim. Academiæ Lovanienſis Decus & Antiquitatis Armamentarium Christianus Lupus in notis & Scholiis Concilij V. ubi ità concludit: *Qui hodiè pro Tertulliano, Origene, Lucifero Sardorum Episcopo, Joanne Stiero Solymitano Apologias in Ecclesiam spargunt, lavant Æthiopes,*

Lup. ad Con. V. Tom. 1. Fol. 743.

pes, compescendique sunt, ut ingenia libertina, & noxia, nisi brevi etiam pro Martinô Lutherô & Joanne Calvinô velimus Apologias vidêre. Præmiserat dictus Auctor: *Proindè non minùs de Theodori* (de Theodoreti Doctrinâ eadem est ratio) *quam Nestorij, Eutichetis, Arij, aut Pricilliani perversô sensu dubitemus.* Exindè clarescet in procursu dissertationis, num de damnatô Jansenij ut Jansenij sensu dubium esse possit Romano-Catholico; & Apostolicæ Definitionis Sanctiones aliorsum deducere liceat ad alienorum rivulos fontium, Jansenianum Novellum dogma aliis, non sensu obviô, sed obtortô stylô Hæterodoxis vindicare, salvô per omnia Jansseniô: ut contendit idem Spiritu, titulô alius *Vincentius Palæologus*, Paulus Aurelius, *seu Avitus Academicus.*



§. 3.

Paulum Aurelium excusantem Didymum Defensorem Theodoreti damnat Formularium Athanasij Præsbyteri ab hæresi se purgantis & tria Capitula condemnantis apud Gregorium l. 5. epist. 64.

Qui correctos se vidêri Volunt, ab omni suspicione se purgent, & obediendo nobis probent se esse nostros. S. Leo epist. 88.. *Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum:* Ibidem. Et Epist. 5. *Errorem suum, & ipsos erroris Auctores damnari à se sine ambiguitate fateantur.*

SAluberrimum hoc & Spiritualis medicinæ utilitate plenissimum dedit Septimio Altino & Nicetæ Aquilëiensi Episcopis consilium Sanctissimus Pontifex, ad obviandum versutiæ de consortio Pelagianorum & Cæleſtianorum ad Ecclesiam remeantium. Nequè causâ vacabat. *Quoniam novimus*, ait, *hanc istorum esse versutiam, ut in quacumque pericula dogmatis execrandi, quâ se à damnatorum societate discrevêrunt, nihil sibi sensuum suorum existiment esse non salvum.* Leo. Epist. 86. Qùapropter præcipit: *Omnia Decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus hæresios Apostolicæ Sedis confirmavit Authoritas, amplecti se, & in omnibus approbare plenis & apertis ac propriâ manu subscriptis protestationibus eloquantur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inveniatur ambiguum.* Epist. 85. Et alibi: *Ut sivè Præsbyteri, sivè Diaconi, sivè alij cujusli-*

cujuslibet ordinis Clerici, qui se correctos videri volunt, errorem suum & ipsos erroris Auctores damnari à se sine ambiguitate fateantur. Ut sensibus pravis, & dudum peremptis nulla spirandi superesit occasio, ne ullum membrum Ecclesiæ talium possit Societate violari, cum per omnia illis professio propria cœperit obviare. Ità & in Concilio Chalcedonensi clamarunt varij Episcopi adversùs suspectum de dilecta ab eo Nestorij Personâ *Theodoretum* Cyri Episcopum: *Theodoretus modo Anathematizet Nestorium.* Et cum in medium proferret libellos professionis fidei; non contenti Episcopi reposuerunt: *Nihil religi volumus, modò Anathematiza Nestorium.* Et rursùm sinceritatem fidei suæ probare nixo, reddiderunt iterum Episcopi: *Clare dic Anathema Nestorio & dogmatibus ejus. Anathema Nestorio, & amantibus eum.* Ac demùm adversùs tergiversantem: *Iste hæreticus est, iste hæreticus est, iste Nestorianus est, hæreticum foras mittite.* Sic verborum Phaleris & fucis mentem suam incrustare pergentem ut suspectum de Nestorianismo abigere voluêre. Et hinc tandem Theodoretus palam edixit: *Anathema Nestorio, & ei qui non dicit Dei genitricem Virginem Mariam, & qui in duos filios partitur unum filium.*

Act. 8.

Lup. in App. ad Act. 8. Synod. Chal.

Id Magni Gregorij ætate accidisse meminimus Athanasio Presbytero de hæresi vel leviter suspecto. Joannes Constantinopolitanus Episcopus comperit apud eum Codicem manifesta hæreticæ pravitatis venena continentem, & ob hoc adversùs Athanasium vehementer commotus Gregorio Magno rem aperuit. Hic codicis lectione illum interdixit, & ad Monasterium redire permisit, eò quod Athanasius se purgasset libellô propriâ manu perscriptô, *in quo fidem tuam*, inquit Gregorius, *exponens omnes generaliter hæreses, vel quidquid adversùs Catholicæ fidei*

Monastery. Tamnaco.

vel professionis integritatem est, apertissimè condemnasti: & cuncta quæ Sanctæ quatuor universales Synodi recipiunt, te semper recipisse ac recipere: & quæ condemnant condemnasse, condemnareque professus es. Eam quoque Synodum quæ Justiniani temporibus de tribus Capitulis facta est, & suscipere & custodire promisisti: & prohibitus à nobis codicem ipsum legere, in quo pestiferæ fraudis virus innexum est, libentissimè consensisti, reprobans etiam atquè condemnans omnia, quæ contrà Catholicæ fidei integritatem in eô dicta vel latenter inserta sunt, nec eum te legere denuò promisisti: hâc ratione permoti, postquam ex probatâ à te libelli paginâ fides tua nobis Catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ perversitatis macula, juxtà professionem tuam liberum esse decernimus, atquè Catholicum, & sinceræ fidei in omnibus Professorem, atque sequacem Christi Jesu Salvatoris gratiâ claruisse pronuntiamus: Liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum monasterium in tuô te locô vel ordine remeare.

En quibus sub conditionibus Athanasius à labe siniſtræ suspicionis purgatus est, non modò quià 4. Sanctas Synodos, sed quintam, *quæ de tribus Capitulis acta est, se suscipere & custodire promisit*: Et nemo sanæ mentis Didymo vitio vertet, quod Theodoretum, qui in damnatis à V. Synodo dogmatibus locum habet, ab impactis erroribus purgare contenderit? Sed fors non de damnatis his, sed de aliis affrictis Theodoreto articulis Paulus Aurelius actum voluit, quod non opinor. Sed hôc datô, ineptâ prorsùs consecutionis lege exindè deducit, se posse Jansenij Apologistam agere: cum Pentas illa propositionum non à Privatis sit Jansenio affricta, impactaque, sed eâdem Authoritate, quâ Synodus V. approbata est, nempè Apostolicâ, Jansenij esse & in Jan-

senij

senij sensu damnata esse cognoscatur, quæ non plus in Jansenij, quam *Theodoreti*, *Ibæ*, *Theodori*, Nestorij, aliorumque Erronum sensu dijudicando circumscripta fuisse dicenda est.

§. 4.

Impia perjurij Criminatio Alexandrinæ Formulæ impacta ab Avito Academico, & Paulo Aurelio, per Iuratam trium Capitulorum damnationem diluitur.

Non omnibus respondendum est Convitijs potiùs quam accusationibus tuis, quæ non jam in me sed in Gregorium aliosque prædicatissimos Ecclesiæ Doctores fronte impudentissimâ, & linguâ procacissimâ jacularis. Aug. l. 1. op. post. cont. Jul. cap. 9. *Hoc & alii fecerunt, quandò similiter exierunt.* c. 6.

PRo Jansenio suo, quem Apostolis penè supparem habet Panægyris Jansenian a, Avitus Academicus ità ineptit: *Totò orbe Christianò nigerrimâ contumeliâ afficitur; insons, innocuus, imò immensâ laude dignus damnatur: & ità quidem (quod omnem enormitatem superat) ut damnatio ejus per falsum testimonium & ferale perjurium facta vel gradus sit ad prensandum Christi Sacerdotium, vel clavis ad intrandum in Ecclesiastica munia, vel deniquè Naufragij tabula, ne quis ab officio excluſus pereat. Obstupescite cæli super hoc, & portæ ejus desolamini vehementer.* Et alibi: *Luctuosissimum & tot criminibus horridum* vocat Alexandri Formularium. Paulus Aurelius prologo galeato pro Jansenio asserit, quod per hanc formam *apertissima innumeris perjurijs pandatur via.* Ita.

Paranes. pag. 12.

pag. 14.

Prolog. Galeat. pag. 3.

Itàque, ut hic Calumnioſiſſimè contendit; Alexan. VII. non modò iniquiſſimus Janſenij ceu Innocentis Abelis Peremptor, ſed & ſupremi Numinis per innumera, quibus apertiſſimam per Formulare damnationis Juratæ viam pandidit, perjuria reus arceſſitur, cum pietatis & Juſtiriæ Chriſtianæ ſit Magiſter.

Non expaveſcis quod ſcriptum eſt: *Neque maledici regnum Dei poſſidebunt. Neque enim tam fœda convitia nihil te adjuvantia, niſi maledicendi libidine loquerêris.* Nunc in gemella cauſa demonſtratum ibo non eſſe perjurij reos Romanæ Sedis Antiſtites, Janſenianæ hæreſeos damnationem juratam ceu cautionem juratoriam poſtulantes, quam qui ſimilem in damnatione trium Capitulorum indictam voluere; niſi Avito & Paulo Aurelio ejuſdemque farraginis iniquitatis filiis, allubeſcat dicere in ſenſu Janſenii Romanos judices fuiſſe falſos, at in ſenſu *Theodoreti, Theodori, & Ibæ*, nequicquam reluctantibus eorum Protagoniſtis circumventos non eſſe vel circumveniri potuiſſe: atque Pontificibus Romanis in uno damnando credi oportêre, non item in altero, ſimilibus eis, de quibus Auguſtinus: qui in Evangelio quod vultis creditis, & quod non vultis, non creditis, non Evangelio, ſed vobis creditis.

S. Aug. l. 2. cont. Iul. op poſt. c. 60.

Atque imprimis indubium eſt, Gregorium Magnum, cum Urbanam gereret præturam, cum nobiliſſimis viris ſubſcripſiſſe cautioni diſtrictiſſimæ, quam Apoſtolicæ Sedi remiſerat Laurentius Mediolanenſis Epiſcopus, ipſô referente Gregoriô in Epiſtola ad Conſtantium ejuſdem Cathedræ Antiſtitem per hæc verba: *Et quidem ſi quod de tribus Capitulis in quocumque vel verbo vel ſcripto nominatum eſt, benè Fraternitas tua reminiſcitur, quamvis Deceſſor Fraternitatis tuæ*

L. 3. epiſt. 2.

Lau-

Laurentius districtissimam cautionem Sedi Apostolicæ remiserit; in quâ viri nobilissimi ex legitimo numero subscripserunt. Inter quos ego quoque tunc Urbanam præturam gerens pariter subscripsi, quià postquam talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit, ut Sedes Apostolica curam gereret, quatenùs Unitatem universalis Ecclesiæ in Sacerdotum mentibus per omnia custodiret.

Secundò, quod tres Episcopi à Communione Constantij Episcopi Mediolanensis sese separaverint, *dicentes vos*, inquit Gregorius, *in damnationem trium Capitulorum consensisse, atquè cautionem feciſſe.* Quod & repetit Epistolâ sequenti: *Dicentes te apud Romanam Urbem in trium Capitulorum damnationem, cautionem feciſſe.* *Ep. 3.*

Tertiò perclarescit per illud Ecclesiæ Lumen Laurentium Episcopum duo præstitisse pro custodiendâ Universalis Ecclesiæ Unitate, nimirùm: *Trium Capitulorum damnationem, & cautionem.*

At quæ illa Cautio, & *districtissima cautio* à Magno Gregorio compellata? Sapientissimus Eminentissimusque Norisius asserit Laurentium Episcopum Mediolanensem *tria Capitula damnasse formulâ, quam subscripserat, miseratque ad S. Sedem.* At hoc displicet Alexandrinæ Formulæ Osoribus, Jansenij Patronis, & trium Capitulorum Propugnatoribus. *L. 3. Disser. de V. Synod.*

Ego licet minimus, Censeo fuisse formulam damnatoriam Jurejurando firmatam non absimilem Alexandrinæ in quâ dicitur: *Sincero animo rejicio ac damno, & ità juro.* Quod hôc ratiociniô elimpidatum venio: vel damnatio Capitulorum præfata à *Cautione districtissimâ* dispescitur, vel non. Postremum non consonat Gregorio membra hæc dissecanti. Si primum, quid est cautio ista districtissima nisi juratio damnationis sinceræ testis, adjutrix, & confirmatrix?

Lego

Lego quidem & aliam Schismaticis indictam pro unitate servandam cautionem, eamque juratoriam apud eundem Gregorium: *Promitto tibi, & per te Sancto Petro Apostolorum Principi, atquè ejus Vicario Beatissimo Gregorio, vel Successoribus ipsius, me numquam quorumlibet suasionibus, vel quocumque alio modo ad schisma, de quo Redemptoris nostri misericordiâ liberante ereptus sum, reversurum: sed semper me in unitate Ecclesiæ Catholicæ, & communione Romani Pontificis semper & sine dubio permanêre. Undè jurans dico per Deum omnipotentem, & hæc Sancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, &c.*

L. 10. ep. 31

At ista non est Cautio, quam præstitit Gregorius etiamnum Prætor, non quam Laurentius Episcopus. Nam poterat stante hâc juratione de Unitate servandâ & communione Romani Pontificis Laurentius sinè violatione Sacramenti Cautionis suæ jurare se Capitula non damnasse. Licet namquè pejerasset jurando Capitula non damnasse, quæ damnaverat; non fuisset equidem Cautionis juratæ temerator, quousquè *in Ecclesiæ Unitate, & communione Romani Pontificis permansisset*; cum hæc sola fuisset Cautionis juratæ materies. Gestorum series cum dictis Gregorij etiam cæcutienti oculos aperiet.

Constantius Episcopus Mediolanensis institutus de *damnatione trium Capitulorum, & Cautione suspectus fuit tribus Episcopis*, qui hôc titulô se ab ejus communione separaverunt, teste Gregorio. Postmodum Episcopus, & Cives Brixiæ mandarunt, ut Constantius Epistolam transmittat, *in quâ jurare debeatis*, scribit Gregorius, *vos tria Capitula Minimè damnasse*. Respondet Gregorius primò, ne verbo, nec scripto de tribus Capitulis mentionem feciisse Constantio. Secundò Brixienses hoc juramentum non plus ab ipso, quam

L. 3. ep. 2. & 3.

L. 3. ep. 37

Ep. 2. & 3.

quam à Prædeceſſore Laurentio poſtulare debuiſſe. *Quod ſi Deceſſor fraternitatis veſtræ Laurentius non fecit, à vobis quæri non debet.* Laurentius hic, ut antè claruit, in damnationem trium Capitulorum conſenſerat, & *cautionem ſtrictiſſimam Sedi Apoſtolicæ remiſerat.*

Ideòque ſubjungit Gregorius, ſuppoſitô quod Laurentius contrarium juraſſet: *ſi fecit, cum Eccleſiâ Univerſali non fecit: ſed quià eundem virum ſua credimus Sacramenta ſervaſſe, atquè in Unitate Eccleſiæ Catholicæ permanſiſſe, dubium non eſt, quod nulli Epiſcoporum ſuorum juraverit ſe tria Capitula minimè damnaſſe.*

Alioquin addit Gregorius, *cum Eccleſia Univerſali non fecit, & cautionis ſuæ juramenta tranſcendit.* Juramentô ergò caverat damnationem trium Capitulorum; alioquin Sacramentum ſeu Juramentum violaſſe ex hypotheſi dicendus foret, ſi cautio damnationem ipſam non confirmaſſet.

Quod ſi Juramentum violaſſent, qui ea non ſervaſſent; perjuri erunt, qui juratoriam iſtam cautionem exegêrunt? An potuerunt juratoriam exigere in damnatione trium Capitulorum Romani Pontifices, & non potuerunt in condemnatione quinque Janſenii Propoſitionum? An non ſimilis cauſa factorum, ſeu ſenſuum in utrôque caſu intervenit? Nequè de Capitulorum ſenſu damnabili Gregorius Papa dubium reliquit, dum ad omnes Patriarchas fidem ſuam expoſiturus elocutus eſt in hunc modum: *Quintum quoque Concilium Veneror, in quo Epiſtola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena reprobatur, &c. Cunctas verò quas præfata veneranda Concilia Perſonas reſpuunt, reſpuo: Quas venerantur, amplector: quià dum univerſali ſunt conſenſu conſtituta, ſe & non illa deſtruit, quiſque præſumit aut ſolvere quos ligant, aut reli-* L. 1. ep. 24.

religere quos ſolvunt. Quid ad hæc Pertinaciſſimus Janſenii Defenſor Avitus remutiet quem eructare non ſuppudet: *Commoveantur, & tonent (ut jam mœſtis oculis conſpicamur) Sacerdotales ac Regales Curiæ, nutet Sorbona, labet Lovanium, corruat Pars ingens Præſulum, irretiantur Romani Pontifices in malam cauſam; non conteret Janſenium poteſtas ulla, non tota Auguſta, (ut ſe dicunt) Societas, non totus mundus, non totus Erebus. Stabit ſub manu Altiſſimi protectus, tutus, invictus: nec aliud (niſi inſtet Dies Domini) promovebit hæc tenax & dira vexatio, &c.* Sed breviter concludo, non ſunt perjuri, non ſunt iniqui Janſenii damnatores, magis quam Theodoreti quam Ibæ fuêre, *qui in Eccleſia Catholica doctrinæ ſanæ ſtudijs claruêrunt, ſpiritalibus armis accincti ſtrenuè contrà hæreticos bella geſſerunt, perfuncti fideliter ſuæ diſpenſationis laboribus in pacis gremio dormiêrunt.*

Paraneſi pag. 20.

Aug. cont. Iul.

§. 5.

Ex titulis à Magno Gregorio datis Pertinacibus Capitulorum Defenſoribus enitescit, quô encomiô decorandi ſint Janſenii pervicaces Protectores nominati.

DE ignorantibus Scita Pontificum Romanorum, & per ſimplicitatem errantibus, & ſeductis ſermo non eſt; ſed de plenè ſcientibus, quid illi reprobent, probentve in fide & moribus, penes quos reſidet univerſalis Eccleſiæ Cathedra & Magiſterium orbis Chriſtiani. Sic de Felice Diacono ſcribit S. Gregorius Maximiano Epiſcopo Syracuſano: *Præſentium Lator Felix Dia-*

L. 3. ep. 14.

Diaconus, cum nullatenùs in Hæreticorum dogmæ lapsus sit, nec à Catholicâ fide dissenserit, pravis illectus adversùs Constantinopolitanam Synodum suspicionibus, in histricorum se separatione removerat; Qui cum Romam venisset, receptâ à nobis, juvante Domino, ratione, excessum suum, receptâ Corporis & Sanguinis Domini Communione, correxit. Quià ergò, ut dictum est, non in hæresim incidit, sed à Sacris Generalis Ecclesiæ mysteriis, quasi rectæ studio intentionis erravit, imbecillitati ejus atquè necessitatibus consulentes, &c.

Sic & cum Reginâ Longobardorum benigniùs agendum Prudentissimus Pacificator Ecclesiæ censuit, Reginâ, inquam, Theodelindâ piissimâ Gariberti Ducis Bavariæ Filiâ, utpotè à tribus Episcopis extrà Ecclesiæ Communionem seductâ; laudatque Constantium Mediolanensem Episcopum, quod litteras suas, quas ad Reginam dirigendas miserat, non missitaverit, eòquod propter quintam Synodum illic nominatam plus scandalizandam, quam ad schisma relinquendum paratam præsagiret; permisitque, ut ad tempus quintæ Synodi mentio non haberetur, ità tamen ut *quatuor Synodos laudaremus.* L. 3. ep. 37.

Quales autem fuerint, qui persuaserunt Theodelindæ damnationem trium Capitulorum Concilio Chalcedonensi adversari, S. Gregorius exprimit his verbis: *Pravorum hominum verbis ad paululum seducta est.* L. 3. ep. 2. Et rursùs ad ipsam Theodolindam Longobardorum Reginam: *Quià vos imperitis, stultisque hominibus creditis, qui non solum ea, quæ loquuntur, nesciunt; sed vix ea percipere, quæ audierint, possunt: dicunt enim piæ memoriæ Justiniani temporibus aliqua contrà Synodum Chalcedonensem fuisse constituta: qui dum nequè legunt nequè legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi de nobis ipsi finxerunt.* Epist. 4. Eadem repetit

Epist. 33. repetit alibi, factâque declaratione de Concilij Chalcedonensis professione, ad unitatem revocat dicens: *Cum itàque integritatem nostram ex eâ apertâ meâ traditione seu professione cognoscitis, dignum est, ut de Ecclesia Beati Petri Apostolorum Principis nullum ulteriùs scrupulum dubietatis habeatis, sed in verâ fide persistite, & vitam vestram in Confessione Beati Petri Apostolorum Principis solidate, ne tot vestræ Lacrymæ, tantaque bona opera pereant, si à fide vera videatur aliena. Sicut enim rami sinè virtute radicis arescunt, ità opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si à soliditate fidei disjunguntur.*

An non ergò iniquitatis filij, pravi homines, & stulti ac imperiti dicendi sunt, qui post iteratam Beati Petri confessionem, hoc est Apostolicæ Sedis declarationem circà damnatas Jansenij propositiones, non in sensu Augustini, sed Jansenij, & sentiunt & persuadêre nituntur sinè vulnere Augustini Pentadem Jansenij, in sensu ab Authore intento, damnari non potuisse, aut etiam propositiones Jansenij libro impactas & Affrictas esse?



§. 6. Avi-

§. 6.

Avitus æmulator est rebellium trium Capitulorum Defensorum, non credendo Romanorum Pontificum Declarationibus circà Authoritatem S. Augustini.

Quem ista mea Confessio non sanat; non jam Chalcedonensem Synodum diligit, sed Matris Ecclesiæ sinum odit. S. Greg. l. 3. ep. 3.

VIris peritis exploratissimum est, quos turbines in Ecclesiâ exciverit Synodalium Chalcedonensium ignoratio Actorum, quæ nec Vigilium Papam excepit, præsertim cum Authenticam eorum copiam nondum nactus foret, ut ipse fatetur in suo pro tribus Capitulis non damnandis Constituto his verbis: *Quià Græcæ linguæ sumus ignari, nunc per nostros, qui ejusdem linguæ videntur habêre notitiam, Gesta Chalcedonensis Concilij in Synodalibus Codicibus diligentissimè perquirentes &c.* Atquè ità alienis credulus oculis à damnatione trium Capitulorum ac Synodi V. Confirmatione ità exhorruit, ne Chalcedonensi vulnus infligeret. Et cum subscribere cogeretur, addidit, sub aliquâ dispensatione adjectâ hâc Clausulâ: *Sacrâ in omnibus reverentiâ Synodi Chalcedonensis*, conformiter ad Clausulam Edicti Imperialis: *Si quis dicit nos hæc ad abolendos aut excludendos Sanctos Patres, qui in Chalcedonensi fuêre Concilio, dixisse, Anathema sit.* Dein iussus, *ut absolutè Capitula sinè Synodi Chalcedonensis mentione, & omni modificante clausulâ damnaret, non acquievit.* Tandem re maturiùs discussâ trium Capitulorum damna-

tricem Synodum confirmavit, ut ex Epistolâ confirmatoriâ ad Eutichium Patriarcham Constantinopolitanum directâ liquet. Adducit in facti sui justitiam S. Augustinum in Sacris Scripturis Doctorem Clarissimum, ac Romanæ eloquentiæ Magistrum, qui etiam sua scripta retractavit, inquit Exim Lupus.

Lupus. in Notis. ad conc. 5. c. 6.

Interim in opinione violatæ per trium Capitulorum damnationem Chalcedonensis Synodi perstitêre plurimi, & Jansenianorum more se de Martyrii gloriâ palpaverunt, schisma fecerunt præsertim Istrii, Afri, & Hispani, quos Magni Gregorii sapientia & prudentia circà factum illud sibi credere fecit, & ad unitatem revocavit, declarando utique se Chalcedonensem Synodum per omnia venerari, Quintumque Concilium nullâ ex parte tria ista Capitula damnando adversari, *prout ab imperitis fuerat persuasum*, etiam non discernentibus acta post Synodum Chalcedonensem à Synodalibus gestis, & ignorantibus *cum resistentium certamine, & reservatâ accusatione* Theodoreti *Personam* ad Consessum Chalcedonensem fuisse admissam. Gregorii Magni monumenta subeamus. *Synodus*, ait, *quæ post Chalcedonensem generaliter facta est, idcircò à nobis recipitur, quià ejusdem Synodi in omnibus sequax honorem illius, Authoritatemque custodit.*

L. 7. ep. 57.

Quintum quoque Concilium pariter veneror. Quisquis aliter sapit; Anathema sit. De personis, de quibus post terminum Synodi Chalcedonensis aliquid actum fuerat, Justiniani temporibus est Ventilatum, ità tamen, ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quàm apud eandem Synodum Chalcedonensem fuerat constitutum. Et Constantio scribit: *fateamini, nequè vos aliquid de fide Chalcedonensis Synodi imminuere, nequè eos, qui imminuunt, recipere:*

L. 1. ep. 24.

L. 2. ep. 10

&

& quoscumque damnavit, damnare, & quoscumque absolvit, absolvere. Item: *in Synodo, in quâ de tribus Capitulis actum est, nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenùs immutatum.* Et rursùm profitetur: *Nos Authore veritate, teste conscientiâ fatemur nos fidem Sanctæ Chalcedonensis Synodi per omnia illibatam custodire, nihilque ejus definitioni addere, nihil subtrahere audêre.... Quem igitur ista mea confessio non sanat, non jam Chalcedonensem Synodum diligit, sed Matris Ecclesiæ sinum odit.* Et cum remisisset secùs opinantes ad librum Pelagij Prædecessoris sui, qui eâdem declaratione usus fuerat, subnectit: *Si post hujus libri lectionem in eâ, in quâ estis, volueritis deliberatione persistere, sinè dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis.* Post similes declarationes Theodelindæ Reginæ factas eandem monet his verbis: *Cum itàque integritatem nostram ex apertâ meâ traditione seu professione cognoscitis, dignum est, ut de Ecclesiâ Beati Petri Apostolorum Principis, nullum ulteriùs scrupulum dubietatis habeatis, sed in verâ fide persistite, & vitam vestram in Petrâ Ecclesiæ, hoc est, confessione Beati Petri Apostolorum Principis solidate.*

L. 3 ep. 37.

L. 2. ep. 36.

L. 3. ep. 3.

L. 2. ep. 36.

Cum igitur ejusdem Apostolorum Principis Successores Alexander VII. Innocentius X. Clemens IX. Innocentius XII. & Clemens XI. quinque propositiones è librô, cui titulus *Augustinus* Cornelij Jansenij, excerptas esse declaraverint, atquè in sensu, non S. Augustini, sed Jansenij eas ut hæreticas damnaverint; quis est, qui Augustinum per Latus Jansenij mactatum censeat, cum Romani Pontifices usquè ad præsentem, Magnum Augustinum ut fulgidissimum Catholicæ Ecclesiæ Solem, maximumque Doctorem consecrarint? Claret proindè Jansenij Defensores non jam *rationi, sed obstinationi ope-*

ram dare cum pertinacibus Capitulorum Patronis. Ac proindè quos tam indissonabilis Apostolicæ Sedis Confessio non sanat, non Augustinum diligere, *sed Matris Ecclesiæ sinum odisse* convicti sunt. Vos, sicut Gregorius istos, *hortamur, ut mentis tumore depositô, tantò citius ad Matrem vestram, quæ filios exspectat & invitat, Ecclesiam redeatis, quantò vos ab eâ quotidiè exspectari cognoscitis.* Nec est, quod in bonorum specie operum glorientur, qui Matris ac Matricis Ecclesiæ, ac Magistræ omnium fidelium voces spernunt dicentes, Jansenianî voluminis sensum proprium & obvium esse Catholicum, quem illa hæreticum fulgurivit: *Quià sicut Rami sinè virtute radicis arefiunt, ità opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si à solidiiate fidei disjungantur*, inquit Magnus Gregorius Capitulorum defensoribus. *Hæc ut advertant, monemus, ut instruantur, docemus, ut mutentur, oramus.*

L. 2. ep. 36.

L. 3 ep 33.

S. Aug. Serm. 2. de verb. Ap. cap. 10.

§. 7.

Cornelij Iansenij Defensores Paulus Aurelius & Avitus Academicus Pelagianorum imitatores dicentes Romanos Iudices esse Corruptos.

Sicut novus Hæreticus novos Judices quæris, quasi tibi vidêri æqui Judices possint, nisi quos vestrô errore deceperis. S. Aug. cont. Jul. l. 2. op. post. c. 2.

Avitus Paranesi pag. 29.

AVitus Academicus, dum Romanos Pontifices famosæ Pentados Jansenianæ damnatores *in malam causam irretitos* pronuntiavit, compendiô ingentia contumeliarum plaustra complexus est

est. Paulus verò Aurelius nitidiùs criminari voluit dum ait: *Solâ partium Jansenio adversantium malignitate, & innumeris contumeliis incrustatâ Innocentio persuasum fuisse, quod quinque Propositiones in Libro Jansenij continerentur.* Et rursùm: *Horrificis mediis Supremæ Ecclesiasticæ potestati* OBREPTUM *fuisse.* Præ-iverant illos jam olim damnati Pelagiani: nam S. Augustini doctrinam de peccato originali, seu potiùs Catholicam fidem *in odium veritatis* susceptam criminati sunt. Aiebant *inimicos suos dicta nostra in veritatis odium suscepisse non minùs stultum, quàm impium.* Item oblatera-bant: *Simplicibus Episcopis sinè congregatione in locis suis sedentibus extorta subscriptio est.* Imò Julianus objecit, Augustinum *Pelagianorum & Cælestianorum* nomine homines terruisse, terroreque assensum ab *omnibus extorsisse.* Hinc definiebat, judices ab odio & inimicitiâ & irâ liberos esse debêre, sed paucos hujusmodi inveniri. An non idem Avitus & Paulus Aurelius asserunt, dum aiunt Romanos Pontifices per Partem Malignantium in malam causam irretitos? Hinc Jactantia Juliani, se convicturum adversarium, si æquis judicibus uteretur; cui Augustinus: *Quid est quod exultas, & mihi quasi victor insultas, tamquam non invenirem quid facerem, quo confugerem, si Judicum premerer potestate, si in medio Eruditorum consisterem tecum, si veræ, quam dicis, rationis tuba à te scilicet magnô tibicine inflata, si auditorum arma circumstantium & tibi faventium concreparent? Ità ponis antè oculos nostrum in disputatione certamen, & te argumentante, me quid respondeam non habentem fingis ut placet.* Ecquid aliud Avitus, & Paulus Aurelius clamitant, quid aliud nisi victoriam pollicentur, si æquis Judicibus uteremur, si ad novum examen Jansenianus liber devocaretur? *Librum litigio-*

Paul. Aurel. Prolog. Galeat. §. 20. Apol. 2. pag. 5.

S. Aug. l. 4. ad Bonifac. cap. 8.

L. 4. c. 12.

L. 2. con. Iul. c. 10.

Ibid.

Avitus loco citato.

tigiosum in manus sumant; cum Augustino conferant, veritatem apprehendant, deament, deosculentur, & flentem hactenùs per lustra duodecim Christianam gratiam solentur, recreent, evehant in triumphum.

Respondeo cum Augustino: *Fingis ut placet. Sic tecum vana & insana cordis tui imaginatio fabulatur, quasi me antè Pelagianos (*Jansenianos*) judices tecum constituam, quibus tibi plaudentibus, tibi liceat exaltare tamquam tubam vocem tuam & prædicare contrà Catholicam fidem.* Sicut porrò Augustinus Julianum per Antiquorum judicia Patrum revicit, quos ab omni Partium studiô utrimque constabat esse alienos; ità quoque Jansenij sensum, non modò Authoritate Sedis Apostolicæ, quam suspectam facis, sed vel maximè S. Augustini damnabilem fuisse suprà evictum dedimus. Nondum apud illum judicem agebamus, & apud eum acta *est causa nostra, & ejus pro nobis lata* contrà Jansenium sententia recitata. Nondum vobiscum certabamus, & eô pronuntiante, vicimus, Augustinumque Cornelij Jansenij in ferali pentade Augustini clypeô abjectum vidimus. Proindè alij judices quærendi non sunt, *nec amplius vobiscum agendum, quantum ad jus Examinis pertinet: prolatam de re sententiam cum pace sequamini.*

L. 2 con. Iul. cap. 10.

L. 3. cont. Iul. c. 1.



§. 8. *Avi-*

§. 8.

Avitus & Paulus Aurelius, ut Pelagiani, postulant audientiam cum damnati debeant agere pœnitentiam.

Causa finita est: utinam finiatur error Aug. Serm. 2. de verb Apost. c. 10. *Non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolicô toties mucrone percussus: Nequè enim defuêre, nequè adhuc desunt homines veritati non acquiescentes & numquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes.* SS. D. N. Clemens XI. Constitutione, quæ de Exordio *vineam Domini Sabaoth* intitulatur. Qualibus dictum congruit: *Adhuc insuper efflagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.* Librô. 1. ad Bonif. c. 24.

NEcdum quintuplici per Successores suos Apostolorum Princeps Petrus vice locutus fuerat, necdum quinariâ adversùs Pelagianam pestem vibrata fulmina, sed ad duo Africana Concilia Rescripta missitaverat Roma; & ecce Sol Africanus fulgôre suô perstrinxit Pelagianos, obturat obloquentium ora, ad Concilium Generale appellantium cogitationes evacuat, elidit jura, audientiam abjudicat damnatis, & solam pœnitentiam, nî perire aveant, in medelam suadet: *Jam enim de hac causa*, inquit, *duo Concilia missa sunt ad Sedem Apostolicam: Indè etiam Rescripta venerunt. Causa fini-*

ta est. Utinam aliquandò finiatur error. At cum nec sic errorem cerneret finitum, non sinè stupore ac indignatione refert: *Et hæc execrabilia dogmata tenentes & seminantes adhuc insuper flagitant audientiam, cum damnati debeant agere pœnitentiam.*

Contrà novitiam Cornelii Jansenij pestem ejusdem Apostolicæ Sedis Præsules quinque, Innocentius X. Alex. VII. Clemens IX. Innocentius XII. ac Clemens XI. ejusdem Petri authoritate donati, infallibilitate protecti, zelo pari, devotione consimili, Magisterij sui dogmatica Rescripta dederunt, quinque Propositiones famosas, ut Jansenianas, damnavêrunt, hæreticasque in obvio sensu & proprio declaravêrunt; & tamen, qui Christiani gregis oves vidêri volunt, remugiunt, rugiunt, ululant, divina, humanaque in Jansenii damnatione jura violata, Jansenium ceu alterum Abelem mactatum, divinum Jansenii opus (quià alterum seu potiùs ipsum *Augustinum* rati) sinè sacrilegio atquè Christianæ Gratiæ acerbô funere non potuisse violari clamitant, ejulant, iniquos judices innocentissimæ Susannæ cum Daniele revocantes ac redarguentes: *Redite ad Judicium.*

Avitus Acad. Parent. pag. 12.

Avitus enim Academicus adoptat verba Orationis funebris Lovanii habitæ pro Cornelii Jansenii Justificatione: *Tanti est Theologis vestris perditio unius dignissimi, omnique virtutum genere exornantissimi Præsulis.... ut quantum in ipsis est, omnem bonam mentem ab hominibus abactam, omnem Justitiam terrâ pulsam.... ne cernamus apertissimam injustitiam, instar Sanguinis Abel clamantem, quâ excellentissimus Scriptor, Nullô umquam judiciô contradictoriô defensus in perduellium Ecclesiæ Catalogum truditur, totô orbe nigerrimâ contumeliâ afficitur; Insons, Innocuus, imò immensâ laude dignus.*

Vin-

Vincentius Paleologus Jansenianam hæresim vocat, *Jansenianæ nominis phaleram toties detectam & exsufflatam.* Et alibi: *Dari Jansenistas, qui quinque propositiones in sensu à Pontificibus damnato (Quem Augustinianum esse vivæ vocis oraculo non semel declaravêrunt) vel ipsas etiam propositiones nudas, ut jacent, doceant, tu mi, Notarie, quamvis omnes angulos etiam glyribus & muribus impervios atquè ignotos excutias, non deprehendes. Nullos quoque (propriè loquendo) Jansenistas umquam extitisse, aut existere umquam posse, ex eo indubitatè conficitur, quod nullius umquam dogmatis Auctor fuerit. Igitur nec ipse Jansenius (si rem æquâ lance expendas) Jansenista esse potuit. Quià non docet quid sentiat Jansenius, sed refert, quid Augustinus tradat.* Ità Pontifices, si illis fabulonibus fides, aëra cæciderunt, & in Pentade damnatâ, umbras peremerunt. Jansenium damnari non posse autumant, quià non nisi Augustini Interpres est. An non & hæretici Sacræ Scripturæ Interpretes agunt, Scripturas citant, Scripturasque plenis buccis intonant? Augustinum verò probatum undè noverunt, nisi quià Pontifices primitùs probavêrunt? Et Augustino obstrepentibus in Galliâ quis ora concluſit, nisi Papa Cælestinus, cujus erat librare sensa Sanctissimi Doctoris, & à calumniis vindicare? Quod pro sinceritate Augustinianæ Doctrinæ tuenda fecêre Romani Pontifices, hoc pro discretione vilis damnabilisque Doctrinæ Jansenianæ præstitêre ejusdem Apostolicæ Cathedræ Antistites. Si in Jansenij causa errasse asserant Jansenistæ, videant quantùm Jansenium exaniment, ipsumque quem vocant *Augustinum.* Videant etiam quantùm adjuvent Pelagianos Authoritatem Apostolicæ Sedis

Vincentius Paleologus pag. 1.

pag. 61.

tandem condemnantes, & totum orbem ad novum Judicij Examen convocare desiderantes.

Paulus Aurelius Prolog. Gal. §. 4.

Pergit equidem Paulus Aurelius, & postulat, *ut feralibus seditionibus sopiendis, fiat Juridicæ libri discussio.* Et rursùs asserit, *hâc viâ nihil supremæ potestati Innocentius* XII. *glorioſiùs, ac magnificentiùs, nihil Reipublicæ Christianæ utiliùs, & salutariùs*, &c. At magistri Vestri, mi Avite, & Paule, cum ista fecerunt, mercedem receperunt, quæ vobis retribuenda venit : *Vestra apud competens judicium commune Episcoporum modò causa finita est.*

§. 5.

Aug. L. 3. cont. Iul. c. 1.

Deniquè eosdem, quos Augustinus Pelagianis malè appellantibus dedit, vobis omnibus defensoribus Jansenij novam audientiam flagitantibus Apostolos jure dandos ad salutem tribuo : *Similes estis potiùs Maximianistis, qui cupientes exiguitatem suam nomine saltem certaminis consolari, & ideò vidêri aliquid apud eos, quibus contemptibiles erant, quià inire nobiscum sinerentur Examen : Interpellantes eos, & libellum dantes provocantesque contempsimus. Magis enim de certamine nominari desiderabant, quàm formidabant in certamine superari, nec sperabant victoriæ gloriam ; sed famam requirebant Collationis, quià multitudinis non habebant. Si ergò putatis ideò vos esse victores, quià non vobis datum est, quale desideratis Examen ; Maximianistæ vos ad ista vaniloquia præcesserunt : quamvis dederit vobis Ecclesia Catholica judicium, quale debuit, ubi causa vestra finita est : illis autem nullum dare dignata est.*

Si autem in Maximianistis videtis non esse consequens, ut qui conferre in aliquo judicio non sinuntur ; putari debeant de veritate confidere, nolite ulteriùs hæc vana jactare : vobisque sufficiat, quod vos Ecclesia Catholica, & maternâ lenitate sustinuit, & judiciariâ severitate, vel potiùs medicinali necessitate damnavit.

Quod

Quod si Clemens Papa Sanctissimus severiori vos Ecclesiasticæ disciplinæ nervô, abnegatâ Jansseniani operis ulteriori discussione ad obedientiam compulerit, laudabunt in eo Catholici, quod in Cælestino Prosper, nimirùm: *Sciens damnatis non Examen Judicij, sed solùm pœnitentiæ remedium esse præstandum: Cælestium, quasi non discussô negotiô audientiam postulantem, totius Italiæ finibus jussit extrudi: & Præcessorum suorum statuta, & Decreta Synodalia inviolabiliter servanda censebat: Ut quod semel meruerit abscindi, nequaquam admitteret retractari.* S. Prosper cont. Collat. cap. 41.

§. 9.

Ostenditur, quam sit frivola pro defensione quinque Propositionum è Cornelij Iansenij Libro excerptarum postulata ab Avito Academico, Paulo Aurelio, & Vincentio Paleologo audientia Partium contradictoriarum, ac novi norma Iudicij.

Ex verbis tuis Justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis.

*PRo feralibus seditionibus sopiendis, requiritur Juridica libri (*Jansenii*) discussio, ubi defensionis locus detur, partes audiantur contradictoriæ, & omnibus perceptis, consideratis, expensis, peremptoria dicatur sententia,* inquit Paulus Aurelius. *Paulus Aurelius Prolog. Gal. §. 4. sect. 3. Fol. 69.*

Causam è jure depromptam habes cum ità ratiocinatur: *Clamant jura omnia divina & humana, non oportêre quemquam damnari priusquam locum defendendi accipiat ad abluenda crimina.* Censet ergò magnus ille legum peritus de libris

&

& personis idem esse judicium. Sic ut libri erroris argui non possint nisi defensi, quemadmodum nec Personæ ultione perstringi inauditæ, & indefensæ. Quod postremùm non semper, præsertim in Notoriis verum esse asseruit in sui defensionem exemplô Pauli Apostoli incæstuosum absentem damnantis Glorioſiſſimus Martyr & Archiepiscopus Thomas Cantuariensis.

Sed liberaliter eô concessô, quis non videat aliam Personarum, aliam Scriptorum dijudicandorum esse causam? Libri è suo contextu veniunt judicandi. Quod si eorum sensum ab Authoris interrogatione & responsis librandum duxeris, quis de Testamentis, Codicillis, Legatisve censebit? quis lites dirimet, nisi Testatorum Manes ab inferis revocati de sensu Monumentorum suorum fuerint ad judicium citati? Quomodò Ecclesia Libros mortuorum proscripsit Auctorum, quomodò damnavit erroneos sensus eorum? Quomodò Gregorius Magnus Capitula Ibæ ac Theodoreti justissimè damnata censuit, & damnari præcepit post fata eorum? Quas ergò Partes pro causa Jansenii convocandas autumant Defensores illius? Num Jansenium ipsum ad judicium cogent? Num Discipulos ejus præoccupatô mentis oculô librum legentes? Placetne sic Hæredes constituere Interpretes testamentorum controversorum? Tutius equidem judicibus illis judicium Janseniani voluminis delatum oportuit, ad quorum tribunal in causa dogmatica perfidia non habet accessum, ubi pretiosum à vili sinè erroris periculo discriminandum censuêre omnes Ecclesiæ Patres atquè Doctores, agnoscentes Romanam Sedem velut Matrem, ac omnium Ecclesiarum Magistram, quæ filios non optat ullâ labe erroris aspergi, sed esse penitùs immaculatos, præsertim sacros Præsules in pace defunctos. Cur ergò non huic po-

potiùs censuræ parendum, quàm Privatorum calculo disputantium acquiescendum statuent omnes devoti Romanæ Ecclesiæ filii? *Ego*, dicere debent cum Doctore Bethlemitico, *Cathedræ Petri communione consocior.*

Sed argutiunculas Jansenianorum quasi de jure certantium jam dudum difflaverat S. Maximus Ecclesiæ Aquileiensis Episcopus in Synodo Lateranensi dicens ad S. Martinum adversùs Pyrrhum, Cyrum, Sergium, Paulum, aliosque Monotholitas, quorum accusatores & testes aberant: *Si placet vestræ beatitudini, convenienter de his, quæ proponuntur, cognoscamus per conscripta eorum adversùs fidem exposita, quæ & sinè accusantis Persona redarguenda apertissimè demonstrantur: Propterea enim accusatio extranea superflua esse dignoscitur, quoniam à suis temerariis conscriptis apertiùs accusantur, quibus omnem mundum accusasse noscuntur. Ità namquè Dominus ait:* EX ORE TUO JUDICABO TE. EX VERBIS TUIS JUSTIFICABERIS, ET EX VERBIS TUIS CONDEMNABERIS.

Consonantem audi VI. Synodum: *Per quintum Concilium constitutum est, ut eorum opuscula, quæ latenter reperta sunt, repleta abominatione anathematizarentur.*

Ipse quoque Theodoretus Ephesini Latrocinii sententiam contrà se dictam retractari postulans, cunctos à se conscriptos libros recenset, & continenter clamat: *Rogamus, Judicium ex scriptis constituatur.* Ecquid ipse Jansenius si operis sui vindex adstaret aliud à judicibus efflagitaret, nisi: *Rogamus, judicium ex scriptis constituatur.* Nec verò Sedes Apostolica aliud quàm ex scriptis Cornelii Jansenii suum contrà famosam Pentadem judicium constituisse credenda est, dum è Libro illo excerptas, & in sensu Cornelii Jansenii quinque Propositiones se damnare profes-

fessa est. Et quis de æquitate addubitet, cum teste Avitô, nihil sit *Jansenio* in *Jansenio clarius*? hinc enim facile invenire potuit, quod abjiceret, sensumque Jansenij erroneum esse quem ipsa damnaret. Legit, discussit, libravit Librum Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, suumque ex *scriptis judicium constituit*. Igitur causa finita est, finiatur error, succedat audientiæ malè petitæ & inverecundæ, pœnitentia verecunda.

EPILOGUS PARÆNETICUS

Ad Avitum Academicum, Paulum Aurelium, Vincentium Paleologum Jansenianorum Goliathum.

Considera pactum, conditionem attende: militiam nosce: conditionem, quâ accessisti, pactum quod spopondisti. S. Jo. Chrysost. Serm. de Martyribus.

VIr ille spurius de Castris Philistinorum nomine Goliath, qui exprobravit agminibus Israël, qui ad singulare certamen Davidem provocavit, non minori Spiritûs tumore inflatus, quàm carnis mole elatus, Diaboli, qui superbis principatur, typum gessit. *Et quod David prostravit Goliam, Christus est qui occidit Diabolum. Quid est autem Christus Diabolum occidit? humilitas occidit superbiam.* Non desinit tamen habêre ille Goliathus sequaces, qui Agminibus Israel, qui Principibus Ecclesiæ exprobrant, qui ad Monomachiam quemlibet provocent. *Prava enim Doctrina*, ut ait Chrysostomus, *nihil aliud est, quàm inanis gloriæ filia: sivè quam plantavit ratio, intempestiva scrutatio, rigavit stolida superbia, ambitiosa cupiditas auxit.* Undè & de Gnosti-

S. Aug. tonc. 1. in psal. 33.

S. Chrysost. hom. 65.

Gnosticis Africanus olim Cato : *Omnes tument.* Hujusmodi Goliathum se exhibuit liberi arbitrii inflator, inflatusque Pelagianorum Corypheus. Sicut namque turgida illa Gigantæa moles omnem in se certaminis aleam suscepit, quemlibet de populo Israël impavidè provocans, ac protervè irritans, non veri Numinis ope freta, sed corporis lacertis confisa & in hastâ ac gladiô victoriam reponens; ità Julianus præfidentis viribus ingenii fretus doctrinam Ecclesiæ ut vulgarem spernens, Agmina Defensorum eludens ut Manichæorum castra, *unum se egressum de Castris Pelagianorum se jactabat, qui in se summam præliy sitam* optaret intelligi, ut si victus fuisset unus ille, nîl ulteriùs auderent alii. Cujus lepidam, & lautam gratulationem eludit Augustinus, cujus superbam præsumptionem deprimit non erubescentis dicere, *majoris sibi esse apud Deum gloriæ destitutam veritatem tuêri.* Nimirùm illius Spurii æmulus esse cupiebat, quem sacri Fasti ità referunt stipulatum : *Si quiverit vir pugnare mecum & percusserit me, erimus vobis servi.*

Tertull. de Præscrip. cap. 41.

L. 3. cont. Iul c. 1. L. 2. c. 10.

Reg. 17 v 9.

Hunc Pelagianorum Goliathum, Avite, Paule, & Vincenti æmulô passu pro Jansenio Jansenianisque Castris (si tamen Paucitas vestra habet Castra) depugnaturus insecutus es. Primum quidem exprobrasti Agminibus Israël, Ecclesiam Dei viventis in Principibus suis opprobriis conspuisti clamitans Christi Ecclesiam, quam in Jansenianâ Parte constituis, *pressuras pati à Principibus Sacerdotum, & Magistratibus populi.* Et extrema propter pressuras persecutionesque adlabi tempora ejulasti. *Mactatum per Jansenij latus Magnum Aurelium*, contritam veritatem. Adhæc præscriptum ab Alexandro VII. Formularium *funestum, perjuryis confirmatum tot, criminibus horridum ac luctuosissimum esse* debuccinasti, inflatus tumore quo plenus es.

Avitus Acad. Paranesis pag. 20. Fol. 4.

Sed

Sed & exprobrantis voces audivimus, & suprà retulimus, Eremitarum Neminem, nequè sapientissimorum Academicorum unum *Jansenianam, quam vocant, hæresim à tutissimis illis, & tantâ sæculorum laude receptis, ac per universam Christi Ecclesiam celebratis dogmatibus vel ad latum unguem segregare ac dispescere potuisse.* Atquè *ut ignava pectora* conculcasti, *quæ toties provocata dolorem suum silentiô ulciscì debent.*

Paulus Aur. Prolog. Gal. Fol. 48.

Eôdem Spiritu tandem ad Monomachiam accinctus Classicum insonuisti mi Paule Aureli, *Provoco ego minimus Defensorum Jansenij, societatem, quanta est, Universam, atquè omnes quotquot sunt uspiam Molinianos, ut ostendant Augustinum non jam dico in quinque propositionibus, sed in unâ solâ ab Hipponensi Augustino vel terminis, vel significatione dissidere, tamquam eâdem victoriâ prostratis, adoream illis porrigam & manus dabo.*

Ego quidem unus è multis non de Molinianâ Societate, sed Eremitarum Gente etiam lacessitus Monomachiam non arrogavi ut expugnarem Jansenianam aciem, quam totus jam Christi debellat exercitus, sed cum aliis veri Augustini amatoribus prophanas istas novitates refutandas suscepi. Condictum equidem Martialem campum ingressus Librum Jansenii & Augustini Opera delegi, & in ipsa & ex ipsa area Augustiniana arma procudi, acinacem limavi, Augustinum ab Augustino dispescui, Augustinum Europæum ut spurium propriô mucrone jugulavi, meritòque Romanô ictum fulmine evictum dedi. Sit orbis judex, Veritas Lex, & Charitas Rex. Quid superest Jansenianorum Goliathe, nisi, ut Christus occidat in vobis Goliathum, humilitas superbiam perimat, omnipotentissima Christi gratia contrà gratiam certantes triumphet, & Veritas Augustiniana palmam ferat, cum nîl sit invictius

&

& glorioſius quam vinci à Veritate. Victas jam manus cedito.

Stipulatam adoream non mihi, ſed Veritati porrigito, & Auguſtinum coronato, qui cuncta hoſtilium machiamenta telorum Cæleſtis juvaminis virtute confringens non ſolum ipſe de hoſte victoriam referens triumphavit : *Quin etiam poſteris certandi & vincendi Ordinem, ſi quandò victa pravitas recidivo auſu infandum caput erigere niteretur, oſtendit.* S. Fulg. l. 2. de veritate Prædeſt. & Grat. c. 18.

Convitiare quantum potes: Quis enim convitioſus hoc non poteſt? Aug. l. 2. contrà Julianum op. poſt c. 11.

MANTISSA

Contra Mantiſſam Paræneſis Vindicatæ Aviti Academici *de Doctrinâ Ianſenij circà propoſitiones famoſas.*

Paræneſis vind. §. 4. pag. 27. & 28.

QUod in Gratiâ Triumphante anno 1699. palam edixit Vincentius Paleophylus, ſolâ, ut apparet, nominis phalerâ ab Avito Academico diſcretus : *Igitur, nec vel ipſe Janſenius (ſi rem æqua lance expendas) Janſeniſta eſſe potuit : quià non docet quid Janſenius ſentiat, ſed refert, quid Auguſtinus tradat. Stupidus, infidus, fraudulentus hiſtoricus eſſe quivit, non erraticus, aut hæreticus Dogmatiſtes. Sed ſtupiditatem, perfidiam, vel dolos illos non aliter quam collatione Libri ejus cum Auguſtino, aſſignatâque evidenti diſcordiâ demonſtrandos eſſe, vel cæci vident* ; Identidem repetit Avitus Academicus noviſſimè in Paræneſi vindicatâ : *Janſenius in Periodo ſua* (ſcilicet prima famoſa)

Gratia Triumphans pag. 61

Paræneſis vindic. pag. 28.

mosa) *relatorem non assertorem agit; facti, non juris quæstionem versat; doctrinam Augustini enarrandam suscipit, non novam promit.*

Sed imprimis in hoc Opere sat operosè ac nervosè, ut reor, evictum est, famosarum propositionum Pentadem novum esse Jansenij fœtum ab Augustino peremptum priusquam editum, ac perperam Augustino suppositum. Quem Jansenius quidem depromptis ex Augustino argumentis, ad novitatis invidiam propulsandum, provehere & corroborare nisus est, at tam cassô conatu, quam irritô eventu. Quis enim nesciat Jansenium ut Dogmatisten ingenti argumentorum mole Recentiores opprimere conatum Augustinum feciſſe suum, ideòque Augustini testimoniis conglobatis Adversarios arietasse tamquam suppares Semi-Pelagianis per Augustini arma debellatis?

Quod si Relatorem Augustini dumtaxat Jansenium appellare collubeat, eòquod Augustini testimonia tam ubertim expromat, & velut ejus nomine respondeat; poterunt quoque tum veteres, tum Recentiores Hæterodoxi ab hæretici dogmatis lue purgari, ac pro illis seu Historicis, non Dogmatistis vindiciæ agi. Cum enim hæreses condidêre, non se nova promere causati sunt, sed vetusta referre; nec tam sua, quam divina sensa tuêri, utpotè Verbo Dei scripto, ut delirabant, consignata. *Ipsi de Scripturis agunt, & de Scripturis suadent... Scripturas obtendunt, & hac sua audacia statim quosdam movent*, inquit Tertull. cap. 15. de Præscriptionibus. *Quod faciunt & Manichæi & Gnostici, & Ebionitæ, & Marcionis Sectatores, & aliæ hæreses octoginta, de purissimo Scripturarum fonte assumentes testimonia*, ait S. Epiphanius. Nequè ideò non sunt erratici dogmatistæ, quià divinorum prætendunt Verborum authoritatem, quam referunt, eòquod

quod suum faciant sensum quem Scripturis inesse sibi fingunt. Hinc rectè Hieronymus adversùs Luciferianos pronuntiatum reliquit: *Nec sibi blandiantur hæretici; si de Scripturarum Capitulis videntur sibi affirmare quod dicunt, cum & diabolus de Scripturis sit aliqua locutus.*

Et è diametro quis Augustinum Historicum, & non Catholicum Dogmatistem esse affirmare præsumat, dum divinorum mole Eloquiorum, ac veterum Patrum Testimoniis Pelagianorum ac Semi-Pelagianorum machinamenta contrivit? Quis non eam verè Augustini Doctrinam censeat, quam de gratiâ & liberô arbitriô exaravit? Et tamen ità se de gratiâ & liberô arbitriô disputasse fatetur ipse: *Ut non magis ego, quam divina ipsa Scriptura locuta sit evidentissimis testimoniis veritatis.*

Ergò pariter Jansenius non modò Relatorem, sed & Assertorem egit, sed Assertorem erraticum, & Relatorem falsum; ut Dogmatistes in juris quæstione à veritate Catholica deviando, & in facto saltem oscitanter ab Augustini sensu exorbitando, & Augustiniani unguenti suavitatem exterminando. *Aug. de grat. & lib. arb. c. 20.*

Sed Avitum obstrepentem audiamus, & inficiantem primam totidem verbis extare apud Jansenium: *Certè illam totidem verbis apud Jansenium extare, & negavi jam sæpius, & usquè ad extremum vitæ halitum negare pergam. Verba primæ Propositionis in Bulla Pontificis hunc sonitum edunt „ aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia, deest quoque illis gratia quâ possibilia fiant. „ Porrò ipse Jansenius, in suo volumine propositioni isti alludentia ità promit: „ Hæc igitur omnia pleniissimè planissimèque demonstrant, nihil esse in Sancti Augustini Doctrina certiùs & fundatiùs, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantùm*

infidelibus, excæcatis obduratis, sed fidelibus quoque & justis volentibus, conantibus, secundùm præsentes quas habent vires, sunt impossibilia &c.

Pergit Avitus: „ *Quis non primo intuitu percipit, quam immensô intervallô distarent abinvicem Scriptores duo, quorum alter multis S. Cypriani testimoniis adductis & elucidatis inferret, hæc igitur omnia plenissimè, planissimèque demonstrant, nihil esse in Sancti Cypriani Doctrinâ certiùs & fundatiùs quam Baptisma hæreticorum non esse validum, & denuò tingendos, qui ab hæreticis ad Ecclesiam revertuntur. Alter verò crudè asseveraret: Baptisma hæreticorum robore aut validitate caret; & denuò tingendi sunt, qui ex illorum sodalitio ad Ecclesiam redeunt?* „ *Nimirùm prior è duobus Scriptoribus dumtaxat ità sentire Cyprianum perhibet; posterior id verum asserit, quod Cyprianus sensit. Sic quoque Jansenius in Periodo sua relatorem non assertorem agit.*

Respondeo immensô intervallô inter se disjungi Scriptores duos, quorum alter simpliciter S. Cypriani sententiam refert, alter propositionem Cypriani ut veram adoptat. Utrumque præstiterunt Donatistæ Cypriani sensa referendo, ac insimul ut Catholica arrogando atquè roborando, undè & Cyprianistæ audire meruerunt à Vincentio Lyrinensi, qui quoque Cyprianum à Cyprianistis his verbis discriminavit: *Absolvuntur Magistri, condemnantur Discipuli.* Sic & pro peccato Originali & gratiâ Christi veterum Sanctorum Patrum monumenta retexuit, ut quæ referret sua faceret, & confirmaret, fieretque non modò historicus, sed & Maximus dogmatistes, ostendent se æmulatorem eorum, quorum Scripta recensuit Augustinus

Fecit & hoc Jansenius, licet infaustô eventu, sic Augustini, quem falsò rebatur, sententiam re-

referens & Augustini esse contestans, ut verissimam crederet, suisque-met argumentis contesserans. Siquidem immediatè subnectit de suo: *Hoc enim Sancti Petri exemplo, aliisque multis manifestum esse, quitentantur ultrà quod possunt sustinêre.* Et pag. 335. concludit: *Ex eodem principio consectaneum est, plurimis non dari istam præcepti possibilitatem quæ precibus impetrari solet.* Et pag. 326. *Hanc impossibilitatem fidelibus accidere non solum quandò nolunt, sed etiam quandò volunt.*

Et cum nullam necessitatem, nisi cogentem officere doceat libertati demeritoriæ, adeòque peccare hominem etsi immutabili necessitate constrictum, modò violentia desit; impossibilitatem, quam Augustino affricat, Præceptorum aliquorum, Jansenius affatim confirmat in iis locis, ubi de tam premente necessitate nondum agebatur, scilicet lib. 3. de grat. Christi cap. 13. & cap. 15. Quamquam hanc vocem impossibile semper in justis, imò & in hominibus, quos Pelagiani supposuerunt gratiâ vacuos, Augustinus ut impiam exhorruerit in rigore Pelagiano objectatam.

Deniquè Jansenius ipse affatim pandit se in tam operoso Volumine non modò Historicum, sed & Dogmatisten egisse in epilogo, ubi memor fidei, quam cum lacte matris bibit, & Apostolicæ Sedis, Ecclesiæque Romanæ Matris suæ tam cernuâ veneratione lucubrationes suas suspendit, ut dicat: *Ut illud jam nunc teneam, si tenendum, revocem si revocandum, damnem & Anathematizem, si damnandum & Anathematizandum esse judicaverit.* Quæ protestatio magis dogmatisten, quam historicum resonat, & plus Juris quæstionem ab eo versatam quam facti circà mentem, Doctrinamque S. Augustini; cur dogmatizando se inhæsisse confitetur, luculentissimè prodit.

Et quamquam de se asserat: *Quod sicubi hallucinatus fuerim, hoc scio me non Catholica veritate, sed Augustini sententia cecidisse: nequè enim quid verum aut falsum, quid tenendum aut non tenendum in Catholicæ Ecclesiæ Doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit ac docuerit*; Constat equidem, quod Augustini Doctrinam, quam putabat, sic adoptarit, ut per eam Recentiores contentiosissimè refutare voluerit, & ostendere eos sicut ab Augustini tramite, ità rectitudine sanæ doctrinæ deuios, utpotè Pelagianis, aut Semi-Pelagianis suppares, tum in materia gratiæ sufficientis, tum libertatis à necessitate; adeòque damnatam jam olim resuscitare doctrinam. Et nonne hoc docere est: *Quid in Ecclesiæ Catholicæ doctrina verum aut falsum, quid tenendum sit, quid non tenendum?* Quid si Calvinus ipse, qui *Augustinum totum* Appellat *suum*, hôc pactô se purgaret & diceret: *Scio me non in Catholica veritate, sicubi hallucinatus sum, sed in in Augustini sententia asserenda cecidisse?*



MAN-

MANTISSA SECUNDA

Adversùs Avitum Academicum, Vincentium Palæophilum, Paulum Aurelium per dissonas de sensu obvio famosarum 5. Propositionum Nænias semet ipsos Perimentes.

Comprehendam sapientes in astutia eorum. 1. *Corinth.* 3.

JAnsenianam hæresim in *naturali ac obvio sensu, quem ipsa propositionum verba præ se ferunt*, damnasse Apostolicæ Sedis Antistites pleniſſimè demonstratum est. Quod hujus Cathedræ eversor Avitus Academicus (nam infallibilitatis Cathedram vocat *Commentum otiosorum hominum* in Paræneſi) sensum illum *obvium & naturalem ut Planissimam Chymæram eludat*, & versicolores sensus certò continêre asserat, *nullumque ancipitum & trusatilium illarum enuntiationum sensum obvium posse dari*, non usquè adeò demirandum censeo, quam quod hic ipse sensûs obvii eluſor & irriſor propoſitiones illas *prout Iacent alibi tuêri vereatur*. Quid namque est nolle tuêri propoſitiones *prout Jacent*, niſi in sensu *obvio ac naturali*? Nam ſi ancipites, ſi truſatiles ſint famoſæ propoſitiones, ut Avitus ait, quomodò jacent, quæ non unô locô conſiſtunt, quæ per verſicolores ſenſus ambulant? aut ſi non varijs ſenſibus ſubjacent, quomodò in naturali ac obvio ſenſu non Jacent, ſivè ſubſiſtunt? Et ſi uno in ſenſu Jacent, quomodò in *Chymæra planiſſima* diſcurrere Avito Academico vilæ ſunt?

Paræneſis vindic. p. 48. & 49.

Paulus autem Aurelius fatetur se propositiones *prout jacent* tuêri nolle in prologo galeato his verbis. *Non hæc eo à me animo proferuntur, ut propositiones .... crudas ut jacent atque in terminis suis tuear.* Et Vincentius Palæologus negat dari Jansenistas, qui illas, *ut jacent*, doceant. *Dari Jansenistas* inquit, *qui quinque propositiones in sensu à Pontificibus damnatos (quem Augustinianum non esse vivæ vocis Oraculo multoties declaraverunt) vel ipsas etiam propositiones nudas ut jacent, doceant*, tu mi Notarie, *quamvis omnes Angulos etiam glyribus & muribus impervios atquè ignotos excutias, non deprehendes.*

Prolog. Galeat. pag. 66.

Habent ergò propositiones famosæ, *ut jacent, atque in suis terminis*, damnabilem sensum, imò *damnatum à Pontificibus*, quem nulli Jansenistæ doceant, Auctore Vincentio. Ecquis ille sensus? Non qui in prima columna ponitur, quià hic ex propositionibus *ut jacent* non exsculpitur, sed *malignè* tantùm *affingitur*: Nec Augustinianus, (ut liquet ex Pontificum declaratione) igitur alius & unicus est, ille nempè quem Jansenianum esse iidem Pontifices Scriptis Oraculis prodiderunt.

Ut quid ergò Avitus asserere non veretur: *Manifestè res est impossibilis, & quasi enuntiatio seipsam jugulans, ut detur propositionum istarum aliquis sensus obvius.*

Paræneſis vindic. p. 49.

Ut quid requirit, ut circumscribatur sensus ille obvius *verbis simplicibus & perspicuis, atquè ut cavêri, despui, ac legitimâ ejeratione ejerari valeat, omnibus fidelibus fiat obvius, si crudæ, & ut Iacent*, Sint damnabiles, & à Jansenistis indefensæ? edicat Avitus ipse, quis sit sensus propositionum, prout Jacent, verbis simplicibus; certè non inveniet, nisi illum quem ex Jansenio exsculpsimus. Aut si id facere non possit,

Paræneſis vindicata pag. 50.

possit, quià Versicolores sensus continent, ut ipse profitetur, quomodò *ut Iacent & in suis terminis* Jansenistarum nemo, eas tuêri ausit? Nam ubi propositio versicoloribus subjacet sensibus, veris & falsis, non tam grande piaculum foret in sensu vero, *quem, ut jacet, continet, eam tueri.* Jugulat ergò seipsum Avitus & Vincentius, dum propositiones *ut Iacent*, damnant, & sensum obvium negant. Et non sciendi sed vitilitigandi studiô sensum *obvium* perspicuis terminis cupiunt circumscribi, cum semetipsam affatim propositio circumscribat, quæ; prout Jacet & in suis terminis intelligitur, etiam ab ipsis, ut fatentur, Jansenistis. Ingratijs ergò Sedem Apostolicam suis expostulationibus fatigant, ut declaret, quis sit ille damnatus quinque propositionum sensus obvius, quià ipsissimus est, quem propositiones, *ut Iacent*, continent, id est, quem *ipsa propositionum verba præ se ferunt*, ut declarat Innocentius XII.

Frustrà etiam stabiliendæ Ecclesiæ paci (sed non quæ Christi est) postulat Paulus Aurelius, ut sit *explicatio clara, terſa, & distincta istorum sensuum, quos in legitiosis propositionibus tamquam Doctrinæ Ecclesiasticæ adversarios ab omnibus Christi fidelibus necesse est reprobari.* Quam verò pacem animo volvat, subjectis sensibus Lutheranis aut Calvinianis, qui propositionibus *ut Iacent* nullo pacto tribui, sed malignè affingi possunt, & quos Sedes Apostolica ut dissentaneos suis Constitutionibus reprobavit, legentium oculis ingerit, suis nescius sese telis confodiens ex Arianorum debellatore depromptis, quibus adversarios ceu falsæ pacis avidos impetit in limine Paræneſis vindicatæ. *Prolog. Galeat. pag. 67.*

Speciosum quidem est nomen Pacis: & pulchra est opinio Unitatis; sed quis ambigat eam solam Ecclesiæ atque Evangeliorum unitam pacem esse, quæ Christi est? S. Hilarius contrà Auxentium.

Si autem non sapitis, nos vestri curam gessisse non pœnitebit, quià si cor vestrum ad pacem non convertitur, pax nostra tamen ad nos revertetur. S. Augustin. lib. 3. cont. Petil. cap. 59.



PRÆ.

PRÆMONITIO.

Ut ne quemquam fugiat, Romano-Catholice Lector, non tantum hujuſce operis Conditorem, ſed etiam univerſam Provinciam Auguſtino-Belgicam perperam à malevolis in ſuſpicionem Janſeniſmi fuiſſe traductam; juvat vindicias Auguſtini contrà Janſenianos Auguſtiſtianæ Scholæ Apologeticâ conteſtatione ſeu declaratione, quæ & Alpes tranſilijt, coronare. Itàque ſubditur quæ facta eſt Anno 1704. dum res poſtulabat.

DECLARATIO.

Præcipuorum Patrum, & Profeſſorum Provinciæ Flandro-Belgicæ Ord. Erem. S. P. Auguſtini, edita 1704. contrà rumores falſò de ſe ſparſos.

QUi Erudiendis aliis, in doctrinâ præſertim Sacrâ, operam ex officiô publicè injunctô impendunt, ſic eligere debent bonam vitam, ut bonam non negligant famam; ſed juxtà Apoſtoli monitum provideant bona, non ſolùm coram Deo, ſed etiam coram hominibus. Hinc, cum ad notitiam infrà-Scriptorum devenerit, quorundam Malevolorum, vel certè imperitorum Sermonibus divulgari, Patres Provinciæ præfatæ, ſpretis S. S. D. D. Romanorum Pontificum Cenſuris, ac Decretis, quibus condemnarunt quinque articulos occaſione Libri Cornelij Janſenij Epiſcopi quondam Iprenſis, cui titulus *Auguſtinus*, eoſdem articulos,

vel

vel aliquos saltem ; aut aliquem eorum docêre , ac sustinere , vel iisdem illis Censuris , & Decretis se non sufficienter subjicere : volentes huic rumori calumnioso sensim crebrescenti obviare, veritatemque universis scire cupientibus manifestare , infrà Scripti ejusdem Provinciæ Patres præsenti hôc Manifestô declarant , & testantur rumorem istum omninò fallum , & calumniosum esse , nec Scholam Augustinianam de iis articulis , aut controversiam movisse , aut Censuris , & Decretis illis obstitisse , aut contradixisse : sed contrà semper reverenter suscepisse , articulosque per istas Censuras , & Decreta proscriptos pro damnatis habuisse , nec eorum quemquam docêre , vel docuisse ,

Quod , ut magis universis declarationem hanc legentibus pateat , & appareat , dicti Patres ad efficaciùs repellendam injuriosam istam invidiam.

Declarant 1. Quod inhærentes Declarationibus , & Definitionibus Capituli Generalis anni 1681. 24. Junij sub Reverendmo. P. Dominico Valvasorio ejusdem Ordinis tum Generalis unanimiter in omnibus sequantur , & tueantur inconcussam doctrinam S. S. Parentis Augustini , præsertim in materiâ de nostrâ Gratuitâ Electione , ac Prædestinatione in Christo , etiam ad Gloriam independenter à prævisione nostrorum meritorum : nec non de gratiâ Christi per se Efficaci , quâ Deus operatur in nobis velle, & perficere.

2. Quod parati sint rejicere , & damnare , & sincerô animô rejiciant , & damnent quinque Propositiones in Jansenio damnatas ; & propugnent Doctrinam illis Propositionibus è diametrô oppositam.

3. Amplectentes duo Brevia subsequentia Innocentij XII. felicis recordationis , parati sunt subscribere , & reapse subscribunt formulæ Alexandrinæ infrà-Scriptæ.

Primum Breve , quod Innocentius XII. scripsit Episcopis Belgij , datum fuit 6. Februarij 1694. in quô , Constitutionibus Innocentij X. , & Alexandri VII. confirmatis , habenter sequentia : *Præcipimus , ut quemadmodum*

modum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, istud præstare debent sincerè, absque ullâ distinctione, restrictione, seu expositione, damnando eas Propositiones ex libro Jansenij excerptas in sensu obviô, quem ipsa-met Propositionum verba præ se ferunt, prout sensum illum damnarunt summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque habêri voluerunt à Christi Fidelibus; ità per Fraternitates vestras ab iis, qui formulario præscripto subscribent, ac juramentum præstabunt, præter formulam istam traditam, verbaque in Constitutione Apostolicâ præscripta, quidquid aliud vel minimum declarationis, interpretationis aut explicationis, verbô, vel Scriptô non exigatur, etiam sub prætextu, quod additiones ad nos transmissæ comprehendantur, seu contineantur in Formulariô Alexandri VII. Cæterum ad præcavendum omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant, Nos quoscumque alios sensus Formularij præter eum, quem ipsius verba exhibent, afferri, vel usurpari, aut de his disputari interdiximus, & prohibuimus, ac super ejusdem Formularij interpretatione, sicut & prædictarum Propositionum in alios sensus præter eum, quem ipsa verba per se exhibent; perpetuum silentium imposuimus, ut ex Nostris Decretis tam super ipsô silentiô, quàm super prohibitione omnium librorum editorum, & edendorum in hâc materiâ plenius innotescet... demum .... injungimus, ne ullâ ratione, quemquam vagâ istâ accusatione & invidiosô nomine Jansenismi traduci, aut nuncupari sinatis, nisi priùs suspectum esse legitimè constiterit, aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse, nec quemquam sub hôc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, ac concionibus habendis, vel alià quâcumque functione Ecclesiasticâ permittatis, nisi servatô juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.

Breve autem secundum misit dictus Innocentius XII. iisdem Episcopis 24. Novembris 1696. quod sic sonat: *Litteras quas 19. Julij, ad Nos dedistis, libenti animô accepimus, cum in illis vestras ad hanc S. Sedem preces intellexerimus, quibus nostrum judicium pro sanâ doctri-*

nâ

nâ vestris in Diœcesibus regulandâ postulatis. Ex iisdem autem litteris apertè deprehendimus mala, quæ quoad Jansenismum exponitis, non procedere ex eô, quod Brevi à Nobis 6. Februarij Anni 1694. ad vos datô, satis ipsis non sit consultum: sed potiùs quià idem Breve executioni fortasse, ut par esset, non mandetur: cum illud nullâ prorsùs indigeat explicatione: Aptumque sit, ut in ipsô præscripta adimpleantur, efficax, atquè opportunum afferre remedium. Quod si prætensi Jansenistæ internè, & absque eô quod deveniant ad ullum actum externum, dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propositiones, quàm in sensu obviô, non habitô respectu obvij sensûs dicti Formularij, suôque arbitriô effingant ejusmodi sensum obvium, Ecclesia non judicat de occultis, quæ soli Deo, cordium Scrutatori, innotescunt. Sin verò iidem prætensi Jansenistæ voce, aut Scriptis edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum, prædictique Brevis seusui dissentaneos, debent Episcopi, prout de jure, contrà eos procedere, non tantùm authoritate ordinariâ, sed etiam speciali facultate ipsis indultâ à Constitutionibus Prædecessorum nostrorum fel. record. Innocentii X., & Alexandri VII., quas Nos quoque confirmavimus, ità ut servatis servandis, congruè puniantur, cum ea omnia facilè probari possint, quià agitur de actibus externis.

Non sinè admiratione intelleximus nonnullos istis in Diœcesibus reperiri, qui verbis, & calamô ausi fuerint affirmare, supra-dictô Nostrô Brevi alteratam, seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. 16. Octobris 1656., Editam, nec non Formularium ab ipsô-met pronuntiatum, cum dictô Brevi utrumque specificè confirmetur, & omninò intenderimus, & intendamus iisdem adhærêre, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur vel dematur à prædictô Formulariô, illud quôvis modô alterando in aliquâ ejus minimâ parte, sed quod in omnibus, & singulis ejus partibus uti mandavimus, mandamus etiam ad amussim observari.

Formulare verò Alexandri VII. hoc est: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentij X. datæ*

die-

die 31. *May* 1653., *& Constitutioni Alexandri VII. datæ* 16. *Octobris* 1656. *Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelij Jansenij librô cui nomen Augustinus, excerptas, & in sensu ab eôdem Authore intentô, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincerô animô rejicio, ac damno, & ità juro: sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

Ità est: *F. Emmanuel Ballexo S. T. L. Missionum Præfectus, & Provincialis.*
F. Philippus Tax. S. T. L. Ex-Provincialis.
F. Franciscus Pauwens S.T.D., & Capituli Prov. Præses.
F. Bernardus Desirant S.T.D., Diffinitor.
F. Guilielmus Wynants, S. T. L. Historiographus Ordinis, Diffinitor.
F. Eugenius vander Blancken Diffinitor.
F. Franciscus Jansens Diffinitor.
F. Fulgentius Schautheet Provinciæ Visitator, S. T. L. & Professor.
F. Daniel Dresens Provinciæ Visitator.
F. Joannes Smidts Exprovincialis.
F. Gerardus Melyn S.T.D. & Prior conventûs Antverp.
F. Philippus van Wavre S. T. L. Provinciæ Secretarius.
F. Philippus Fullier Prior Mechlinienſis.
F. Carolus Crabeels Prior Bruxellensis.
F. Nicolaus de Tombeur S. T. L. & Professor.
F. Hieronymus van Damme Prior Herendalensis.
F. Ægidius Baulduin S. T. L. Prior Leodiensis.
F. Florentius Zandre Prior Huensis, nuper S.T. Professor.
F. Gregorius Goetghebuer Prior Disthemiensis.
F. Augustinus Bouhon Ord. Erem. S. Augustini S. Theologiæ in Monasterio S. Jacobi Professor.
F. Stephanus Rossius Ord. Erem. S. Augustini S. Theologiæ in Monasterio S. Laurentij ad Leodium Professor.

In Conventu noſtrô Moſæ-Trajectenſi Anno 1704. 27. Septembris.

F. Bernardus Mathiæ Prior & Viſitator.
F. Andreas Bernardts nuper Profeſſor Philoſophiæ, & Ex-Prior conventûs Mechlinienſis.
F. Leonardus Daniels Prior Breanus.
F. Jacobus Kellens Prior Haſſelenſis.
F. Jacobus Baert Prior Lovanienſis.
F. Antonius de Fraye quondam Philoſophiæ, ac Theologiæ Profeſſor, Conventûs Lovanienſis Exprior: modò Provinciæ Viſitator.
F. Thomas San-terre S. T. L. ac ſtudij Lov. Regens.
F. Petrus van Acker S. T. L. ac Profeſſor Lovanienſis.
F. Jacobus van Boſſuyt S. T. L. & Profeſſor Lovanienſis.
F. Ignatius Sweerts S. T. B. For. Philoſophiæ Profeſſor.
F. Balduinus de Houſta Philoſophiæ Profeſſor.
F. F. Gochet Profeſſor.
F. Auguſtinus Eggermont Prior vic. Teneramundanus.
F. Albertus Marcus S. T. L. ac Profeſſor nuper Regens Studij Lovanienſis & Ex-Diffinitor.
F. Auguſtinus Spycket S. T. Licent. & Profeſſor.
F. Theodorus Wytens S. T. Profeſſor.
F. Gregorius Akerboom Prior Gandavenſis.
F. Joannes Libens S. T. B. For. & Philoſophiæ Profeſſor.
F. Daniel Bormans S. T. Profeſſor.
F. Leo Maroten Conventûs Bruxellenſis Ex-Prior, Ex-Secretarius, & quondam Philoſophiæ, & S. T. Profeſſor.
F. Petrus Hoydonk S. T. L., actualis Profeſſor, & aliquandò Prior Antverpienſis.
F. Franciſcus Goethals Philoſophiæ, ac Theologiæ quondam Profeſſor, & Gymnaſij Gandavenſis Regens.
F. Joannes Baptiſta vande Perre S. T. B. For. & actualis Philoſophiæ Profeſſor.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX
LIBRORUM, CAPITUM, SECTIONUM AC §. §.

Dissertatio Prodroma §. Primus pag. 1

§. 2. *Jansenianorum Thrazonismus de perfecta S. Augustini cum Jansenianâ Doctrinâ consensione non pertimescendus.* pag. 8

§. 3. *Occasio scribendi est audax exprobratio Aviti Academici &c.* pag. 11

§. 4. *Hujus operis scopus.* 17

§. 5. *Non purgat Jansenium, quod impugnaverit errorem Pelagianum.* 29

§. 6. *Immaculata Jansenij vita &c. non emaculant damnatam famosarum Pentadem.* 35

§. 7. *Conveniens fuit damnatæ Pentados Authorem Jansenium nominatim exprimi.* 44

§. 8. *An Jansenij persona ob damnatam Pentadem post fata damnari potuerit.* 49

§. 9. *Jansenij Vindices adinstar Pelagij ac Cælestij judices fallere nituntur.* 59

§. 10. *Sensus obvius 5. famosarum est unicolor, & non chymæra.* 62

§. 11. *Num 5. famosarum sensus obvius debuerit per Pontifices determinari, ut sciant fideles quid in Jansenio damnandum sit.* 69

LIBER PRIMUS.

De Propositione primâ, sivè de abjudicatâ justis conantibus & volentibus aliquorum præceptorum à Cornelio Jansenio possibilitate.

Propositio prima. 75

Caput I. De *voce* impossibile *in 1. Propositione justis &c. attributa.* 76

Sect. I. *Litera Jansenianæ* impossibilia *in Augustino tractante de justis conantibus & volentibus nondum est inventa.* ibid.

Sect. II. *Jànseniana justorum impossibilitas nec quo ad sensum è verbis S. Aug. eruitur.* 81
Sect. III. *Argumenta Cornelij Jansenij ex Aug. deducta solvuntur.* 84
Sect. IV. *Confringuntur 6. Jansenionum tela pro Jansenio Augustini sensibus componendo circà prætensam præceptorum aliquorum impossibilitatem.* 91
Caput II. *De Repudiata per S. Aug. Jansenianà præceptorum aliquorum impossibilitate.* 103
Sectio I. *Pelagiana possibilitas præceptorum Dei ab Augustino subnervatur.* ibid.
Sect. II. *Pelagiana diluuntur argumenta pro naturali possibilitate.* 106
Sect. III. *Absoluta Manichæorum impossibilitas cavendi mali ab Aug. refutatur.* 111
Sect. IV. *Objecta per Pelagianos Manichæa impossibilitas repudiatur.* 114
Caput III. *De impossibilitate præceptorum à Pelagio & Celestio objecta, & ut in his, ità & in Jansenio per Magnum Ecclesiæ Doctorem refutata.* 117
Sectio I. *Impossibilitas Præceptorum Dei à Pelagio & Celestio gratiæ necessitati objecta generatim ab Aug. refellitur.* 119
Sect. II. *Jansenij ratiocinatio de impossibilitate præceptorum &c. Pelagio patrocinatur.* 125
Sect. III. *Jansenianà impossibilitas per Augustinianam possibilitatis definitionem &c. exinanitur.* 127
Caput IV. *De Augustiniana peccatorum omnium etiam minimorum evitandorum possibilitate &c.* 131
Sectio I. *Num justi aliqui & Sancti vixerint sinè omni peccato veniali? Mens S. Augustini explanatur.* 131
Sect. II. *Undè Proveniat, quod non sit homo qui non peccet, peccaverit, vel peccaturus sit.* 136
Sect. III. *De possibilitate vivendi sinè omni peccato gratiâ Dei adjuvante.* 141
Sect. IV. *Impossibilitas omne peccatum vitandi ab Aug. repulsa refellit Jansenianam &c. impossibilitatem.* 144
Caput V. *De secunda parte primæ Jansenianæ.* 148

Sectio I.

Sect. I. *Jansenianæ periodi hujus fundamentum panditur.* ibid
Sect. II. *Quibus fundamentis nixa sit Janseniana impossibilitas &c.* 152
Sect. III. *Præjacta Jansenij fundamina subruuntur.* 154
Sect. IV. *Doctrina Janseniana calumnijs Gallorum consona à S. Prospero refutata.* 162
Sect. V. *Solvuntur argumenta ex S. Augustino deducta.* 166
Sect. VI. *An sinat Deus hominem justum in peccatum lethale prolabi damnabiliter ob superbiam venialem.* 171
Sect. VII. *Sitnè consentaneum divinæ bonitati, hominem justum ab omni noxa veniali immunem orbare gratiâ &c.* 174
Sect. VIII. *Famosum illud S. Aug. effatum discutitur:* Deus non deserit, si non deseratur. 182
Sect. IX. *Janseniana argumenta convelluntur.* 188
Sect. X. *Discutitur illud Apostolicum:* fidelis *Deus &c.* 195
Sect. XI. *Solvuntur argumenta.* 200

LIBER SECUNDUS.

De prima Jansseniana ut fulgurita &c.

Caput I. *De facto Jansenianæ primæ quoad litteram.* 206
Sect. I. *Prima propositio est è libro Jansenij excerpta, non dolosè avulsa.* 206
Sect. II. *Jansenius stylô primæ propositionis Tridentini Temerator &c.* 210
Sect. III. *Jansenius Augustino & Trid. abutitur &c.* 214
Caput II. *De obvio 1. Propositionis sensu.* 218
Sect. I. *Sensus obvius damnatus non est Lutheranus, aut Calvinianus.* 219
Sect. II. *Prima propositio non est etiam damnata in sensu, quem legitimè sumpta non habet &c.* 224
Sect. III. *Sensus obvius non est ille medius &c.* 227
Sect. IV. *Obvius primæ sensus non ex nudis Jansenij verbis sed &c. dijudicandus est.* 231
Sect. V. *Apostolica primæ damnatio propugnatur subversis II. Jansenij argumentis.* 233
Caput III. *De justorum volentium & conantium gratiâ Thomisticè sufficienti.* 248

Sect. I. *Quid sit sufficiens & quotuplex.* 248
Sect. II. *S. Augustinus posuit sufficientiam potestatis in voluntate magna &c. & quare.* 250
Sect III. *Quid sit gratia Thomisticè sufficiens.* 253
Sect. IV. *Sitnè admittenda gratia Thomisticè sufficiens in justis conantibus &c.* 255
Sect. V. *Elusio gratiæ Thomisticè sufficientis refellitur per Arnaldum.* 258
Sect. VI. *An justi conantes & volentes imperfectè dicantur sinè gratiâ efficaci posse omnia præcepta servare.* 261

LIBER TERTIUS.

De Propositione II. Jansseniana Africani Solis fulgore perstricta.

Caput I. *Aperiuntur fontes secundæ Jansenianæ.* 265
Sect. I. *Solam internam medicinalem gratiam Christi agnoscit Jansenius eam, cui non resistitur. l. 2. de grat. Christi cap. 24.* ibid.
Sect. II. *2. Proposit. etiam elicitur ex cap. 25. & 27. ejusdem Libri.* 267
Sect. III. *Propositionem secundam produnt ea loca, quibus non modo molinianam, sed & Thomisticè sufficientem gratiam insectatur.* 272
Sect. IV. *Jansenius convincitur ex propria confessione pernegator gratiæ Thomisticè sufficientis.* 276
Sect. V. *Quinque solvuntur Palladij argumenta de facto Jansenij quoad 2. Propositionem.* 279
Sect. VI. *Sex argumenta confutatoris Epistolæ Leodiensis refutantur.* 284
Sect. VII. *Iansenij trina contradictio proditur in asserendâ medicinali Christi gratiâ.* 293
Cap. II. *Secunda Iansseniana à S. Aug. revicta:* 302
Sect. I. *Gratiæ interiori aliquandò resisti ostenditur ex lapsu S. Petri.* 302
Sect. II. *Idem ostenditur ex conflictu concupiscentiæ &c.* 305
Sect. III. *Idem demonstratur ex eo, quod Augustinus omnem bonam voluntatem, etsi effectu vacuam, Christi gratiæ accenseat.* 307

Sect. IV. *Septem Ianſenij argumenta ex Aug. deducta per Auguſtinum diluuntur.* 311

LIBER QUARTUS.

De tertiâ Janſenianâ Africani Solis fulgore perſtrictâ.

Cap. I. *Oſtenditur tertia non afficta, ſed ex Ianſenij volumine in ſenſu obvio ritè excerpta.* 321
Sect. I. *An Ianſenius admiſerit in naturæ lapſæ viatoribus omnibus libertatem contradictionis &c.* Ibid.
Sect. II. *Ianſenius non requiſivit ad meritum, demeritumque libertatem contradictionis in ſtatu naturæ lapſæ.* 323
Sect. III. *Sola coactio Ianſenio viſa eſt officere libertati &c.* 326
Sect. IV. *Libertas contradictionis juxtà Ianſenium ad meritum &c. non poſtulatur.* 329
Sect. V. *Vindiciæ Ianſenium excuſantes diſſlantur.* 331
Cap. II. *Tertia Ianſeniana per Auguſtinum revicta.* 337
Sect. I. *S. Aug. ad peccandum requirit libertatem à neceſſitate immutabili. l. de nat. & grat.* ibid.
Sect. II. *Item l. de Perf. juſt. ad Cæl.* 340
Sect. III. *Auguſtinus immutabilem peccandi neceſſiatem deſtruxit &c.* 343
Sect. IV. *Si neceſſitas dicta non officiat demerito, damnati & dæmones novas pœnas incurrerent.* 346
Sect. V. *Si dicta &c., non offeciſſet etiam demerito naturæ integræ.* 349
Sect. VI. *Si neceſſitas immutabilis non officiat merito, convenientius divina bonitas Angelos &c. hâc donaſſet.* 352
Sect. VII. 13. *Argumenta Ianſeniana pro ſufficientiâ libertatis à coactione ex Aug. deducta per Aug. contrita.* 354

LIBER QUINTUS.

De quartâ Janſenianâ eôdem Africanô ſole peruſtâ.

Cap. I. *Prima pars quartæ quoad ſenſum naturalem & obvium legitimè demonſtratur ex Libro Ianſenij excerpta, & per Aug. refutata.* 371
Sect. I. *Prima pars ſe obviam facit.* ibid.
Sect. II. *Auguſtinus verſans in errore Semi-Pelagiano non admiſit gratiæ interioris neceſſitatem ad initium fidei.* 374

INDEX.

Sect. III. *Ianseny 4. argumenta solvuntur.* 377
Sect. IV. *Semi-Pelagianos non agnoviſſe neceſſitatem &c. probatur ex Auguſtini argumentis.* 381
Sect. V. *Semi-Pelagianorum error ex Cæleſtini reſcripto refulget.* 387
Sect. VI. *Eorum Error uberiùs panditur per S. S. Proſperum & Hilarium.* 389
Sect. VII. *Septem argumenta Ianſenij refutantur.* 393
Sect. VIII. *Semi-Pelagianos non admiſiſſe gratiæ interioris neceſſitatem &c. confirmat Arauſicanum.* 404
Cap. II. *De ſecundâ parte quartæ Ianſenianæ.* 406
Sect. I. *Semi-Pelagiani ſunt Ianſenio hæretici, quià ad initium fidei ſufficere aſſerebant gratiam Adamæam.* 407
Sect. II. *Cenſet etiam eos Hæreticos, eò quod aſſererent huic gratiæ poſſe reſiſtere vel obtemperare humanam voluntatem.* 409
Sect. III. *Apoſtolica 4. Propoſitionis cenſura defenditur.* 411

LIBER SEXTUS.

Ianſenius in quintâ famosâ ab Aug. triumphatus. 413
Cap. I. *De 1. parte quintæ Ianſenianæ quoad factum.* 418
Sectio Prodroma. *De inconſtantiâ & oſcitantiâ Ianſenij de Redemptione Ianſenius Proſperum deſerit &c.* ibid.
Sect. II. *Qui Ianſenium purgant &c. Chriſtum faciunt dæmonum Redemptorem.* 423
Sect. III. *Ianſenius hîc degenerat à Majoribus ſuis Lovanienſibus.* 428
Sect. IV. *Ianſenius non debuit à Proſpero recedere.* 432
Sect. V. *Ianſenius eſt Proſpero & Auguſtino injurius &c.* 433
Sect. VI. *Argumenta quinque ſolvuntur.* 438
Sect. VII. *Prima pars oſtenditur è Ianſenio vitè excerpta.* 442
Cap. II. *De falſitate primæ partis &c.* 449
Sect. I. *Semi-Pelagiani docuerunt Chriſtum æqualiter pro omnibus mortuum.* ibid.
Sect. II. *Quod Semi-Pelagiani &c. confirmat S. Proſper.* 451
Sect. III. *Argumenta ex Authoritate Eccleſiæ Lugdunenſis diluuntur.* 456

INDEX.

Sect. IV. *Negata per Ianſenium Mors Chriſti pro omnibus omninò hominibus viatoribus per Aug. aſſeritur.* 461
Sect. V. *Confirmat eam S. Auguſtinus ex neceſſitate Chriſti pro omnibus.* 463
Sect. VI. *Vti & ex neceſſitate Baptiſmi quoad omnes nemine exceptô.* 465
Sect. VII. *Mors Chriſti pro omnibus probatur ex Apoſt.* 469
Cap. III. *De ſecundâ parte quintæ Ianſenianæ.* 473
Sect. I. *Quis ſit ſenſus obvius in Ianſenio damnatus hujus Periodi.* ibid.
Sect. II. *Dicta periodus quoad ſenſum obvium clarè eruitur ex Ianſenio.* 476
Sect. III. *Vindiciæ Ianſenianæ diſſlantur.* 478
Sect. IV. *Vincentius Paleologus in hac causâ à Doctore Angelico condemnatur.* 483
Cap. IV. *Impia &c. Ianſenij propoſitio per Aug. perſtricta.* 488
Sect. I. *Ianſenius exemplô parvulorum per Aug. refutatur.* 491
Sect. II. *Amor Chriſti ergà judam Ianſenij ſeveritatem convellit.* 492
Sect. III. *Confirmantur prædicta urgentioribus pro judæ ſalute expreſſionibus S. Auguſtini.* 495
Sect. IV. *Chriſtus mortuus juxta S. Aug. pro reprobis judæis reprobat impiam Ianſenianam.* 497
Sect. V. *Undecim argumenta Ianſeniana refelluntur.* 501
Sect. VI. *Ianſenius mortem Chriſti quoad temporalia Gratiæ beneficia juſtis non electis collata extenuans refutatur.* 517
Sect. VII. *Ianſenius videtur negare mortem Chriſti pro reprobis juſtis &c.* 520
Sect. VIII. *Sex vindiciæ Ianſenianæ conteruntur.* 523
Sect. Ultima. *Cenſura Apoſtolica in Ianſenianam quintam conſonis Eccleſiæ confeſſionibus conſecratur.* 533
Appendix de voluntate Dei ergà parvulos non regenerandos ex mente SS. Aug. & Fulg. 539
Excurſus contra veros Janſeniſtas. 545
Ianſenij ergà Sedem Romanam reverentia &c. 547
Sect. 1. §. 1. *Aviti Academici probroſa in Homiliam SS.D. Clementis inſultatio.* 549
§. 2. Cal-

INDEX.

§. 2. Callida Aviti verba Pontificia malitiosè captantis machinatio proditur. 551
§. 3. Quales, & Quantos viros Avitus faciat Eutichianos. 555
§. 4. Avitus argutiis suis captus convincitur ipse Eutichianorum adjutor. 560
§. 5. S. Augustinus vindicans S. Ioan. Chrysostomi effata &c. damnat Aviti sugillationem &c. 563
§. 6. S. Ioannis Chrys. effatum à calumnia Aviti vindicatur. 567
§. 7. Avitus criminationem falsam &c. purgans julianum adjuvat. 570
§. 8. S. Aug. ex eadem homiliâ julianum jugulat. 573
§. 9. Inauditâ temeritate ab Avito explosa Romanæ Sedis infallibilitas vindicatur. 577
§. 10. Romanæ Sedis firmitas SS. Patrum, Conciliorum Generalium consensione roboratur. 583
Sect. II. §. 1. Avitus Ianssenianos suos justâ severitate compressos insulsè componit Martyribus. 604
§. 2. Audax Pauli Aurelij effatum pro defensione Theodoreti comprimitur. 608
§. 3. Paulum Aurelium excusantem Didymum damnat formularium Athanasii Presbyteri. 614
§. 4. Impia perjurij criminatio Alexand: formulæ diluitur. 617
§. 5. Ex titulis à M. Gregorio datis trium Capitulorum Defensoribus patet, quo encomio decorandi sint Ianssenij vindices pertinaces. 622
§. 6. Avitus æmulator est rebellium trium Capitul. Defens. 625
§. 7. Ianssenij defensores &c. Pelagianorum imitatores dicendo Romanos judices esse corruptos. 628
§. 8. Avitus & Alij, ut Pelagiani, postulant audientiam cum damnati debeant agere pœnitentiam. 631
§. 9. Frivola est postulata ab Avito &c. audientia. 635
Epilogus Paræneticus ad Avitum &c. 638
Mantissa contrà Mantissam paræneseis vindicatæ. 641
Mantissa 2. Adversus Avitum &c. 647
Declaratio Præcipuorum Patrum & Professorum Provinciæ Flandro-Belgicæ Ord. Erem. S. P. Aug. &c. 651

FINIS.

ERRATA SIC CORRIGE.


7.	salubriret.	*lege* salubriter
24.	costitutionem	constitutionem
40.	*eam*	*eum.*
54.	*quoniem*	*quoniam.*
62.	*unversa.*	*universa.*
69.	*damare*	*damnare.*
75.	*exibitam*	*exhibitam.*
87.	*charitati*	*charitati.*
91.	de Christi Salvatoris.	*lege* de Christi Salvatoris gratiâ, ubi.
93.	CONSEQUENTET	CONSEQUENTER.
95.	justo volent.	justo volente.
100.	*aavocaverit.*	*advocaverit.*
109.	*fine fide.*	*sine fide.*
128.	*ad salutis.*	*ad salutem.*
134.	*veritus.*	*verius.*
148.	saciat.	faciat.
156.	*quiautique.*	*quia utique.*
166.	Deus.	Dei.
169.	*infirmitatis apposita.*	*apposito.*
175.	ad servitum.	*lege.* ad servitutem.
177.	diducto	deducta.
186.	*mibi.*	*mibi.*
190.	stabilltatem.	stabilitam.
194.	*neseis.*	*nescis.*
196.	*nomini.*	*nemini.*
199.	*eum.*	*cum.*
245.	*ipse oratio.*	*ipsa oratio.*
260.	*sit.*	*sic.*
261.	sine quâ nihil fieri potest.	*lege* sine quà nihil fit.
266.	EFFICACISSIMA	*lege* EFFICACISSIMAM.
268.	*essectum.*	*effectum.*
272.	inserioris.	inferioris.
287.	voluntatem.	volentem.
332.	*immutabils.*	*immutabilis.*
376.	volnêre.	voluêre.
384.	Augustini.	Augustinus.
477.	*quo.*	*qui.*
517.	*morte.*	*mortem.*
519.	justi.	justæ.
611.	*temporabus.*	*temporibus.*

NOTA.

Laudes quas Author videtur tribuere Arnaldo, tantummodò habet pro argumento ad hominem.

Collegii Societatis Jesu Paderborn.
An 1714.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Th
1357